SYNTAGMA SELECTARUM EXERCITATIONUM THEOLOGICARUM JOH...

Johannes Cloppenburch

Digitized by Google

Digitized by Google

SYNTAGMA
Selectarum Exercitationum
THEOLOGICARUM
JOH. CLOPPENBURGII,

V. D. M. &

S. S. Theologiæ Doctoris & Professoris

IN ACADEMIA

FRANEQUERANA.

BIBLIOTECA NAZ. RMA VITTORIO EMANUELE

Editio altera.

FRANEKERÆ,

Excudit IDZARDUS BALCK, Illustr. Frisiæ Ordinum & eorundem Academiæ Typographus Ordinarius. Anno CIↃ IↃC LV.

Digitized by Google

Reverendo, pariter Doctrina ac Pietate Insigni Viro,

D. HENRICO DIBBEZIO.

Dordrechtanæ Ecclesiæ Pastori Vigilantissimo,

JOHANNES CLOPPENBVRCH S. D.

NVnquam, Vir Reverende, tui possum recordari, quin prædicem experientiam verbi illius, quod Salomoni dictavit Divina Sapientia אוהב דבק מאח, Est amicus Fratre conjunctior. Ex quo tempore mihi in te revixit amicitia, qua me Pater tuus ὁ μακαρίτης dignatus fuerat, difficillimis illis temporibus ante Synodum Dordrechtanam, cujus pia illa anima pars fuit non ignobilis, quibus me in messem suam in agrum Heusdanum primum extrusit Deus. Revixit autem illa, quando in diebus ambulationis meæ malis, delatus in ἀπικίαν, ut vocare soleo, Brielanam, divina benedictione te nactus sui Collegam suavissimum & conjunctissimum, quicum & communia studia tractare, & gregem Domini pascere licuit ἰσοψύχως, & συμπαρακληθῆναι in schola Crucis. Utinam diuturniorem illam amicitiæ usuram concessisset in statione unâ divina providentia: cujus voluntati parendum fuit, quando te Deus ad illam evocabat, cui jam plures annos ministras, Ecclesiam, hæredem ut pietatis paternæ γνήσιον, ita ob pietatem amoris & favoris quo parentem olim illa complexa fuit. Enimvero non minora tu ex illo tempore absens, quam præsens dedisti amoris, plusquam fraterni, documenta: etiam, ubi id flagitavit temporum injuria contra malevolos & male-

dicos, mihi conciliata magnatum, qui te merito tuo amant, benevolentia & patrocinio. Magnum ego illud semper existimavi divini erga me amoris argumentum, & meæ cum Deo ambulationis τεκμήριον: Quod ambulanti διὰ δόξης καὶ ἀτιμίας, διὰ δυσφημίας, καὶ εὐφημίας, licuit semper μετὰ διωγμῶν tecum tuiq; similibus optimæ notæ doctis & piis viris amicitiam colere ἐν ἀγάπῃ ἀνυποκρίτῳ: atque hoc pacto minus dolere, quin ex alto despicere τῶν ψευδολογούντων latratus & morsus. Hoc ergo nomine exstare volui hanc amicitiæ nostræ nunquam intermoriturææ tesseram publicam; tuo nomini inscriptam Editionem novam Selectarum mearum Exercitationum Theologicarum Gelro-Velavicarum auctam Oratione Inaugurali Franequerana, & altera Diatribâ, huic Syntagmati insertis: A te tuique simili Candido Lectore exspectaturus lubens, si quid rectius istis ad veritatis Theologicæ ἀκρίβειαν & ἀκριβολογίαν suggesseritis, non pudebit indies docendo discere. Finiam, cum hac votorum meorum summa, me Deum venerari, ut te, Reverende in Christo Frater, Ecclesiæ suæ sospitet quam ditissime, quam felicissime, & sanctis tui laboribus cumulatissime benedicat. Vale.

Dabam Franequeræ, è Musæo meo. CIↃ. IↃCXLV. XVII. Martii stylo Juliano.

IN

IN

Doctissimi Viri

D. JOHANNIS CLOPPENBVRGII,

SS. Theol. Doct. & Professoris disputationes Theologicas Franequeræ iterato editas.

Cælitus infusi sensus cognoscere verbi
Aditaque arcanis eruere eloquiis,
Et penitus veteres in apertum ducere ritus.
Quæque insit priscis serva figura typis,
Quæque mali jaciunt reppellere tela sophistæ,
In Philegethontæis tela parata focis,
Non patet in facili res ardua, rarus amator
Ad juga prærupti mystica montis adit.
Quæ reperit tales Academia nomine felix
Dicetur, tanto conspicienda bono.
Frisia littoribus, quam Phœbi Plevo cadentis
Tundit & Eois Laubacha parvus aquis,
E Batavis gaude celebri venisse Lyceo
Doctrinæ talem judiciiquo virum.
Vt credas, exire tibi sub luminis auras
Cerne librum, primi pignus amoris habe:
Cerne librum Musis & amica Palidæ scriptum,
Quem cupiat Phœbus nominis esse sui.
Ediderat Geldris hunc Cloppenburgius *oris,*
Sed sua nunc secum detulit ipse tibi.

CHRIST. SCHOTANVS
Gr. Ling. & Hist. Eccl. Prof. &
p. t. Acad. Rector.

AD

Reverendum & Clarissimum

D. JOHAN. CLOPPENBVRGIUM,

S. Th. Doct. & Professorem, meditationes Theologicas varia eruditione refertas edentem.

SI pietas laudare Deum, nomenque fateri,
Quo nihil hic mundus nomine majus habet:
Hæc si justitia est, si maxima primaque virtus,
Qua pereunte, decus, vita salusque perit;
Hanc si justitiam vult undique & undique natam
JUSTUS inoffenso tendere porrò gradu:
Si rumpit laqueos, atque ardua munimenta
Diruit, ut pareant ostia justitiæ:
Justitiæ affixum si prospera cuncta sequuntur,
Justitiæ obstantem sed gravis ira manet:
Traditio si vera inscripta volumine sancto
Justitiæ fons & pura fluit scatebra,
Fabula cui mendax & opinio stulta repugnat,
Ut minuant laudem devia corda Dei:
Militat ergo Deo mendacia stulta refellens
Veraque in aprico condita restituens,
Concelebrans laudemque Dei nomenque propagans.
Militat ille Deo, militat & patriæ.
Hanc tu militiam certans, Collega, coronam
Expecta, quam nec Tartarus eripiet.

Collegæ conjunctissimo applaudens approperabat

JOHANNES COCCEJUS,
S. Th. Doct. & Prof.

Exercitationum Syllabus.

I. Protheoria Theologiæ Christianæ. pag. 1.

II. Determinatio Quæstionis, An Christus quâ Mediator sit adorandus. 25

III. Disputationes XV. de Canone Theologiæ & Iudicio controversiarum secundum Canonem.

Disp. 1. De Canone Theologiæ. 43

2. De Verbo non Scripto interno, Papistarum & Enthusiastarum Discordia Concors. 47

3. De S. Scripturæ claritate uniformiter Divina. 54

4. De Traditionum non Scripturarum auctoritate sacrilega, & reverentia in Papatu impia. 66

5. De Nulla Necessitate Traditionum non Scripturarum, præter Scripturæ S. Sufficientiam. 73

6. I. 85

II. 93

7. De Scripturæ S. Sufficientia & Traditionum non Scripturarum Nullitate.

I. 101

8 II. 109

9. De Dispensatione contra Scripturas Anti-Christiana. 117

10. I.

II. 124

11. De Judicio Controversiarum secundum Canonem. 131

12. De Judicio Controversiarum in veteri Cathedra Mosis.

I. 142

13. II. 152

14. De Iudicio Controversiarum in commentitia Cathedra Petri.

I. 159

15. II. 170

IV. Oratio Inauguralis de Cathedrarum Evangelicarum Libertate Christiana.

1. Disputationes XI. de Fœdere Dei & Testamento Veteri & novo 185

Disputatio I. de Fœdere Operum Veteris cum Adamo primo. 205

2. De Fœderis Operum Veteris Antiquatione. 207

3. de Fœdere Novo Gratiæ, ejusque Sponsore. 219

4. de Fœderis Novi Testamento. 226

5. de Testamento Veteri, ejusque prima Antiquitate. 237

249

6 de

6. de Testamenti Veteris Ecclesia Communi nobiscum Salute. 259
7. de Testamenti Veteris Ecclesiæ Communi nobiscum Fide & Religione. 266
8. de Testamenti Veteris Ecclesia Circumcisa. 277
9. de Comparatione Testamenti Veteris, & Novi melioris. 284
10. de Epocha Novi Testamenti, & Ministerio Iohannis Baptistæ. 296
11. de Mediatoris Novi Testamenti Officio. 306
IV. Fasciculus XIIX. Selectarum Disputationum. 320
Disputatio Selecta 1. qua asseritur Religionis Christianæ Fundamentum, Christus, Deus mentiri nescius & Homo impeccabilis: contra hypotheses Remonstrantium in Apologia Confessionis cavite XVI. de Libera Christi Obedientia. 323
2. qua asseritur Vera Antiquitas Religionis Christianæ contra hypotheses Socinianorum & Remonstrantium, Confessionis & Apologiæ cap. XVI. Apologiæ cap. 11. de Novo cultu & Adoratione Christi. 331
3. qua asseritur Vera Antiquitas Religionis Christianæ, contra Patistarum, Anabaptistarum, Sociniatorum, & Remonstrantium hypothesin de Christo Novo Legislatore 338
4. de Sacramentorum Christianæ Religionis institutione, antiqua, an nova; cum Censura in Dissertationem Anonymi de Cena, An semper communicandum per Symbola. 349
5. Examen Theologiæ practicæ Remonstrantium, de Vera Obedientia mandatorum Christi. 358
6. de Bonorum Operum Meritis. 364
7. de Bonorum Operum Mercede æterna. 375
8. de Anno, Mense & Die Natali Christi. 386
9. de IMMANUELE nascituro ex Virgine ad oraculum Propheticum Esa. VII 14. 15. 398.
10. de Plenitudine temporis ad oraculum Iacobi. Gen. XLIX. 10. 406
11. de Adventu Messiæ, ante templi & Sacrificiorum abolitionem. 414
12. de Rejectione Gentium sub Veteris œconomia Mosaica. 424
13. de Legis Pædagogia ad Christum. 431
14. de sententia loci 1. Cor. XV. 29. Quid facient qui Baptisantur pro Mortuis. 438
15. de Spiritu, Anima & Corpore, ad loca, 1. Thess. V. 23. & Heb. IV. 12. 446
16. de Persona Melchisedeki. 455
17. de Unctione Christi Mediatoris. 465
18. de Sacrificiis Patriarchalibus. 473
VII. Epimetrum Disputationum 11. Repetitarum: 483
1. de Filii Dei Divinitate. 485
2. de Christo Servatore. 495

PRO-

PROTHEORIA

THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ;

Qua agitur

DE

Theologiæ & Religionis Definitione, Partitione & Distributione.

PROPOSITA

Prælectionibus tribus quasi Inauguralibus

4. 5. & 7. Febr. S. V. 1640.

Nobilissimis, Amplissimis,
Consultissimisque Viris,

D. HENRICO ab ESSEN,
Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ Consiliario, Tetrarchiæ Gelro-Velavicæ Deputato, urbis Arnhemiensis nec non Velaviæ ad ripam Isalæ Iudici;

D. IOHANNI à WYNBERGEN,
Urbis Hardrowicenæ Consuli;

Curatoribus Illustris Gymnasii Gelro-Velavici, quod est Harderwici;

Hanc Theologiæ Christianæ Protheoriam,
Professionis Theologicæ Primitias,
Merito Iure

Dicat atque Offert

JOH. CLOPPENBURCH.

Nobiliſſime, Ampliſſime, Conſultiſſime D. Curator; Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Conſultiſſimi, D.D. Conſules & Senatores; Spectatiſſime urbis Secretarie; Clariſſimi, Venerandi, Spectabiles Doctrina & Pietate, D.D. Doctores & Profeſſores, D.D. Paſtores; D.D. Præceptores; Voſque ornatiſſimi quotquot adeſtis & optione Spei viri-juvenes, maxime qui ſacro-ſancto Theologiæ Studio conſecrati ac jam initiati eſtis.

POſt expletos in ſacro Verbi Dei miniſterio annos circiter viginti quatuor, viſum eſt Deo Optimo Maximo meſſis Spiritualis Domino, me indignum ſervum ſuum evocare ad Eccleſiarum ſuarum in illuſtri hoc Gymnaſio ſeminarium colendum ac rigandum, per mandatam mihi à Nobiliſſimis atque Ampliſſimis D. D. Curatoribus Profeſſionem Sacræ Theologiæ & Linguæ ſanctæ. Vocanti Deo parendum mihi duxi in timore & tremore: qui exceptioni, quam ſatis ſuperque mihi dicta tenuitatis meæ conſcientia, de humeris non ſufficientibus oneri, obicem poſuit conſolatione dulciſſima illa quæ exſtat apud Eſajam cap: XL. commatis 29. & ſequentibus: *Deum æternum Iehovam cujus prudentia nulla eſt perveſtigatio, dare defeſſo virtutem, & defecto viribus robur copioſe ſuppeditare, adeo ut qui Iehovam exſpectant mutent vires, aſcendant pennis velut aquilæ, currant neque defatigentur, pergant nec defetiſcant.*

Quod itaque felix fauſtumque æternus ille Iehova eſſe velit ac jubeat, ingreſſurus prælectionum Theologicarum atque Hebraicarum curriculum, atque eam in rem apud vos verba facturus hodie, conſtringor, ex laudabili more, ut dicam de Profeſſionis mihi mandatæ ſubjecto, quod principaliter ſpectatum eſt Theologia, cui inſervit lingua Hebræa, in qua olim ante Chriſtum in carne manifeſtatum, Hebræorum Eccleſiæ ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, *credita fuere eloquia Dei.* Rom. 3. De Theologia itaque in præſens inſtituetur Diſſertatio hæc quaſi inauguralis: ut hoc Prægnito viam aperiamus Prælectionibus, quas proximis hiſce ſeptimanis,

quæ excurrent usque ad statas ferias, destinavimus, quarum argumentum erit, illustris locus Theologicus de Fœdere Dei cum homine spirituali, Veteri & Novo, ac rursum Novi Fœderis Veteri & Nova œconomia: ex quo loco Theologico quemadmodum, ut infra videbimus, pendet Theologiæ in species distributio: sic idem in se continet quasi principium nervorum corporis Theologiæ, seu demonstrationem reliquorum locorum communium, qui nobis deinceps sigillatim tractandi erunt, si Deus vitam concesserit: Existimamus enim non posse nos melius discentium studiis consulere, quam si post hanc quam daturi sumus brevem Protheoria de Theologiæ constitutione, septimanis illis absolverimus accuratiorem quasi omnium Theologiæ nervorum Anatomen: quæ non poterit institui absque omnium articulorum aliqua saltem tractatione compendiosa; seu omnium locorum communium aliquo gustu non pœnitendo.

Nolite, Auditorum Nobilis corona, à nobis exspectare, ut persuasoriis humanę sapientiæ verbis vobis commendemus sapientiam illam Dei, quæ se ipsam nobis tacentibus ad Piam quamvis conscientiam commendat demonstratione spiritualis potentiæ; à qua fit ut *retecta faci illam κατ' ὀπτελζόμενοι, in eandem imaginem transformemur ex gloria in gloriam, sicut à Domini Spiritu.* 2. Cor 3. 18. Præivit nobis (qui nos ad sui imitationem hortatur 1. Cor. 4. 16. & 11. 1.) magnus Doctor Gentium Paulus *in infirmitate, in tremore* 1. Cor. 2. 3. 4. ac monet in vasculi testacei infirmitate magis elucere ac se exserere divinam τὴν ὑπερβολὴν τῆς δυνάμεως roboris excellentiam. 2. Cor. 4. 7,

Deum ergo patrem luminum veneratus, vosque obtestatus ut in hoc ipsum omni prece & supplicatione etiam pro me vigiletis, precor ut & nunc & deinceps mihi detur sermo ad apertionem oris cum libertate, utque ad oris nostri apertionem juventus ista quæ per hypotypōsin sanorum sermonum sacris Theologiæ mysteriis imbuenda est; profectus istos divina benedictione facere possit, per quos ringentibus adversariis, qui multi sunt, aperiatur ad veræ & salutaris Theologiæ propagationem θύρα μεγάλη καὶ ἐνεργὴς Ostium magnum & efficax 1. Cor. 16. 9. Ephes. 6. 19.

Enim-

ENimvero in propositâ jam dissertatione, à Theologiæ definitione faciendum nobis initium; à qua deinde ad ejus Partitionem & Distributionem progrediendum erit:

Initio opus est, ut Definitioni Theologiæ consideratæ per modum habitus in discentibus, præmitatur definitio Theologiæ quam Docentem vocabimus: Distinctionis enim inter Theologiam Utentem & Docentem neglectus facit, ut intricatior sit Theologiæ definitio in Scholis: dum alius docentis, alius utentis Theologiæ defungitur: non potest enim ut mox videbimus utriusque idem statui objectum *συνωνύμως* intellectum. A Docente Theologia & Systematis Theologici præcepta & ipsa Theologia Utens regulatur, ut à causâ efficiente exemplari: cujus hæc est *πέλος* & *ἀποτέλεσμα* & Finis & Effectum.

Theologia Docens ergo est Doctrina θεοδίδακτος, Hominem constitutum in curriculo vitæ hujus terrenæ, docens Religionem. Genere, Objecto & Fine constat hæc definitio. Genus est Doctrina *θεοδίδακτος* sive quam Deus docet: Hanc indigitamento vel Sapientiæ vel Prudentiæ nominare hic censemus intempestivum: quia jam definitur non habitus Theologiæ seu Theologia Utens, sed ejus, ut modo dicebamus, causa efficiens exemplaris.

Genere autem istho quod à nobis positum est amovemus geminam æquivocationem: Prior est, quando Theologiæ nomine venit infinita *ἁπλῶς* & naturalis Dei sapientia de se ipso, quæ non solum in Deo est, sed etiam ipse Deus, qui hic est mirabiliter *ἐπιστὸν*, *ἐπιστήμων* & *ἐπιστήμη*, Scitum, Sciens, Scientia, seu Res Theologica, Theologus, Theologia. Character infinitæ hujus Theologiæ est in illo indigitamento quo scite Deum appellat *Clemens constit. lib. 8. σοφία ἀδίδακτος*, Sapientia Doctore carens, à qua toto cœlo distat, *διδακτος σοφίας λόγος*, Sermo sapientiæ quæ docetur & discitur. 1. Cor. 2. 13.

Altera æquivocatio, quam amovemus, quando Theologiam vocamus Doctrinam *θεοδίδακτον*, ista est, qua per nominis abusum Theologia dicitur *ψευδώνυμος γνῶσις* falso nominata scientia Gentilium Iudæorum & Hæreticorum *μυθολόγων* & *ψευδολόγων*

γων, quæ ἀθεόλογος est, quippe διδασκαλία δαιμονίων Doctrina Dæmoniorum, & σοφία δαιμονιώδης sapientia Dæmoniaca 1. Tim. 4. 1. 2. Iac. 3. 15. Elegans est contra Homeri aliorumque poëtarum θεολογουμένους μύθους de Deo prolatas fabulas Platonis dissertatiõ. libro 2. de Repub. cujus iste est epilogus, πιστὸς μὲν ἄρα ψευδὴς ἐν θεῷ οὐκ ἔνι. Poeta igitur mendax in Deo non est.

Ad Doctrinam autem Θεοδίδακτον constituendam requiruntur tria, 1. Primum est *principium Essendi*, Idea Doctrinæ in mente Divina ab æterno præfinita voluntatis Dei decernentis libertate, quæ Idea est Theologia Dei quæ in Scholis vocatur ἀρχέτυπος seu Exemplaris: quam, ut voluntariam & à voluntate præfinitam, censemus omnino distinguendam ab illa absolutissime necessaria atque infinita Dei sapientia quam modo tangebamus, quam Deus ipse ἀδίδακτος docere non vult. 2. Alterum est *principium Cognoscendi*, τύπος διδαχῆς, Formula seu expressio doctrinæ, juxta archetypum ab æterno præfinitum, in tempore tradita, per revelationem divinam: Hæc in scholis dicitur Theologia ἔκτυπος, expressa, 3. Tertium est ἀνατύπωσις ejusdem Doctrinæ ad τύπον διδαχῆς divinum humano studio & labore elaborata, quæ traditur, vel in publicis Ecclesiarum Symbolis, Confessionibus & Catechesibus, vel in privatis Theologorum Ideis, Institutionibus, Systematis, Locis Communibus.

Publicis Ecclesiarum Symbolis, Confessionibus, & catechesibus, major debetur reverentia quam privatis Theologorum Ideis, propter exploratum (& publico, & per leges Ecclesiasticas imperato omnibus ministerii candidatis privato examine) consensum istarum formularum cum divino τύπῳ διδαχῆς quem sollenniter testari solent suo chirographo omnes & singuli qui ad ministerium publicum admittuntur; ut obex ponatur effreni Prophetandi licentiæ, & averruncentur dissidiorum & schismatum atq; hæresium seminationes, juxta Apostoli consilium πλὴν εἰς ὃ ἐφθάσαμεν τῷ αὐτῷ στοιχεῖν Κανόνι, τὸ αὐτὸ φρονεῖν: *Attamen in eo ad quod pervenimus eadem incedamus regula & idem sentiamus Phil.* 3. 16.

Pri-

Privatorum Theolog: Ideas has vel illas serius ocyus, leginus, examinamus pro re nata & prout cuique commodum est vel opportunum: quibus fere propter laxiores hypotheſium tractationes, & digreſſiones liberiores, quantumvis ſervata in Theſibus principalibus orthodoxia, hoc accidit, ut priores ſcriptores poſterioribus ſuppeditent ſylvam Exercitationum ſacrarum, in qua non deeſt moderata *Prophetandi libertas*, quæ fruſtra arripitur & perperam torquetur à protervis ingeniis, ad effrænis quidvis ſentiendi licentiæ πρόφασιν. Modo abſit ἐριθεία & κενοδοξία, contentionis & inanis gloriæ affectatio, (quam ſancte teſtamur nos quidem procul habere) utiles ſunt illæ Excercitationes ſacræ, quibus privati Theologi alii aliorum aurum excoquunt inſtar aurificum, in quorum caminis quo aurum ſæpius arſit, eo magis proficit ad bonitatem auri obryzi. Atque hic quis non fateatur ultro? (quandoquidem omnes ἐκ μέρους γινώσκομεν καὶ ἐκ μέρους προφητεύομεν ex parte cognoſcimus & ex parte prophetamus 1. Cor. 13. 9. Hoc accidere quod de monetario auro verum eſſe docet *Suellius junior* in libello *de Re Nummaria*, Aurum etiam excoctiſſimum expurgari duntaxat ad 23. ¾. ceratium ſive puritatis gradum: hoc eſt planius loquendo in auri maſſa quacunque ut minimum eſſe nonageſimam ſextam partem alieni metalli: argento autem quadrageſimam octavam: atque hinc fieri ut aurum auro vilius ſit, V. G. ſi aurum Edoardeum ſit unciarum 18. Gallicum ut illi precio par ſit ſumendum erit unciarum 19.

Univerſim autem de quacunque quantumvis excoctiſſima ὑποτυπώσει Theologiæ ſic ſtatuendum eſt, non eſſe αὐτοπιστὸν ſeu per ſe dignam Fide & Fidei obedientia, imo nec abſolute πιστὸν ſeu quæ ad Fidem obliget, niſi quatenus exploratus eſt in conſcientia conſenſus cum τύπῳ διδαχῆς divino, adeoque intelligitur illius auctoritate confirmata. Quod hic dictum eſto ad πεπισμισμὲν, τῶν ἐξ ἐναντία: e. ut os obturetur adverſariis, qui apud imperitiores gravant hoc præjudicio Eccleſias Reformatas, quod tantum non eodem loco habeant ſuas Confeſſiones & Catecheſes cum τύπῳ διδαχῆς in Sacris literis tradito; adeoque Bibiliis ſacris aſſuant atq; atterant hæc βιβλία, iiſq; tribuant parem cum illis auctoritatis eminentiam.

Dicen-

Dicendum breviter de calumniæ προφάσει arrepta in Belgio quando anno 1607. cœptum est disputari *de Confessionis & Catechesios Revisione* neganda an permittenda in Synodo Nationali. Fuit hoc verum disputationis κρινόμενον: Illi qui postulabantur, ut suas in Confessionem & Catechesin considerationes submitterent examini & judicio Synodi, Revisionem flagitabant hac Lege: 1. ut non ante censeretur Synodus examine & judicio defuncta, quam suffragium tulissent cum Deputatis ad Synodum etiam deputantes Ecclesiarum Pastores. 2. ut pendente examine, & in actu reliquo judiciali omnes & singuli soluti ac liberi essent ab omni antegressæ subscriptionis vinculo, qua olim testati erant sibi exploratum esse consensum Confessionis & Catechesios cum sacris literis; atque ad communem & unanimem illarum formularum Apologia se Deo & Ecclesiis obstrinxerant.

Secus sentiebant Orthodoxi Ecclesiarum Pastores, non esse ante convictionem erroris, seu ejus demonstrationem ad conscientias, auctoritate publica, in paucorum fluctuantium gratiam, omnibus & singulis per universum Belgium Verbi ministris (hoc enim ex hypothesi de pari jure suffragii Deputantium & Deputatorum consequens erat) imperandam ἐποχὴν seu dubitationem de veritate semel rite explorata: neque hoc commiti posse quin ostium magnum & efficax aperiatur ad erroris efficaciam: Posse ac debere institui legitimum examen judicium & Revisionem, absque illa judicaturis in Synodo imperata ἐποχῇ. Quod ne alienum videatur, considerate, auditores, id quod dicturi sumus ex quotidiana experientia: Aurifabri nummum quemlibet aureum, quamvis semel rite exploratum ad lapidem Lydium, facile in gratiam aliorum, propter contradicentes, iterum iterumque adhibito eodem lapide Lydio explorabunt: Iterato tamen illo examine nec suam testabuntur ἐποχὴν de priori suo judicio, quo semel censuerunt probum esse nummum: neque, quamvis perseverent ipsi in priori judicio, ea propter pari loco habebunt, nummum probum & lapidem Lydium.

Sic nunquam piget, nunquam pigere debet Ecclesiarum Pastores, vel singulos, vel in Synodo congregatos, quando id flagitat infirmiorum ædificatio, & contradicentium ἐπιχαρισμὸς, iterum

rum iterumque explorare ad Sacræ Scripturæ lapidem Lydium, hypotypoſes ſanorum ſermonum, quibus ipſi ſubſcripſerunt: quamvis ipſi non exiſtiment ſibi fluctuandum, ſed permanendum ἀμεταμελήτως in ſententia ſemel recepta.

Veniamus ad Theologiæ Docentis Objectum, quod eſt Homo conſtitutus in curriculo vitæ hujus terrenæ. Eſt ergo extra Theologiæ quam tractamus limites, primo quidem Angelorum Theologia cœleſtis: deinde Hominum ἰσαγγέλων Theologia in cœlis, quam in ſcholis vocant *Theologiam Viſionis*: Atque præſentis conſiderationis eſt ſola Theologia hominum, qui conſtituti ſunt in curriculo vitæ hujus terrenæ: qui per Doctrinam Theologicam vocantur ad ſpem vitæ cœleſtis decurſo hujus vitæ curriculo obtinendæ: adeoque vel conſtituuntur primo, vel porro diriguntur in Via & itinere ad beatitudinem cœleſtem: quo nomine hæc in Scholis vocatur *Theologia Viatorum*, & Apoſtolica phraſi in Scripturis, ὁδὸς Via *Actor* 19. 9. 23. & 24. 14. 22. Character ergo hujus Theologiæ eſt Spes de Vita hac terrena aliquando commutanda cum Vita æterna Cœleſti: Abſque qua ſpe promiſſa, nec ante lapſum in Veteri operum, nec poſt lapſum in Novo Gratiæ fœdere, pactio unquam conſtitit nuda promiſſione vitæ hujus terrenæ & animalis feliciter hic perennandæ: quod perperam affirmant Theologi nonnulli, de pactionem prima Fœderi cum Adamo.

Finis in Objectum illud per Doctrinam Theologicam introducendus eſt *Religio*, quæ eſt Theologiæ docentis in animo, diſcentis ἐκτύπωμα ſeu expreſſus habitus; quam ut Theologiam utentem mox definiemus, præmiſſa hac obſervatione quod Theologiæ nomen Docenti, Religionis autem uteri Theologiæ magis conveniat: vel hoc charactere: Quod non quivis Theologiæ Diſcipulus θεοδίδακτος in concreto *Theologus* appellatur, ſed peculiariter tantum ſiquis evadit διδακτικὸς ſeu aptus ad docendum. 1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 9. Vnde hoc nominis olim κατ' ἐξοχὴν tributum Apoſtolis & Euangeliſtis à *Dionyſio Hierarchiæ cœl. cap.* 8. nominatim Johanni, *in Titulo Apocalypſios, & à Dionyſio Epiſtola ad Iohannem*: reliqui autem Religioſi dicuntur.

Religio (ut hanc jam definiamus) *eſt Sapientia ſpiritualis, ſecun-*

dum Dei in Fœdere revelati notitiam, ad Deum sancte colendum. Hæc rursus definitio enucleanda est Generis Objecti & Finis accuratiori consideratione.

Ad Genus Religionis constituendum maluimus uti vocabulo σοφίας seu Sapientiæ, quam τῆς τέχνης seu Artis, quia hoc Scriptura ignorat. illo autem utitur frequentius Luc. 21. 15. Act. 6. 13. 7. 10. Col. 3. 16. 4. 5. Jac. 1. 5. 3. 13. 17. Ejusque conjugatum verbum σοφίσαι ad Religionis Doctrinam accommodatur 2. Tim. 3. 15. Atque illa porro est sapientiæ nominis eminentia, ut etiam ex Scripturæ usu contineat & σύνεσιν scientiam; & φρόνησιν prudentiam, conferantur loca Eph. 1. 8. & Col. 1. 9.

Spiritualem autem appellamus sapientiam Religionis, ut hoc charactere distinguatur primo à sapientia σαρκικῇ carnali. 2. Cor: 1. 12. quæ etiam ψυχικὴ animalis dicitur, Jac. 3. 15. qua præditus homo ψυχικὸς animalis non capit illa, quæ sunt Spiritus Dei 1. Cor. 2. 14. quando homo πνευματικὸς spiritualis per sapientiam spiritualem dijudicat omnia. Deinde ut eodem charactere distinguatur à sapientia *Theologiæ naturalis* etiam considerata in originali sua integritate; quæ supponitur ad naturalem hominis perfectionem extra Dei cum homine Fœdus Spirituale potuisse sufficere: Hæc Spiritualis sapientia, naturalem illam excedit & superat, per supernaturalem Fœderis spiritualis ἐπισκηνῶσιν: à qua in Scholis obtinet nomen *supernaturalis Theologiæ.*

Succedit consideratio Objecti, circa quod Sapientia illa Spiritualis occupatur: quod est Deus in Fœdere revelat. Secus enim hic res se habet, quam in Theologia Docente, ubi Objectum diximus esse Hominem, per Doctrinam informandum à Deo: hic autem Objectum est Deus ab Homine cognoscendus & colendus. Ad cujus jam Objecti explicationem facient sequentes Hypotheses, Revelatio qua Deus se ipsum homini manifestat, alia est communis atque ἐξαιρετικὴ, alia solis Fœderatis propria: secundum illam Deus est Commune Objectum & Naturalis & Supernaturalis Theologiæ, videl. ut Essentia Unus, Creator, Gubernator, Judex: secundum alteram est Objectum proprium Religionis & Theologiæ supernaturalis, videlicet, ut cognoscitur personis tri-

nus

nus, hominem vocans Fœderis pacto ad Spem cœlestis beatitudinis.

Commune illud Objectum Deus Essentia Unus, Creator, Gubernator, Judex, quamvis ab inito Natura magistra disci potuerit: tamen in τύπῳ διδαχῆς Theologiæ supernaturalis docetur accuratius, solidius, ac certius, propter supernaturalis revelationis αὐθεντίαν. Quin ipsa illa sapientia, quæ venit nomine Theologiæ Naturalis, suam existentiam & primam originem, acceptam fert supernaturali revelationi. Quamvis enim dici soleat, Naturalis revelatio quæ Naturali Theologiæ proportionata est: non supponitur tamen, saltem non supponi debet, extitisse in prima hominis creatione, absque cumulo supernaturalis revelationis: neque de potentia in actum deducta fuisse per naturæ vires. Appellatio illa hoc tantum notat, illum revelationis gradum, qui communi illi objecto proportionatus est, esse secundum naturæ vires: seu ex naturali rationis potentia ac luce paulatim acquiri potuisse: Nequaquam tamen ille Sapientiæ gradus, eo pacto originaliter fuit acquisitus; Sed potentia rationis naturalis à Deo per se ac statim in actum deducta est, cum hominis creatione indito sapientiæ habitu ex gratiæ dono. Deinde non in illo sapientiæ gradu, qui est secundum naturæ vires, subtitit habitus ille; sed cumulavit Deus sapientiam originalem gradu illo supernaturalis perfectionis, ut homo etiam supra naturæ vires cognosceret Deum Trinum personis, ac gauderet Fœdere spirituali, per quod ipsi patebat aditus ad cœlestem beatitudinem.

Quamvis hęc ita se habent, minime tamen censeri debet vel ψευδώνυμον seu falsi nominis, vel inutilis, seorsim tractata ideæ & hypothesis illius Naturalis Theologiæ, quæ sufficere potuerat, ad naturalem hominis cum perfectionem, tum vitæ terrenæ felicitatem, qua discitur Deus Unus, Creator, Gurbernator ac Iudex noscendus & colendus. Hanc enim quamvis jam in tuderibus tantum & reliquiis spectatam, quæ manserunt in natura corrupta nec, ultra faciunt, quam ad ἀπολογησίαν, Apostolus nominat *Veritatem Dei & Sapientiam Dei à Deo revelatam* Rom. 1. 19. 25. 1. Cor. 1. 21.

Non impetrat itaque assensum Clarissimus *Amesius*, quando in

Medulla Theologiæ suæ lib. 1. cap. 2. §. 6. & in Disputatione Theologica singulari contra Metaphysicam, maxime *Thesi VII. §. 5.* hoc satagit, *ut Theologiâ in suis partibus rectè tradità, Metaphysica & Ethica sua sponte evanescant. Nihil*, inquit, *est veri & certi de Deo & rebus divinis lumine naturali notum, quod non cognoscatur etiam ex divina revelatione, & eo nomine tractari debeat in Theologia sacra &c.* Non aliunde rectius refellitur *Amesius*, quam suis verb. quæ eadem *Thesi VII.* præcesserunt *§. 4. Revelatio est quidem causa efficiens Theologiæ sacræ; sed non est ratio formalis eandem specificans, & ab aliis disciplinis essentialiter distinguens: Si enim alicui extra ordinem revelaret Deus Mathematicam aut ipsam Metaphysicam, non idcirco speciem suam exueret, & in aliam plane transiret, sed eadem plane maneret, quæ jam est, cum acquiritur naturali ratione.*

Proprium porro Objectum sapientiæ Theologicæ seu Religionis dicimus esse eundem Deum, sed cum hoc revelationis gradu, quod sit Personis Trinus, ac hominem vocet Federis pacto ad spem cœlestis beatitudinis, quòd jam venit explicandum.

Personarum Trinitatem ad Objectum proprium adstringimus, quod censeamus mysterium illud per naturæ etiam integræ vires, ex libro, speculo at theatro mundi fuisse impervestigabile: Ac judicemus temerarium esse illorum conatum, qui illius demonstrationem moliuntur Philosophicam. Arbitremur quoque non carere periculo nimis subtiliter quæsitas in natura creata Trinitatis imagines: in quibus nonnunquam plus nimio sibi indulgent Theologi pii aliàs & otthodoxi. Credamus tamen Deum personis Trinum non fuisse ignotum primo homini ante lapsum.

Maxime Proprium autem Objectum Religionis est Deus hominem vocans Federis pacto ad spem cœlestis beatitudinis. Cœlestem ergo beatitudinem homini in Fœdere promissam, quæ communiter tractari solet sub notione Finis in constitutione Theologiæ, nos ad notionem Objecti revocamus; hanc ob causam, quod Deus ἀναντῤῥήτως absque contradictione sit Theologiæ Objectum sub notione Summi Boni communicabilis: Jam Summi Boni communicabilis attributum intrinsecum est Vita Æterna, quod nos docet Johannes Theologus de Deo loquens ἀσιωδῶς & ὑπερεμπικῶς Epist. 1. cap. 1. v. 2. 3. & cap. 5. 20.

Quam

Quam ob causam qui non habent cum Deo Fœderis Spiritualis communionem dicuntur ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τοῦ Θεοῦ, abalienati à vita Dei Ep. 4. 18. Quia nihil aliud est Vita æterna nobis in cœlis promissa: quam plene consummata illa fruitio Dei, qui Æterna vita est, qua ipse erit omnia in omnibus. 1. Cor: 15. 18. Adeo ut liceat Objectum jam positum etiam his verbis enunciare cum Johanne, *Æterna Vita nobis patefacta*, scilicet sub spe fruitionis.

Jam Finis Sapientiæ Theologicæ occupatæ circa objectum illud Æternam vitam sub spe fruitionis patefactam, Finis, inquam, proximus & immediatus, cui habitus sapientiæ destinatus est, est stimulatio conscientiæ, secundum Dei in Fœdere revelati notitiam, ad Deum sancte colendum. Breviter verbis Pauli ζῆλον θεοῦ κατ' ἐπίγνωσιν *Zelus Dei secundum cognitionem* Rom. 10. 2. *Finis τῆς παραγγελίας est Charitas ex puro corde & conscientia bona, & fide non simulata.* 1. *Tim.* 1. 5.

Post definitionem Theologiæ, quâ Docentis quâ Utentis, veniendum ad partitionem & distributionem: in qua jam secus quam in Definitione, utriusque & Docentis & Utentis eadem est ratio τῆς ἀναλύσεως. Partitio gemina est; Una ex partibus quasi essentialibus duabus, puta quasi materiali & quasi formali: illud censemus esse cognitionem & cultum Dei consideratum nude citra Fidem & Spem Salvificam: ejus autem materialis formale & quasi animam statuimus cognitionis & cultus sanctificationem per Fidem & Spem Fœderi covenientem.

Altera partitio est ex Partibus quasi Integrantibus, quæ duæ sunt Θεογνωσία & Θεοσέβεια, hoc est, Cognitio Dei, & Cultus seu observantia Deo debita: quas Theologiæ & Religionis partes integrantes dictat omnino Scriptura sacra variis in locis 2. Tim. 1. 13. 1. Tim. 1. 19. Psal. 37. 3. Act. 24. 14. 15. 16. Tit. 3. 8. Quare censemus hanc partitionem convenire ad probam Systematis Theologici διχοτομίαν.

Obiter hic monebimus, tametsi titulum *Naturalis Theologiæ* in scholis fere sibi soli vindicet *Metaphysica*, neutiquam tamen isthac sola absolvi posse completam hypotyposin Theologiæ naturalis:

sed bipartitam debere constitui ideam illius ex Metaphysica scientia, & Prudentia, Ethica atque connexis Oeconomica & Politica, conflatis in unum systema præceptorum, ἀναλόγως bimembri partitioni Theologiæ supernaturalis, qua una cum cognitione Dei seu Fide docetur cultus Dei seu observantia. Vidit hoc *Cl. Amesius in Medulla Theologiæ lib. 1. cap. 2. §. 6. Ex duarum istarum*, inquit, *partium reliquiis duæ apud Philosophos quosdam enatæ sunt Theologiæ, Metaphysica & Ethica: Metaphysica enim est Peripateticorum Fides, & Ethica est eorum observantia; Hinc utrique harum disciplinarum illud tribuunt, quod summum hominis bonum tradat: &c.* Verum mirari licet, quomodo idem non viderit, se frustra esse, quando Metaphysicam scientiam vult plane eliminari ex disciplinarum albo, hoc argumento, *Metaphysicam esse disciplinam imaginariam, eo nomine quod fateatur se esse mere speculativam. Disp: singulari adversus Metaphysicam Thesi VII. §. 6.* Isthoc enim argumento nihil ultra efficitur, quam non esse ideam Theologiæ naturalis completam in sola Metaphysica absque disciplinis practicis.

Suppositа jam bimembri partitione illa Theologiæ supernaturalis in θεογνωσίαν & θεοσέβειαν; Determinandum est Problema illud πολυθρύλητον *An Theologia sit scientia mere Theoretica, an mere Practica, an Mixta: ac si Mixta, An præcipue practica, an præcipue Theoretica.* Non displicet ut dicatur Mixta; quapropter etiam Sapientiæ nomen adhibuimus in definitione, quæ ut monuimus & σύνεσιν & φρόνησιν Scientiam & Prudentiam in se continet. Opus ergo est tantum disquisitione ista, an præcipue Theoretica sit, an præcipue Practica. Qui inter Orthodoxos Theologos volunt esse præcipue Theoreticam zelo Orthodoxiæ hoc fatagunt, ne, quod omnino cavendum est ἡ εὐδαιμονία seu beata vita, sive hic inchoata, sive in cœlis consummata, obtinenda, in Christiana Religione dicatur opus seu πρᾶγμα nostræ εὐζωίας, quam nominare licet seu Prudentiam seu Artem bene seu pie vivendi, Cum Fides orthodoxa omnia τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν quæ ad vitam & pietatem faciunt, accepta ferat divinæ donationi 1. Cor: 2. 12. 2. Pet: 1. 3. Ex adverso Theologi Orthodoxi, qui præcipue practicam faciunt Theologiam, vel hoc faciunt in laxiori significatione

&

& communi, qua Practicas denominamus disciplinas illas, in quibus Theoria ad praxin ordinata est: Vel stricte intelligunt Practicam esse Theologiam utraque sui parte, ex illa hypothesi, quod ipsum τὸ credere sit voluntatis actus seu opus, quia *per actum credendi homo fertur ad Deum habendum*: quæ est sententia *Amesij, Medulla lib. 1. cap. 1. §. 9. 10.*

Nos illis accedimus, qui ita mixtam censent Theologiam, ut sit præcipue Practica: Attamen non impetrat assensum Amesius τὸ credere esse voluntatis actum seu opus; atque hoc sensu Theologiam Christianorum dicendam præcipue Practicam: Sufficit quod credamus Theologiã Theoreticam quam vocamus θεογνωσίαν, partem tantum esse integræ Theologiæ, nec censeri Salvificam, si ἀπὸ τῆς θεοσεβείας, quæ est Theol. Practica avellatur.

Quanquam neque hoc negligendum est θεογνωσίαν ipsam, per se etiam non quiescere in historica Theoria seu speculatione Dei: quemadmodum in historica Theoria rerum naturalium quiescit scientia Physica. Habet enim θεογνωσία spiritualem illam πραγματείαν, & ἐργασίαν, & πεϱιποίησιν, qua qui Deum novit, eundem sibi asserit, acquirit & lucratur, & in Deo ac cum Deo omnia quæ homini in bonum cooperantur. Quidni Christianorum θεογνωσία ab hac πραγματεία, ἐργασία & πεϱιποίησει per se quoque denominetur Practica? Quamvis insanus sit, qui Deum περιποίητον seu acquisitum nobis, velit facere πόιημα nostrum: aut περιποίησιν ipsam Dei & donorum ejus opus voluntatis nostræ: nos αὐτοῦ ἐσμεν πόιημα. Eph. 2. 10. Et acquisitio juris illius quo Deum in Christo nobis asserimus atque in Deo diteſcimus non est τοῦ θέλοντος Volentis hominis Rom. 9. 16. Acquisitio juris in humanis possessionibus ut ex Jurisprudentia, quin experientia, certissimum est, citra ullum laborem aut opus voluntatis conficitur in Donationibus & Hæreditate legata vel relicta, & tamen recte dicitur περιποίησις, Lucrifaciunt Mercatores etiam quando ipsis sæpe nihil agentibus & dormientibus augetur mercium quas jam asservant valor & precium: dicitur tamen

Lu-

Lucratio illa & Fœneratio ἐργασία ex loquendi usu.

Enimvero potissimum hoc sensu dicendum censemus Theologiã esse præcipue Practicam, quod Θεογνωσία illa, quę Deum ex Fedre nobis asserit, ut Deum nostrum à Theologia mere Theoretica, quæ ἀδόκιμος est, in nostri examine, quo nos ipsos jubemur explorare, discernatur hoc charactere, quod conscientiam stimulet ad Θεοσέβειαν seu cultum Dei & observationem mandatorum ejus, 1. Joh. 2. 3. 4. 5. *Per hoc scimus nos eum noviße si mandata ipsius observemus: Qui dicit novi eum & mandata ejus non servat, mendax est, & in eo veritas non est &c.* Ea propter merito in definitione Religionis Finem statuimus illam conscientiæ stimulationem ad Deum sancte colendum secundum Dei in Fedre revelati notitiam. Quod serio cogitandum omnibus, qui Religionem amare se profitentur: & vel maxime juventuti, quæ studia sua consecrat Theologiæ, ne quis se existimet inani cordis sui deceptione Religiosum esse, nedum Theologum evasisse, qui præter scientiæ Theoreticæ sublimitatem in omnium mysteriorum notitia, ac de iis disputandi & adversarios convincendi subtilitatem & solertiam, nihil acquisiverit: audiat ille monentem Apostolum, *Si habeam*, inquit, *Prophetiam, & noverim mysteria omnia, omnemque scientiam: charitatem autem non habeam, nihil sum*, 1. *Cor.* 13. 2.

Flagitat ratio institutæ hujus dissertationis, ut progrediamur à Theologiæ & Religionis partitione ad ejusdem Distributionem, qua instar Generis in suas quasi Species dispescitur. Arcessenda est illa Distributio ex gemina differentia Federis Dei cum homine Spiritualis. Prior est differentia Federis operum ante lapsum, & Federis Gratiæ post lapsum: Hinc manat Theologiæ & Religionis distributio in *Theologiam Legalem Originalem*, quæ fuit in statu hominis integro ante lapsum: & in *Theologiam Euangelicam*, quæ Legali antiquatæ successit, ex quo Deus cum homine lapso Fedus instauravit, per promissionem de Redemptore Christo. Altera est Differentia Veteris & Novæ œconomiæ Federis Gratiæ: illam intelligimus ante, hanc post Christum Redemptorem in carne exhibitum.

Ex gemina ista Federis differentia manavit vulgata trimembris distributio Theologiæ & Relioginis in *Naturalem, Mosaicam & Chri-*

Christianam, ἀναλόγως scilicet *Federi Naturæ Legis & Euangelii*: De qua distributione erit operæ precium instituere disquisitionem paulo accuratiorem: ac indicium facere, quid illa in merito desideremus, quod fiet per sequentes hypotheses.

Fedus operum ante lapsum vocamus Originale, Theologiam similiter ac Religionem Legalem in Federe illo Originalem appellamus. Naturalis Federis & Naturalis Theologiæ ac Religionis nomine hic abstinemus: quia Naturalem Theologiam jam supra docuimus, nominandam & tractandam tantum eo nomine, quod existere potuisset: Fœdus autem Naturæ habemus pro Non ente; quia Federis promissio absque qua nullum constat Fedus, fuit supernaturali etiam ante lapsum.

Post lapsum Omnis etiam, Vetustissima Theologia & Religio vera ab Adamo ad posteros propagata fuit supernaturalis & quidem Euangelica: atque ea propter nec ad Fedus operum Legale, quod lapsu Adami antiquatum est, spectavit, sed ad Fœdus Gratiæ promissionibus de Christo Redemptore sancitum: Fuitque illa Vetustissima Patriarcharum primorum Religio eadem cum Theologia & Religione Mosaica, & in fundamento illo quod est Christus, & in ritibus Sacrificiorum institutis ad fovendam Spem & fidem promissionum de Christo venturo. Adeo ut ubi Religio Mosaica contradistinguitur Religioni Christianę κυρίως dictę; sub Veteri Mosaica comprehendi debeat quoque per Synecdochen Vetustissima illa Religio ab Adamo ad Mosem.

Vetustissima illa Religione vera salvati sunt ante Noachum & post eundem usque ad constitutam in terra Canaan Rempublicam Judaicam, quotquot salutem adepti sunt, vel in genealogia Christi, vel extra illam in aliis nationibus & Gentibus.

Constituta in terra Canaan Repub. Judaica censemus coaluisse Religionis societate cum Ecclesia Judaica propagata ex lumbis Jacobi, saltem circumcisos Abramidas ex Kethura nominatim oriundos, qui habitatione extra terram Canaan permisti manserunt Gentibus idololatricis, rariores vel frequentiores, prout vel æquiores vel iniquiores experiebantur in Gentibus illos, qui imperio potiebantur: ac præter illos aliquas forte etiam Vetustissimæ Ecclesiæ non circumcisæ reliquias, ex quibus facti proselythi, accepta circumcisione. Per illas Ecclesias habitatione Gentibus permistas

radiavit Lux veræ Theologiæ & Religionis etiam extra terram Canaan, ubi alias prævalebat Gentilismus apud rerum Dominos. V. G. apud Ninevitas tempore Jonæ Prophetæ: Nos enim, salvo aliorum judicio, non existimamus Deum missurum fuisse Prophetam suum ad illius sæculi Gentiles, si non inter illos habitassent Abramidæ, aliique religione Judæi.

Habitatione illius Ecclesiæ Gentibus permistæ terminos videmur verisimiliter posse statuere in illo orbis terrarum quasi umbilico; qui à Mari Mediterraneo, trajecto Jordane, Orientem versus per Assyriam excurrens linea ducta à Mari illo ad sinum Persicum, à Sinu Persico ad Mare Caspium, à Mari Caspio in pontum Euxinum, inde orbem redi à Meridionali ad Septentrionalem terminum Maris Mediterranei: In illo enim tractu à confusione linguarum Babylonica, porro radices egit & propagata est Heberi posteritas: à quo Hebero Semi pronepote, nomen censemus accepisse linguam sanctam ac Hebræam dictam. Potiorem enim hic judicamus Josephi ac Hieronymi sententiam, docte vindicatam à *Clar. D. Rivetoin Exercitationibus in Genesin*: quam alteram Rabinorum Origenis & Augustini, quam tenuit *Clar. Erpenius*, qui existimarunt primo Hebræorum, deinde Hebrææ linguæ appellationem arcessendam à Jordanis trajecto, adeoque linguam Hebræam origine sua non fuisse Hebræorum, sed Cananæorum olim habitantium in illo Asiæ litoralis tractu, qui est inter Jordanem fluvium & mare Mediterraneum. Non arbitramur conveniens ut à Chami posteritate ad Gentilismum prolapsa, linguam sanctam didicerit posteritas Semi & Heberi: Verbum enim Dei olim factum est lingua sancta ad Patriarchas illos, quos non passus est Deus involvi desperatæ ad Gentilismum Apostasiæ: ac fuit linguæ vetustissimæ propagatio & conservatio character propagatæ & conservatæ Religionis & Ecclesiæ Veteris. Quamvis nolimus negare, à prisca puritate cum lingua etiam religionem varie degenerasse, ut Reformatione opus fuerit: quemadmodum de polluta religione res manifesta est in familia Abrahami Josuæ 24. Interim Ecclesias illas quamvis pollutas non arbitramur pari loco habendas fuisse cum Gentilibus Cananæis: quemadmodum hodie non pari loco habentur Christiani quorum religio impurior est, cum hostibus

bus Christiani nominis, Paganis, Turcis, Judæis.

Negamus ergo unquam factum, quod per oscitantiam aliqui etiam magni nominis Theologi scripserunt, ut stante Iudaismo Deo placuerint in aliis Nationibus & populis Gentiles aliqui pii, per naturalem tantum θεογνωσίαν, & θεοσέβειαν, saltem non edocti Theologiam supernaturalem per auditum Verbi Dei; vel si Verbo & Prædicatione Prophetica vocati essent ad veram Religionem & imbuti Vera supernaturali Theologia, qui non sint facti Proselythi accepta circumcisione, sed manserint circumcisi.

Hic censemus nimis faciles esse, qui adoptant Iudaicam Traditionem, *de Theologia filiorum Noachi* septem præceptis comprehensa, de quibus videndus *Augustinus libro* 18. *de Civitate Dei cap.* 47. Item, *De Theologia Proselytorum* juxta Targum Ruth. Quam utramque Theologiam recitat *Schindlerus in Lexico Pentaglotto ad voces* נור & עור. Non est ab Hebræorum Rabbinis discenda ne Veteris quidem Mosaicæ, nedum Vetustissimæ ante Mosem Theologiæ & Religionis veræ ac Deo acceptæ idea: Sed standum est sola Scripturarum demonstratio.

Nominatim *de Ninevitis* Jonæ prædicatione conversis sic arbitramur Ninevitis Gentilibus permistos habitasse & quidem frequentiores, circumcisos si non Iudæos, saltem Abramidas aliosque socios Religionis Judaicę, qui si non gregatim, domatim saltem coluerunt Deum verum Israelis. Atque in illis censemus efficacem fuisse etiam adveram & salutarem conversionem, Jonæ prædicationem: Illorum exemplo perculsos quoque fuisse metu imminentis exitii à Jona denunciati & Regem & urbem reliquam, ut cum illis hisce conformarint in exteriori saltem conversionis seriæ μορφώσει, quos de cætero relinquimus Dei Judicio, redierintne ilico omnes & Rex & subditi ad Gentilismi & impietatis prioris vomitum; an vero illorum aliqui, versa & salutari quoque conversione Gentilissimo valedixerint, quæ vera & salutaris Gentilium conversio si sequuta est Jonæ prædicationem, non illam acceptam ferimus uni illi prædicationi, quæ nihil sonuit præter Ninives excidium, sed Traditioni inter Abramidas παραδεδομένῃ, & Scripturæ Mosaicæ; nec ante aliis Ninevitis inauditæ, neque si illos tangeret cura quærendi Deum Abrahami inaccessæ, per quam

erudiri potuerunt in Vera Theologia & Religione ac proselyti fieri.

Ex hypothesibus jam positis concludimus Religionem & Theologiam Veteris populi, ante & post Mosem uniformem fuisse in fundamento Cognitionis & Cultus Dei, quamvis fuerit πολύτροπος & πολυμερής exterior œconomia, aucta paulatim promissionis salutaris luce, & postmodum circumcisione in familia Abrahami primo instituta ut Sacramento domestico; mox quatuor sæculis post imperata toti Ecclesiæ: nec non instituto ordine Sacerdotii Aaronici. Deinde in Fundamento illo quod est Christus, Unam esse omnem salutarem Theologiam & Religionem post lapsum atque eandem cum Christiana Theologia, quippe in qua nihil est Antiquarum (præter τὴν σωματικὴν γυμνασίαν exercitationem corporalem olim imperatam circa umbras rerum futurarum) nec de Antiquissima post lapsum, neque de Antiqua Mosaica Theologia & Religione.

Enimvero Christiana Theologia Κυρίως dicta, & Novæ Fœderis œconomiæ conveniens, illa demum est, cui apud Christianos Κυρίως destinatur ac consecratur docentium labor & discentium studium, in Theologiæ ἐπιστρώσει: quippe Christiana Theologia probe intellecta, discitur una opera Antiquissimæ post lapsum Theologiæ & Religionis nucleus; relicto Judæis carnalibus cortice τῆς σωματικῆς γυμνασίας, præter quem corticem nucleo cassum hodiernus Judaismus nihil fere reliquum habet supernaturalis Theologiæ: ejuratâ apud ipsos Fide & cognitione Dei personis Trini, odio Christi redemptoris, Qui Judaismus consequenter, ut hodie non est, ita nunquam fuit Vera Religio.

Christianam illam Religionem itaque operæ precium erit jam appropriate hic definire. *Est itaque Theologia seu Religio Christiana, Sapientia Spiritualis per notitiam Dei Redemptoris, jam per Christum exhibitum reconciliati, ac nobis obsignantis firmam spem vitæ æternæ jam quæsitæ, conscientiam stimulans ad gratitudinis demonstrationem in cultu & observantia Deo debita.*

Initio in Theologia Christiana manent ex Theologia Legali pri-

orignali, axiomata veritatis & principia Theoretica de Deo uno essentia, Creatore, Gubernatore, judice, personis Trino, ac de promissa cælesti beatitudine, quibus principiis Theoreticis in prima Creatione constabat vera θεογνωσία; sicut eadem manserunt in Theologia Federis post lapsum instaurati ante Christum.

Deinde manet ex vetustissima post lapsum & veteri Mosaïca religione Objectum illud θεογνωσίας, mysterium de Deo redemptore per Christum.

Sed accessit cumulus ille divinæ φιλανθρωπίας, & ultimus ejus perfectionis gradus, quo ulterior exhiberi non potuit, poteritve homini viatori 1. Ioh. 3. 1. cum Tit. 3. 4. Christi olim promissi exhibitio, & reconciliationis per ipsum plena consummatio, ac per illam jus ad vitam æternam quæsitum, ejusque spei firma obsignatio.

Rursus si spectes in Religione Christiana θεοσέβειαν manet ἀμεταμελήτως & perseveranter, idem quod fuit ab initio objectum τῆς θεοσεβείας imperatæ, seu σέβασμα & Numen, Deus essentia unus, Personis Trinus. Pariter manet ἀμεταμελήτως, primigenia norma ac Canon τῆς θεοσεβείας Lex Dei moralis, quæ docet Charitatem Deo & proxima debitam.

Tamen antiquata est Theologia originalis legalis spectata in suo formali, quod constabat conventione illa Federis operum, juxta quam per justitiam propria ex operibus quærendum erat jus ad promissam beatitudinem cœlestem obtinendam: Eapropter in præceptorum Theologiæ Christianæ systemate suo quidem loco directe traduntur mandata Legis: sed Theologia illa Legalis cognitioni mandatorum olim superaddita ad Justificationem ex operibus Legis, non traditur directe, sed tantum κατὰ μνήμην quatenus ejus recordatio utilis est & necessaria ad desiderandam & rite æstimandam Euangelicam gratiam redemptionis.

Vetustissima autem ante Mosem & Vetus Mosaïca Religio post lapsum, dicere cœpimus, tantum antiquata est quoad Legem & mandata τῆς σωματικῆς γυμνασίας Pædagogica, quibus Deus volebat foveri spem Redemptoris venturi. Quapropter etiam ad

præceptorum Theologiæ Christianæ systema directe non facit accessio illa τῆς θεοσεβείας veteris qua aucta & onerata erat obedientia Legis Moralis, jugo Legis Cæremonialis; sed eò indirecte tantum refertur; nec alium usum habet, quam ad rite æstimandam libertatem Christianam, qua etiam ex illa Pædagogica servitute Legis Cæremonialis emancipati sumus. Accessit autem ad τὴν θεοσέβειαν Veteris religionis in Religione Christiana, intensior stimulatio conscientiæ ad exhibendam Deo gratitudinem, Stimulatio enim ad gratitudinem olim tenuior & obscurior erat, quando spes tantum fovebatur beneficii redemptionis olim præstandi, atque exspectabatur Gratia promissa quàm nunc postquam Gratia & Veritas per Christum facta est.

AD protheoriam de Theologia hac dissertatione à nobis institutam pertinet Problema unum atque alterum quod breviter subjungemus. Prius esto de Spiritus S. Adoratione; de qua impie controversiam movent Ecclesiis Reformatis qui ex nobis nuper egressi sunt: *Fueritne Persona Spiritus sancti Adorata olim in Religione Mosaica; atque an Adorata sint in Ecclesia Apostolica?* Nos alibi in *Sacrificiorum Patriarchalium schola* demonstravimus: 1. ex collatione testimonii Esajæ Prophetæ de irritato ab Israelitis Spiritu S. cum historia irritationis Esai. 63. 10. & Num. 14. 13. Spiritum sanctum à pie sacrificantibus & à Mose intercedente pro populo cultum & adoratum fuisse.

2. Probavimus similiter (ex Christi assertione illa qua docet Matt. 23. 18. 19. 20. jurantem per altare, velit nolit jurare per Deum qui major est Altari:) fuisse supra altare in victimarum ἐμπυρισμῷ. Majestatem Spiritus S. quia character Spiritus S. in illo ἐμπυρισῷ quasi Baptismo ignis notatur & Iohannis Baptistæ prædictione, Matt. 3. 11. & in ipsa effusione solenni Spiritus S. super Apostolos in die Pentecostes. Act. 2.

3. Indicavimus quoque à Paulo ad Hebræos cap. 9. ubi loquitur de Templi veteris κατασκευῇ, Spiritum S. nominari ut κατασκευῆς illius causam architectonicam, seu τεχνίτην: adeo-

adeoque Dominum Templi in Templo habitantem. commate. 8.

4. Probavimus denique Novo Testamento à Prophetis & Doctoribus Antiochenis adoratum fuisse Spiritum S. & in liturgia ordinaria, quia ille λειτουργίας cum imperio interpellavit de mittendis Apostolis; & in negotio extra ordinem imperato; quia Spiritus S. narrantur obsequuti, ac separasse & stitisse ipsi, cum jejunio & precibus peracta manum impositione, Apostolos ab ipso mittendos. Act. 13. 1, 2. 3.

Alterum Problema est: *An in Relig. Christ. Christus adoretur quà Mediator*, quo Problemate duo continentur quæsita, quantum videri possit unum & simplex. Prius est inter ipsos Antitrinitarios controversum, qui litigant an humana Christi natura facta sit & cœperit esse in tempore Christianorum σέβασμα seu Adorationis & cultus religiosi objectum, juxta Unum verum Deum: quod Ariani negant, Sociniani affirmant, ac ne habeantur hoc nomine idololatræ quod adorent ψιλὸν ἄνθρωπον, tuentur se hac limitatione, quod illum adorent non quâ Homo, sed quâ Mediator est. Alterum quæsitum est, de quo variant Orthodoxorum opiniones: An τὸ ὁμοούσιον Deitatis in Christo, seu persona divina, quam adorabilem & adorandam, ut Christianorum σέβασμα unanimiter affirmant, possit esse cultus & adorationis objectum sub illa ratione formali, quâ Mediator est.

De priori quæsito respondemus breviter, In Christi natura humana per se in abstracto considerata, utpote creaturâ, neq; est Objectum materiale cultus Religiosi, neque consequenter aut ratio formalis quę, aut ratio formalis qua seu per quam ipsa sit adorabilis aut adoranda. Ea propter Antitrinitarii litigantes de Christo ipsorum ψιλῷ ἀνθρώπῳ adorando aut non adorando bifariam disputant de Non Ente: 1. quia ψιλὸς ἄνθρωπος ἁπλῶς non est adorandus: frustra ergo quæritur sub quo formali sit adorandus: 2. quia ψιλὸς ἄνθρωπος absolute ἁπλῶς non est Mediator, frustra ergo adoratur sub ratione formali, quæ non inest.

De posteriori quæsito sic arbitramur: in Christo Mediatore secundum Scripturas θεανθρώπῳ, τὸ ὁμοούσιον Deitatis & Persona divina est ratio formalis *quâ* (seu *per quam* Christus est adoran-

randus, ut προσδιορισμὸς quâ, in Thesi illa Christus adorandus est *quâ Deus*, possit explicari hoc synonymo *quâ parte Deus est*. 2. Christus Mediator est secundum utramq; naturam, consequenter etiam qua Deus est. 3. quamvis natura humana Christi suas in Mediatorii muneris functione partes sustinuit in forma servi: attamen Mediationis nomine venit κυρίως Gratia Filii Dei se donantis nobis Sponsorem & Fidejussorem; quæ Gratiæ, & naturæ ordine, & temporis circiter 4000. annorum intervallo, prior est forma servi assumpta cum carne humana.

His Hypothesibus subnixi censemus τὸ ὁμοούσιον Deitatis & personam divinam Christi esse Christianorum σέβασμα colendum & adorandum sub illa ratione formali qua Mediator est: nec ea tamen parte Novam esse Christianam religionem, aut novo cultu actam; quod in gratiam Socinian. volunt Remonstrantes, ut scil. illos liberent ab idololatriæ Categoria. Pro Christi Filii Dei sub illo formali qua Mediator est Adoratione, facit evidenter Apostoli illa exhortatio Hebr. cap. 4. v. 14. 15. 16. qua exhibet illum sedentem in throno gratiæ ut Pontificem magnum, quem hoc intuitu invocemus cum fiducia exauditionis, quod in se habeat etiam humanæ commiserationis viscera; per quæ ut in omnibus similiter tentatus, afficiatur ut misericors Pontifex infirmitatum nostrarum sensu: hujus humanæ commiserationis viscera in Christo solicitare ἀδύνατον est, si non adoratur sub illo formali quo Pontifex & Mediator est.

LECTORI CANDIDO S.

Breviori posteriorii Problematis Determinationi subjungimus paulo diffusiorem (ex Epistola olim 3. Iulii, 1638. scripta ad Amicum & ἰσόψυχον olim in Ministerio Collegam, qui aliquo modo diversum à nobis abiit) ut symbolam amice collatam ad majorem illustrationem Veritatis communis nostri depositi. Tu lege & judica, ac si noviſti rectius istis, Candidus impertii.

DETER-

DETERMINATIO QUÆSTIONIS *An Christus quâ Mediator sit adorandus.*

VAriis studiis variè agitatur hæc quæstio, quâ inter Orthodoxos, quâ Anti-Trinitarios. Anti-Trinitarii quidem inter se confligunt, Ariani contra Socinianos, qui utrique inficiantur Christum esse naturâ Deum: & quia ipsis naturâ Deus non est, Ariani negant Christo religiosam adorationem deberi: Socciniani contra, quamvis non sit naturâ Deus, tamen religiosam adorationem Christo tribuendam censent, quâ Mediator est. *Vide Disputationem Socini de adoratione Christi contra Christianum Francken & Franciscum Davidis. Racoviæ 1618.*

2. Orthodoxi communi consensu contra utrosque probant ex scripturis Christum esse naturâ Deum, argumento ducto ex adoratione religiosa, quâ & ab angelis, & ab hominibus adoratur Heb. 1. 6. Joh. 5. 23. quæ esset idololatrica, si ipse non esset naturâ Deus, sed tantum caro seu ψιχὸς ἄνθρωπος. Gal. 4. 8. Ierem. 17. 5. Quia adoratio religiosa debetur tantum uni vero Deo juxta Scripturas Deut. 6. 13. 10. 20. Matt. 4. 10. Lucæ. 4. 8. Apoc. 19. 10. 22. 9. Quapropter ut ab Arianis censent merito Socinianis tribui idololatriam: ita sacrilegam judicant Arianorum perfidiam, qua Christo denegant religosam adorationem.

3. Enimvero contra classem hanc argumentorum, quæ petuntur ab adoratione religiosa Christi, pro æternâ Christi Deitate sic argumentantur Socciniani: Si adoratio tribuitur quâ Mediatori, non tribuitur illi Christo quâ Deus est patri ὁμοούσιος. Sed verum prius. Ergo.

De cujus argumenti solutione dum laborant Orthodoxi, atque alii censent negandam syllogismi istius hypothetici propositionem

minorem, alii autem majorem; enatum est præsens Problema, An Christus quâ Mediator sit adorandus, Quod Stancarismi etiam occasione disputatum videre est inter *consilia & responsiones Melanchthonis* anno 1556. pag. 242. Vbi Melanchthon *Sophistis quibusdam* adscribit, quod *contendunt Christum nunc post passionem non invocandum esse ut Mediatorem seu intercessorem, sed tantum ut Deum datorem bonorum: Et nolunt dici, Fili Dei Domine Iesu Christe intercede pro me apud æternum patrem.* Inter Orthodoxos elucet Zanchius, qui *de tribus Elohim.* part. 2. libr. 3. cap. 12. operum Tom. 1. pag. 498. sic pronunciat, *Non enim invocatur ut Mediator, sed ut Deus.* Atque sic in syllogismo Socinianorum neganda esset minor. Nos potiorem censemus illorum responsionem, qui negant majorem propositionem: Atque credimus non pugnare, ut Christo tribuatur adoratio religiosa, quâ Mediator est, & ut illi eadem adoratio tribuatur, quâ Deus est patri ὁμοούσιῳ.

4. Remonstrantes, qui videri volunt idem dicere, puta Christum adorandum esse, quâ Deus est; & quâ Mediator est; hic prævaricantur pronunciantes *æquissimum esse omnino ut argumento isto plumbeo* (Christum idcirco Deum esse æternum, quia adorandus est) *amplius non pugnemus*, scilicet *ne res certissima nitatur præsidio frigidæ probationis* Apol. cap. 16. pag. 155.

Ac profitentur *se judicasse, à cultu divino argumentum irrefragabile ad probandam æternam filii Deitatem, petu non posse, quia ex scriptura didicerunt Deum patrem Christo Filio suo quatenus θεάνθρωπῳ Mediator, Homo, Filius Dei & filius hominis in una eademque personâ est, Deus denique manifestatus in carne, cultum & honorem divinum gratificatum esse. Impossibile autem est, inquiunt, ut concipiatur, Deum filium suum Iesum dignatum esse honore isto in tempore, si ratio adorationis, quæ Christo Mediatori tribuenda est, sit tantum divina ejus natura, quam per generationem à Patre ab æterno habuit.* Apol. cap. 2. pag. 50. 51.

5. Non potest censeri argumentum plumbeum & probatio frigida, qua ex cultu adorationis religiosæ Christo debitæ probatur æterna ipsius Deitas, & τὸ ὁμοούσιον, absque Theologiæ Socinianæ gangræna ista: non esse in adorationis negotio standum Lege Veteris Testamenti de uno Jehova vero Deo Israëlis adorando: sed esse primum præceptum nova accessione auctum; ut juxta

unum

unum illum verum Deum Israëlis novè adoretur Mediator Christus: quam gangrænam olim observavimus in *Homiliis Poppii Homil. 3. in Ioh. 17. 3.* ubi sic disserit, *Christus*, inquit, *Deo adjungitur, & unus idemque cultus attribuitur Deo & Christo: Hoc non pariter invenitur in veteri Testamento, sed Euangelio proprium est; In Veteri Testam. dicitur, Diliges Dominum Deum tuum, (Deut. 6. 4.) quod Christus verba isthæc ad eundem modum citat, Matth. 4. 10. & aliis locis, facit cum respectu ad Testamentum Vetus. At in novo Testamento dicitur. Cognosces unum illum verum Deum, & quem ille misit Iesum Christum Ioh. 17. &c.*

Orthodoxa autem sententia est non esse id tantum populo Veteris Testamenti, sed nobis quoque dictum, quod illis imperatum fuit, de uno vero Deo adorando Deut. 6. 4. & à Christo repetitum Matth. 4. & alibi. Ampliationem autem ejusmodi novam veteris præcepti, qua Christus aliquis olim non adoratus. Jam Deo adjungatur in adorationis objecto, ut novum σέβασμα N. T. fingi non posse absque idololatria, quæ illo præcepto vetita est. Omnino ergo vindicandum est, ut minimè plumbeum, argumentum illud ab adoratione Christi religiosa sumptum pro confirmanda æterna Christi Deitate. Atque ad rectam istarum vindiciarum ἐγχείρησιν, necessarium est ordiri ab Hypothesibus de adorationis objecto, ejusque ratione formali; quæ deinde ad præsens Problema de Christo adorando quâ Mediator est applicentur.

6. Adorabilitas quamvis concipitur esse in Deo ab æterno, non tamen concipi vel cogitatione fingi potest aliter, quam per modum attributi respectivi, quod Deo tribuitur in ordine ad creaturas, & intercedente quadam actione earum, ita ut simul sint in scientia visionis divinæ Deus adorabilis, & adorans creabilis, & ad orationis actio possibilis.

7. Neque in ordine ad quamvis creaturam Deo tribui potest Adorabilitas: sunt enim tantum duæ naturæ creatæ Angelica & Humana, in ordine ad quas Deus potest dici adorabilis & adorandus.

8. Hinc consequens est adorabilitatem non esse in suo conceptu formali omnino idem cum excellentia & Majestate singulari, summa, & independente æternæ Deitatis, per quam Deus est supra omnem creaturam. Sed adorabilitatem notare specificè Do-

minium Dei spirituale in creaturam intellectualem, cujus titulo adoratur in spiritu, ut pater Spirituum, Joh. 4. 24. Heb. 12. 9.

9. Quando Deus, quâ Deus dicitur adorandus προσδιόρισμος ille, sive τὸ *quâ* non potest explicari per synonymum, *qua parte*, seu *qua ex parte*: quia id propter summam Dei simplicitatem, quæ nullam admittit analogiam cum Toto integrali, non est Θεοπρεπής. Determinat autem τὸ *quâ* in Deo nihil instar partis; sed tantum in nomine Deus æquivocè usurpato contradistinguit unum verum Deum τοῖς λεγομένοις Θεοῖς: ut hic intelligatur adorabilis & adorandus, non quâ dicitur, sed quâ est Deus: æquipollet itaque exclusivæ *solus*, ut ab adorationis objecto excludatur quicquid non est natura Deus.

10. Quia unaquælibet persona Trinitatis est naturam Deus, juxta definitionem Catholicæ fidei in symbolo Athanasii, τὸ σέβασμα, ut natura unum, ita Personis Trinum est: ἄστε κατὰ Πάντα, καὶ τὴν μονάδα ἐν τριάδι, καὶ τὴν τριάδα ἐν μονάδι σέβεσθαι δεῖ: *ita ut per omnia & unitas in Trinitate & Trinitas in unitate colenda sit.*

11. Videtur ergo temeraria ἀκριβολογία illa, si propter axioma illud, Deus qua Deus adorandus est, in adorationis objecto contradistinguas naturam, ut sic, Personæ qua talis? atque asseras *Personam patris aut Filii aut Spiritus Sancti religiosè colendam non qua Persona talis, sed quâ Deus est.*

12. Quando Christus dicitur adorandus quâ Deus est. τὸ *quâ* optimè explicatur συνενόμας per τὸ *quâ parte* seu qua ex quo incarnatus est Christus, analogiam habet persona ejus cum toto integrali, cujus quasi duæ partes integrantes sunt duæ naturæ, Divina & Humana ὑποστατικῶ unitæ.

13. Non magis autem committit ἀκυρολογίαν, qui dicit Christus adorandus est, qua est partis filius unigenitus, quam qui dicit Christus adorandus est, qua Deus est.

14. Quando προσδιορισμὸς ille, seu τὸ *qua* accedit ad τὸ Mediator, non potest rursus explicari per τὸ *qua parte*, seu *qua ex parte*, quemadmodum explicatur quando Christus dicitur adorandus quâ

quâ Deus est. Synonymum enim illud *quâ parte*, seu *qua ex parte*, quod ibi flagitat analogia cum Toto integrali, hic nemini potest in mentem venire, nisi qui cum Stancaro uni tantum naturæ humanæ voluerit asserere munus Mediatoris.

15. Est ergo extra præsentis problematis terminos, in quo quæritur, An Christus quâ Mediator sit adorandus, consideratio rationis formalis *Quæ* & rationis formalis *Quâ* seu *per quam* in objecto adorationis, sed tantum agitur de ratione formali *sub quâ*, quæ rationem formalem Quæ & Quâ præsupponit: hoc est, agitur de unica *ratione formali objecti, ut objectum est*, quæ rationem formalem ex parte rei, ut res est, prærequirit.

16. Ab his hypothesibus progrediamur ad præcognita de Mediatore, quid præcisè dicat τὸ Mediator & Mediator. τὸ Mediator non dicit præcisè Christum factum hominem atque sic indutum forma servi, factum sub lege, Patri subjectum ad adorationis δουλείαν seu λατρείαν. Fuit enim Christus Mediator quater mille annos plus minus, antequam subjectus fuit, aut factas est minor, inæqualis Patri, Patris servus.

17. Toto illo tempore Mediatio constitit illa Gratia Dei Filii, qua se statim à lapsu Adami in Fœderis instauratione stitit Fœderis ἔγγυον sponsorem, ac vadimonium obiit. Quæ gratia Christi ejusque actio, illa puta fidejussio apud patrem fuit gratia non hominis, sed Dei magni & Servatoris: adeoque evincit τὸ ὁμοούσιον: propter illa testimonia scripturæ quibus præter se neminem esse servatorem testatur olim unus verus Deus Israëlis Esai. 44. 2. 45. 15. 17. 21. Hos. 13. 4. &c.

18. Fidejussio illa, quæ (ut utamur in hoc argumento verbis Melanthonis) *non est certi temporis, neque tantum ad tempus humilitatis pertinet, sed etiam fuit ante assumtam naturam humanam*, quantumvis dicat aliquam Personæ Filii sub Patre subordinationem voluntariam & œconomicam juxta præordinationem æterni consilii Dei, qua Christus προεγνωσμένος fuit ad munus in tempore obeundum: non dicit tamen ullam subjectionem, cujus nomine Filius Dei debuerit in fidei objecto contradistingui primo efficienti & ultimo fini, primo ac summo, vero ac bono infinito æterno, aut primo & supremo auctori, seu causæ efficienti omnis boni &

salutis, ut causa ministra & instrumentalis: erat enim fide jusso illa gratiosa tantum συγκατάβασις personæ divinæ existentis in forma Dei, non humiliatæ neque exinanitæ.

19. Tunc demum capit Christus agere cum subjectione ut causa Ministra & instrumentalis obediens causæ primæ & principali, quando in plenitudine temporis factus homo habere cœpit naturam creatam, tanquam adjunctum instrumentum, quod intimè in sua persona gestat, illud perficiens, & per illud hominem redimens.

20. Quantumvis autem ex illo tempore ad exequutionem muneris à Patre mandati Christus in Mediatione agat, secundum naturam humanam cum subjectione, ut causa ministra instrumentalis obediens causæ primæ & principali: Ipse tamen, si spectes actionum illarum apotelesma, earundem in se causa prima est, instrumentalem causam elevans & perficiens ac per illam hoc agens. Quo nomine Orthodoxi omnes actiones Christi Mediatoris, ex quo ipse fuit θεάνθρωπος vocant *Theandricas*. Et Calvinus adeò non veretur asserere *Christum esse Mediatorem quatenus Deus est*: ut contrarium pronuntiare dicat prorsus esse diabolicum: *in explicatione perfidiæ Valentini Gentilis Tract. Theol. editionis Sanctand. 1576.* pag. 918.

21. Ad problematis ergo determinationem ut proprius accedamus, dicimus: quamvis quæsitum illud, An Christus quâ Mediator sit adorandus, videatur prima fronte unum & simplex, in quo subjectum unicum sit Christus, cum limitatione illa, quâ Mediator est; prædicatum autem τὸ adorandus: Revera tamen duo sunt quæsita, propter dissidentes Orthodoxorum & Anti-Trinitariorum hypotheses de persona Christi. Anti-Trinitariorum hæresis flagitat, ut hoc sit inter ipsos quæsitum, An humana Christi natura facta sit, & cœperit esse in tempore, juxta unum verum Deum adorationis religiosæ objectum, sub illa ratione formali sub quâ Christus est Mediator. Rursus Orthodoxorum hypotheses flagitant ut hoc sit inter ipsos quæsitum: An quod omnium confessione in Christo adorandum & adorabile est τὸ ὁμοούσιον Deitatis seu persona divina, possit esse adorationis objectum, sub illa ratione formali, quâ Mediator est.

22.

22. Ad prius quæsitum respondemus breviter, quantum ad præsentem disputationem satis est: In naturâ creata per se sola neque est *objectum materiale* adorationis religiosæ, neque consequenter, aut *ratio formalis quæ*, aut *ratio formalis quâ*, seu *per quam* sit adorabilis aut adoranda: Est ergo disputatio *de ratione formali sub quâ* de non Ente. Deinde ψιλὸς ἄνθρωπος habens unam tantum naturam humanam creatam, qualis est Christus Socinianorum, non potest secundum scripturas esse Mediator verus: Ergo rursus disputatio de illo adorando, sub ratione illa formali quâ Mediator est, est de non Ente.

23. Ad posterius autem quæsitum, quod inter Orthodoxos controversum & præsentis est disputationis, Respondemus: omninò τὸ ὁμοούσιον Deitatis & Personam divinam esse adorationis divinæ objectum in Christo, etiam quando Christus adoratur sub illa ratione formali quâ Mediatot est: Quia ista *ratio formalis sub qua* non alterat ex parte rei, nec perimit *rationem formalem Quæ* aut *Quâ, & per quam* in adorationis objecto puta Dominium spirituale in Angelos & homines singulare summum primum & independens æternæ Deitatis, sed illam præsupponit & includit. Dicit enim τὸ Mediator magnum Deum & Servatorem nostrum reconciliantem sibi mundum in seipso Tit. 2. 13. 2. Cor. 5. 11. Deum manifestatum in carne, Deum redimentem sibi Ecclesiam proprio sanguine, 1. Tim. 3. 16. Act. 20. 28. Dei filium, qui per seipsum operatus est purgationem peccatorum nostrorum, Hebr. 1. 3. Sacerdotem ἀμήτορα ἀγενεαλόγητον nec initium dierum, nec vitæ finem habentem, qui per spiritum æternum Deitatis se ipsum obtulit Heb. 7. 3. & 9. 14.

24. Atque sic solide respondetur ad syllogismi hypothetica Socinianorum initio propositi majorem propositionem istam: Si adoratio tribuitur Christo qua Mediator est, non tribuitur illi qui Deus est patri ὁμοούσιος. Contraria enim consequentia vera est, quia non potest illa *ratione formali sub qua* adorari, in quo non est *ratio formalis Quæ* nec *ratio formalis Qua* seu *per quam* objecti adorabilis, τὸ ὁμοούσιον Deitatis Persona Divina. Non esset adorabilis Christus illa *ratio formali sub qua* Mediator est, si non esset adorabilis *qua ex parte* Deus est.

25.

25. Offert se hic objectio quæ dabit ἀφορμὴν novo Problemati, quod maximopere faciet ad totius controversiæ accuratius examen. Objectio hæc est, *Si Christus qua Mediator est adorabilis, Ergo etiam qua homo; quia Christus Mediator est secundum utramque naturam.* Sed absurdum est posterius: Ergo & prius. Respondemus autem ad Majoris consequentiam, manifestum esse paralogismum? Si uti id res flagitat τὸ *qua* explicetur per synonymum *qua parte* seu *qua ex parte*, atque explicatius sic formetur propositio hypothetica: Si Christus adorabilis est, illa ratione formali sub quâ Mediator est; Ergo etiam qua parte homo est. Si maneat utrobique idem περοδιορισμὸς hoc pacto; Si Christus adorabilis est qua parte Mediator est, Ergo qua parte homo est, transitur non obscurè in castra Stancari.

26. Enimvero enascitur hinc novum problema istud: An quando sub illa ratione formali qua Mediator est adoratur in Christo τὸ ὁμοούσιον Deitatis seu persona divina, non adoretur propter unionis hypostaticæ τὸ ἀδιάρετον, cum Deitate una eademque λατρείᾳ & adoratione religiosa, caro Christi, seu natura humana ad muneris Mediatorii exequutionem assumpta: Quod in controversia Vbiquitaria urgenti ὅτι ἐξ ἐναντίας.

27. Mirati hic licet τὸ διδόμενον quod datur & conceditur etiam ab illis, qui in præsenti controversia negant Christum, qua Mediator est, adorandum esse: & quod contra sentientes refutare satagunt hac deductione ad absurdum, si adorandus est, qua Mediator est, ergo etiam qua homo: videlicet hoc: *Christus homo & Mediator in carne & cum carne, in & cum officio Mediatorio est adorandus, ita ut objectum considerationis nostræ sit Christi Persona cum omnibus quæ illi insunt, seu Totus Christus*; Si enim vera est illa thesis Christus adorandus est *qua* Deus non qua homo est, & περοδιορισμὸς exponendus est per synonymum *qua parte* seu *qua ex parte*: contradictionem videtur implicare τὸ διδόμενον, ut adoretur totus Christus, cum parte illa ex qua non est adorabilis, carne scilicet. Si proprie loquendo asseras Christum totum cum carne sua adorari, rima aperitur Pontificiis idololatris dicentibus, *Quamlibet rem se posse adorare cum Deo.*

28.

28. Minus mirandum est liberaliores paulo esse qui credunt Christum adorandum esse qua Mediator est, peccare tamen videntur per crassam satis ἀκυρολογίαν ista, quæ Vbiquitariis dare & concedere solent: *Christus quomodo secundum utramque naturam totus est caput nostrum, redemptor, Iustificator, Mediator, Advocatus, Salvator, Rex, Sacerdos: ita secundum utramque naturam totus est adorandus*, item *Caro Christi adorari debet.* Vide *Vrsinum* ista largientem ex Veterum patrum reverentia: Sed cum accurata satis τῆς ἀκυρολογίας ἐπανορθώσεις: quam mox audiemus: *Defens: admon. Neostad. cap. 1. sub finem.*

29. Danæus, qui negat Christum qua Mediator est adoratione religiosa colendum, ex hac sua hypothesi, quod *nulla carnis aut humanæ naturæ cogitatio necessaria sit*, quin *imo prorsus sit removenda ad religiosam Dei; Divinæ quæ naturæ etiam in Christo ipso, adorationem*: ubi hoc tamen censet Christum, qua Mediator est, cum humanæ naturæ & cogitatione & intuitu, adorari, sed non una λατρείᾳ seu religiosa adoratione, qua in Christo divina natura adoratur.

30. Quid ergo? Adoptat Danæus ex P. Martyre, quem laudat *Theologum Orthodoxum & eruditissimum* in cap. 18. Genes. vers. 2. Adorationis Christi partitionem *in duo diversa genera*: ut prior sit adoratio religiosa, *qua Christum oramus ut nobis præstet ea, quæ Deus tantummodo potest dare: Altera autem sit, qua ab eo petimus ea duntaxat bona, quæ Christi humanitas duntaxat suppeditare potest, intercessionem scilicet, & ut sit inter Deum & nos salutaris Mediator.* Verbis autem suis sic loquitur Danæus *Invocationem & Venerationem Christi tanquam Mediatoris minime esse eandem cum religiosa ejusdem Christi adoratione. Nam*, inquit, *hæc invocatio Christi fit tanquam advocati & internuncii apud Deum nostrum, Ergo ad alium superiorem velut finem tendit. Adoratio vero religiosa Christi, fit tanquam ejus qui per se sit Deus, in qua ipse à nobis velut ipsemet adorationis nostræ finis supremus spectatur.* Danæus *assertione contra Iac. Andreæ filium* pag. 37. 38.

31. Enimverò hallucinatur quamvis Orthodoxus & eruditissimus uterque Theologus. Quid enim? An Christi humanitas suppeditare duntaxat potest intercessionem, & ut sit inter nos & Deum salutaris Mediator? Videtur contrarium verum, Deum tantummodo posse hoc dare, ut sit inter nos & Deum salutaris.

Mediatori. Et mirum quomodo illud possit adoptare Danæus, qui facetur *Mediatoris apud Deum officium absque utriusque naturæ concursu & cogitatione vel esse, vel à nobis intelligi minime posse.*

32. Deinde adoratio illa, qua ad Christum ut Mediatorem nostrum accedimus eumque hoc adorationis genere invocamus, si eo nomine censeri non debet religiosa *Quod humana Christi natura & cogitatio & intuitus necessario incurrat & mentibus nostris in ea obversetur*: atque si prorsus removenda est, quod urget Danæus, carnis aut humanæ naturæ cogitatio ad religiosam Dei Divinæque naturæ etiam in Christo ipso adorationem: Quid fiet de adoratione Christi, qua ut Deus manifestatus in carne ab angelis adoratur? Posleritne illi, quibus in cœlo jam cum carne & in carne sua adest Christus sedens ad dextram Dei, Christum adorare, ut humanæ Christi naturæ & cogitatio & intuitus non incurrat neque obversetur? Non erit ergo mysterium illud Dei manifestati in carne & habitantis in templo corporis sui numerandum inter illa εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι in quæ cupiunt angeli introspicere. 1. Pet. 1. vers. 12. An vero dicemus, Christum ab angelis præter adorationem religiosam etiam alio adorationis genere adorari?

33. Quicquid sit, adoratio illa, qua ad Christum ut Mediatorem nostrum accedimus, si non est adoratio civilis, quod nemo Christianus [affirmaverit, sacra est & spiritualis, per quam flagitamus à Christo bona salutaria & spiritualia puta Mediationis gluten, per quod Deo agglutinemur ut unus cum illo Spiritus. 1. Cor. 6. 17. quod non accipimus nisi manu fidei salvificæ: *Sacram* autem & spiritualem adorationem nolle appellare *religiosam* λογομαχία est, quæ Pontificiis Idololatris rimam aperit, ut in disputatione de idololatria elabantur per *distinctionem cultus religiosi & sacri.*

34. Quid, quod alteri etiam Pontificiorum evasioni rima aperitur per alterum illud genus adorationis diversum à religiosa adoratione, videlicet *de duplici excellentia divina & humana*; quæ utraque sit adorabilis. Vide super his & similibus Pontificiorum evasionibus *dissertationem Clariss. Riveti.* (*Præl. in Ex.* 20.) *de cultu religiosa adorationis.* Ex hypothesi enim de gemino & ab invicem

dis-

diverso adorationis genere, in uno Christo adoratur religiosè divina Christi Excellentia, & adoratur altera adoratione inferior quædam Excellentia Christi humana.

35. Ut jam ad determinationem Problematis accingamur, sequentes hypotheses de Mediatoris Christi excellentia & gloria, per quas explicatior erit responsio nostra, ponimus. Fatemur per gratiam Vnionis esse etiam quandam carnis & humanæ naturæ Christi excellentiam illi propriam, quæ necessario etiam incurrit, & mentibus obversatur, quando adoratur religiosè Christus; sed quæ ipsa tamen non est religiosæ adorationis objectum, neque Majestas adorabilis: est autem hæc: quod in corporis seu carnis & humanæ illius naturæ Christi Templo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, & in carne ut Templo suo adoranda sit, quamvis non cum carne; quemadmodum olim in typo non templum cum Deo Israëlis, Sed Deus templum inhabitans in templo adorabatur, vide Johan. 2. 21. Coll. 2. 9. cum Matt. 23. 21.

36. Illa Personæ Divinæ συγκατάβασις qua in Mediatorio munere velavit quasi velo carnis suæ & repressit radios excellentiæ majestatis & gloriæ supremæ atque infinitæ; non facit tertiam quandam in Christo excellentiam, quæ neque sit humana, neque divina. sed tantum aliam rationem formalem. sub qua gloria illa absolutè suprema, aliter est in Persona filii, atque in Persona Patris: ut Majestas scilicet Dei, quæ ex se est φῶς ἀπρόσιτον lux in qua Deum nemo vidit unquam Joh. 1. 18. 1. Tim. 6. 16. fiat accessibilis, & Deum nobis videndum exhibeat in Filio Joh. 14. 9.

37. Eapropter credimus nullam esse (qualis à Remonstrantibus fingitur in gratiam Socinianorum, *ut illos vindicent ab idololatria & falsi culpa Categoria, Conf. cap.* 16.) Christi propriam Majestatem ipsi à Deo patre collatam etiam quatenus homo est, & filius hominis, seu quam illi pater gratificatus est in tempore, ad cultum ejus proprium qui ipsi debeatur etiam remota cogitatione τῆς θεότητος æternæ Deitatis. Quæ enim dici potest, & à nobis creditur, peculiaris & propria Mediatoris Majestas & gloria, modaliter tantum, non realiter distincta est à Majestate & gloria illa absolutè suprema, & purè divina, adeoque non est ita Me-

diatoris propria, ut cultum proprium fundare possit, qui non in re communis sit filio cum Patre, & Spiritu Sancto. Est enim illa Mediatoris gloria δόξα ὡς μονογενοῦς παρὰ Πατρὸς Gloria ut unigeniti à Patre Joh. 1. 4. ac consequenter per naturam Patri cum Filio communis, adeo ut in illa intueamur Patrem. Ioh. 14. 9.

38. Gratificatio autem illa, quam urgent Remonstrantes ex loco potissimum. Phil. 2. 9. ubi est verbum ἐχαρίσατο, facta est quidem in tempore, sed non dicit cum gratificationis tempore initium existentiæ seu novitatem nominis illius, quod Deus Christo est gratificatus: Sed novam tantum nominis illius assertionem & vindicationem, in gratiam carnis Christi, quæ per illam novam vindicationem Majestatis & gloriæ, quam habuerat Christus in Deitate sua, antequam mundus esset. Joh. 17. 5. vindicabatur ipsa à contemptu & opprobrio, quod sustinuit in Christi exinanitione, & asserebatur in gaudii illius gloriosissimi fruitionem, quod manat ex glorioſissima Deitatis in ipsa, ut in Templo suo, habitatione, Act. 2. 76. ut Nomen, Majestas; & excellentia adorabilis sint χάρισμα quod Deus Christo in tempore ἐχαρίσατο non ex parte rei, ad naturæ humanæ quandam ὑποστάσιν, sed ratione tantum usus fructus, qui ex divinitatis inhabitatione, in templo carnis assumptæ ἀσυγχύτως, à natura creata percipi potest, & ratione denominationis extrinsecæ, qua propter unionem hypostaticam, Personæ, quamvis denominatæ à natura creata, tribuitur quod naturæ increatæ proprium est: adeo ut homo ille dici possit habere vitam in seipso, quam in seipso habet Pater Joh. 5. 26. & habere Majestatem & gloriam religiosè adorandam: non quod humanitas sit nouum σέβασμα πρὸς τὸν κτίσαντα juxta creatorem suum adorabile Rom. 1. 25. Sed novum Divinæ Majestatis adorabilis Templum, ejus adorationi singulariter dicatum & sanctificatum, atque adeo intimè unitum, ut ab ea Deus homo nominetur, in concreto; quamvis in abstracto Deitas non nominetur humanitas, nec humanitas nominanda sit Deitatis nomine.

39. Post hæc præmissa & præsupposita, progredimur ad Problematis postremi, quod ex prioribus duobus enatum est, determina-

tionem: ac respondemus ad quæsitum: unicum tantum esse σέβασμα in Christo, quod religiosa adoratione adorabile est & adoratur, sive adoretur ante incarnationem ab ipsis Angelis in forma Dei, sive ab iisdem post incarnationem adoretur ut Deus in carne manifestatus: sive ab hominibus insuper adoretur, *ratione formali, sub qua Mediator est & Sacerdos*: Atque hoc unum σέβασμα sub quocunque formali adoretur ab Angelis vel hominibus ante vel post incarnationem, esse τὸ ὁμοούσιον Deitatis & Personam Divinam: aut cum illa non fit adorabilis nec adoranda caro seu creata natura humana, quantumvis ἀδιαιρέτως unita, propter unionis τὸ ἀσύγχυτον.

40. Hic initio propter τὰ διδόμενα ἐναντιοφανῆ data & concessa quæ prima fronte videntur pugnare, ex ipso Vrsino audienda conciliatio per τῆς ἀκυρολογίας ἐπανόρθωσιν impropriæ locutionis correctionem. Sic ergo ille super ista locutione, *Carnem Christi adorari debere. Damascenus* inquit, *& cæteri plerique Patres in hac quæstione vocabulum carnis pro vocabulo hominis usurparunt: quo significare voluerunt, se non carnem in abstracto, sed hominem in concreto, hoc est, non naturam, sed totam Personam adorandam esse docere*: Atque ex hac interpretatione pernegat sententiam illam, quam urgent Vbiquitarii, *Carni Christi realiter esse communicatum cultum Deitatis proprium*. Nihil ergo in re amplius dat & concedit, ad denominationem Personæ Christi à natura creata, qua ipse nominatur caro vel homo, non carnem aut humanitatem, sed Deitatem in carne adorari, seu Deum manifestatum in carne.

41. Super altero autem axiomate dato & concesso, quod est tale, *Christus quomodo secundum utramque naturam totus est nostrum caput, Redemtor, Iustificator, Mediator, Advocatus, Salvator, Rex, Sacerdos, ita secundum utramque totus naturam est adorandus*; hæc habet, quæ rem ipsam accuratè explicant. In adoratione Mediatoris Christi, neque earum proprietates confundimus, neque æquamus, quandoquidem ab eo petimus ut faciat secundum utramque naturam, quod illi facere & operari propriè secundum utramque convenit. Itaque scrutari corda, id quod Deus tanquam proprium opus sibi vendicat, ac quo se ab omnibus creaturis discernit,

omnipotentem esse, ubique & semper exaudire, auxiliumque ferre, non humanæ, sed Divinæ naturæ attribuimus, ac propter hanc Christum hominem invocamus, utpote qui vi omnipotentis suæ Deitatis nostras afflictiones novit & videt, & tanquam noster Mediator, frater & caput nobis opem fert, nosque liberat. Quapropter una λατρεία unico Christo & Mediatori tribuimus, & quæ Deitatis. & quæ carnis propria sunt, eumque precamur, ut officio Mediatoris ita fungatur, ut sua carne exequatur quod carni, & sua Deitate quod Deitati competit, Atque hac ratione neque finitam, neque per humanitatem nostras afflictones cognoscentem Deitatem, neque omnipræsentem, omnipotentem, omniscientem humanitatem fingimus aut imaginamur, sed huic homini Christo Mediatori nostro adscribimus res divinas & prærogativam ante omnes creaturas, ob Deitatem ipsius: Atque hæc vera & essentialis Deitas hominis & Mediatoris nostri causa est, cur illum honorare oporteat sicut Patrem:

Itaque Divinus & adoratio quæ homini Christo debetur, non carnis, sed hominis Deitatem, hoc est, Omnipotentiam, omnipotentiam, omniscientiam, omnipræsentiam, & carnis cum Deitate conjunctionem & cooperationem in officio Mediatoris probat. &c.

42. Sed confirmanda est nostra assertio, verbis Vrsini jam satis accuratè explicata, de adoratione & λατρεία una religiosa, qua absque confusione aut tranfusione ulla proprietatum divinarum adoratur Christus, *tantum qua parte Deus est, non qua parte homo est, ratione formali illa, ub qua Mediator est,* & quidem jam manifestatus in carne; & exsequens munus suum in carne. Esto autem hoc primum argumentum: sub qua ratione formali Christus est objectum salvificæ fidei, sub illa est objectum religiosæ adorationis Rom. 10. 14. Atqui Christus est objectum salvificæ fidei, sub illa ratione formali qua Mediator est: Ergo. Minorem probamus: Quia salvifica fides est, qua in Christo amplectimur gratiam Salvificam; credentes nos per gratiam Christi salvatum iri Act. 15. 11. Gratia autem illa salvifica per Christum facta est, illa ratione formali sub qua Mediator & Sacerdos est, & definitur ipsa humiliatione & exinanitione Mediatoris, qua, dives cum esset, pauper factus est. 2. Cor.

Cor. 8. 9. Adeo ut nisi in illum credamus sub illa ratione formali, qua Mediator & Sacerdos est, non sit fides nostra Euangelica, sed legalis tantum. Breviter, Christus est objectum fidei salvificæ, ratione illa formali sub qua in ipso exhiberur salvandis gratia Euangelica, & gratiæ τὸ πλάτος καὶ μῆκος καὶ βάθος καὶ ὕψος, Latitudo & Longitudo, Altitudo & Profunditas Eph. 3. 18. Sic enim cum gratia sua verbo fidei Christus ob oculos depingitur inter nos crucifixus Gal. 3. 1. Et sub hoc formali est unicum scibile salutariter occupans docentes & discentes. 1. Cor. 2. 2. non autem ratione illa formali sub qua universim Angelis & hominibus bonis & malis exhibetur in Christo Majestas Legislatoris: Ergo non sub hoc, sed sub illo formali ex Fide salvifica adoratur Christus.

43. Contra objicitur Christum non esse formale objectum fidei, qua Mediator est, *quia qua Mediator non est primum efficiens, nec primus & supremus auctor omnis boni & salutis, sed causa inferior instrumentalis, & hac ratione collator bonorum, in cujus nomine, propter quem, & per quem tendimus in Deum, inque eum credimus, in eo speramus, eum colimus, & adoramus.* Atqui nervi hujus argumenti jam incisi sunt ex hypothesi supra posita: Quod in Christo Mediatore personaliter unita sit causæ inferiori instrumentali causa prima & principalis, instrumentalem elevans ac perficiens, ac per illam hoc agens. Quid quod Christus esse nequit collator bonorum spiritualium per instrumentum illud quod in sua persona gestat, per quod in diebus carnis suæ operatus est purgationem peccatorum nostrorum. Sed collator est per Spiritum Sanctum, per quem nos baptizat & unionis suæ participes facit: ipse nos baptizat Spiritu. Matt. 3. 11. Non potest instrumentum illud à nobis absens in cœlo in absentes agere causalitate causæ instrumentalis influente in nos ad unctionis nostræ apotelesma, quamvis in eo sit ad unctionem nostram, & collationem bonorum spiritualium, humanæ voluntatis, eum divina conspiratio, ad modum causæ προηγουμένης & procatarcticæ.

Neque potest humana natura etiam unita naturæ divinæ in Christo agere per Spiritum Sanctum, aut illum dare in cordibus nostris arrhabonem: est hoc extra sphæram activitatis ejus.

44. Alterum argumentum nostrum est. sub quo formali Chri-

stus

ſtus nos intuetur ut ſemen ſuum & filios ſuos ſpirituales, ſub illo formali nos illi debemus venerationem, honorem, & cultum religioſum ὡς τέκνα ὑπακοῆς 1. Pet. 1. 14. 19. Atqui Chriſtus nos intuetur ut ſemen ſuum & filios ſpirituales ſub illo formali quo eſt Mediator. Ergo. Confirmatur Minor propoſitio ex promiſſione illa Chriſto ut Mediatori & Sacerdoti facta. Si poſuerit pro peccato animam ſuam videbit ſemen, Eſa. 53. 10. ut ex illis Chriſti verbis Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Deus Heb. 2. 13. Vterque locus evincit Chriſtum nos intueri ut ſemen ſuum & filios, quos quantumvis ipſe ſibi generat qua qua parte Deus eſt, tamen à patre ſibi datos agnoſcit in benedictionem & remunerationem obedientiæ, qua patri factus eſt obediens uſque ad mortem: ut filiorum illa generatio ſit mortis Chriſti fructificatio: juxta illud Chriſti, Amen, Amen, dico vobis niſi granum frumenti ceciderit in terram & mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi vero mortuum fuerit multum adfert fructum Joh. 12. 24.

45. Tertium argumentum noſtrum eſto. Sub quo formali colitur Chriſtus in baptiſmi ſacramento, quando baptizamur in nomine filii ad reſipiſcentiam & remiſſionem peccatorum ſub illo formali eſt adorandus: Atqui colitur Chriſtus in Baptiſmi ſacramento, ut qui venit per aquam & ſanguinem ſuum 1. Joh. 5. 6. Et cujus ſanguis nos purificat ab omni peccato. 1. Joh. 1. 7. Seu qui lavit nos à peccatis noſtris per ſanguinem ſuum Apoc. 1. 5. Adeo ut baptiſmi λογικὴ λατρεία ſit, accedere ad novi Fœderis Mediatorem Ieſum & ſanguinem aſperſionis Heb. 12. 24. Chriſtum induere Gal. 3. 27. Chriſto conſepeliri Col. 2. 12. Eadem ergo eſt ratio formalis, ſub qua Chriſtus eſt adorandus,

46. Quartum arg. petimus ex actu formali Fidei & cultus religioſi, quo conſtat S. Cæna, in qua religioſe colimus & Veneramur Chriſtum dantem carnem pro mundi vita. Sub quo enim formali Chriſtus eſt objectum τῆς λογικῆς λατρείας ex fide in S. Cæna, ſub eo eſt fidei & adorationis ex fide objectum. Atqui Chriſtus in ſacra Cœna eſt objectum τῆς λογικῆς λατρείας ut panis qui è cœlo deſcendit, ut carnem habens manducabilem & ſanguinem potabilem ſpiritualiter Ioh. 6. Ergo eſt fidei & adorationis religioſæ objectum ſub ratione illa formali, qua carnem ſuam exhi-

exhibet manducandam, & sanguinem suum bibendum, id est qua Mediator & Sacerdos. Si secus sentias, Manducatio spiritualis non erit actus formalis fidei salvificæ, quod omnes fatentur ad caput 6. Iohannis, ubi synonyma censentur illa: In Christum credere: Ad Christum Venire, carnem Christi edere, & sanguinem Christi bibere.

47. Quintum argumentum suppeditant verba Apostoli Heb. 4. 14. 15. 16. Habentes igitur Sacerdotem magnum, qui penetravit cœlos, Iesum Filium Dei, teneamus hanc professionem. Non enim habemus sacerdotem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter, absq; peccato. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ ut consequamur misericordiam & gratiam inveniamus ad oportunum auxilium. His verbis Apostolus Iesum filium Dei collocat in throno gratiæ, ac jubet nos ad illum accedere ex fide ad consequutionem misericordis gratiæ & auxilii: quod est religiose adorare, sub illa ratione formali, qua est sacerdos noster magnus, misericors & fidelis, qui accedentibus ad ipsum cum fiducia fideliter aperit viscera, non tantũ divinę misericordiæ, sed etiam humanæ συμπαθείας suæ & commiserationis: adeo ut intellectâ miseriâ nostrâ, (ex suarum perpessionum humana recordatione in carne sua, quamvis jam glorificata) afficiatur ejus vivo sensu, ac stimuletur ad vivam pro nobis intercessionem, qua in se & à seipso nobis impetret divinam gratiam & auxilium. Quia ergo adoratione Christi religiosa sollicitantur, teste Apostolo, etiam viscera humanæ commiserationis in Christo, & quia per fidem de concursu istius humanæ commiserationis cum divina misericordia in Christo Dei filio quatenus Sacerdos est, roboratur fiducia exauditionis, & spes nostra; Demonstratio manifesta est in loco illo, Christum ratione illa formali, sub qua Mediator est & Sacerdos misericors & fidelis, & fidei, salvificę, & adorationis religiosæ ex Fide Objectum esse, ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

FINIS.

Disputationes. XV.

DE CANONE THEOLOGIÆ ET Judicio Controversiarum secundum Canonem.

Venerandis Clarissimis Doctissimisque Viris,

D. JOHANNI MACCOVIO,
D. JOHANNI COCCEJO,
S. S. Theologiæ Doctoribus & Professoribus dignissimis, in Illustri Academia FRANEKERANA.

Viri Fratres ac Symmystæ dilecti, Fasciculum hunc mearum Exercitationum de Canone Theologiæ & Iudicio Controversiarum secundum Canonem Non potui non vobis inscribere; postquam accidit, divina providentia ita gubernante, ut tibi Nobilissime D. Maccovi, ad tempus aliquod μεμενωμένῳ, cum Clarissimo D. Coccejo, (cui cum spartâ Professionis linguæ sanctæ præclare exornata, jure merito obtigit jam Sparta hæc nobilior unâ exornanda,) ego quoque præter omnem meam exspectationem datus sim Collega; evocatus Illustrium Frisiæ Ordinum Diplomate: & ab utroque vestrum nuper cum officiosa gratulatione & amicitiæ contesseratione salutatus. Debui enim, ad vos brevi migraturus, vobis tesseram Amoris, & observantiæ, quam flagitat & mihi contesseratus à vobis amor,

&

& utriusque vestrum Doctrina & eruditio singularis: à qua gratulor mihi, sine palpo loquor, multa quotidie discendi occasionem: Deum veneratus ut triplicatum hoc sanctioris amicitiæ filum, nullâ arte, nullo æstu, rumpatur: sed ut in Cathedra una, Prophetantes ἀνὰ μέρος inveniamur μιᾷ ψυχῇ συναθλοῦντες pro Veritatis quæ secundum Pietatem est communi deposito: Ut sicubi forte in Problematis hujus vel illius determinatione, pro libertate quisque & judicio nostro, videamur ab invicem abire, illud patefiat ad quamvis conscientiam, nos procul habere omnem contendendi libidinem sed conscios nobis, quod hic Prophetamus ἐκ μέρους, æmulari charismata in bonum, & amice symbolam conferre. Illam mihi mentem illum affectum esse novit ὁ καρδιογνώστης Deus: Illum à vobis affectum ut mihi polliceor, ita vobis sancte voveo, hac votiva, quæ vobis suspensa esto, tabella, Deus sanctis vestris & nostris studiis & laboribus benedicat, ac det nobis quam diutissime quam felicissime ipsi vivere, concordes, & ἰσοψύχους in opere Domini. Valete & salvete plurimum, ac me amare pergite. Dabam Harderovici V. Kalendas Aprileis Anni Iuliani Æræ Christianæ 1644.

Vestrûm observantissimus
JOH. CLOPPENBURCH.

NOMINA RESPONDENTIUM.

Joh. Jacobus Munkerus, Sigenenſis Naſſovius
Franciſcus Hollius Doesburgenſis Gelrus
Otto Henricus Schlebuſch Colonienſis
Johannes Coetſius Neomagenſis Gelrus
Otto Henricus Schlebuſch Colonienſis •
Theodorus à Bruch Heinsbergâ Iuliacus.
Sebaſtianus Magirus Neopaludanus Gelrus.
Iuſtus Wilhelmus Mollerus Herbornenſis
Ludolphus Teuto, Hammonâ Weſtphalus.
Bernhardus Decanus Neoradenſis Marcanus.
Petrus Leonhardi Schirten Embricenſis
Fredericus Goddæus Vaeſſenſis Gelrus.
Cornelius à Thiel Hardervicenus.
Johannes Weldenerus Neid. Haſſus.
Johannes Thiens Aquiſgranenſis.

DISP.

DISPVTATIO I.

Controverſiæ Theologicæ

DE

CANONE THEOLOGIÆ.

1640. 20. Februarii.

THESIS I.

Ontroverſiarum Theologicarum prima & princeps eſt de *Canone Theologiæ*, ſeu Regula Fidei & Cultus Deo debiti: quæ alio nomine vocatur controverſia *de Verbo Dei*: Quia ubi quæritur, Quidnam illud ſit quod nobis habendum eſt pro Canone Theologiæ, generatim conſenſus eſt in hac Theſi *Verbum Dei eſſe Regulam Fidei ex qua de Dogmatibus judicandum eſt, eſſe principium commune ab omnibus conceſſum, unde argumenta ducuntur, denique eſſe gladium ſpiritualem, qui in hoc certamine recuſari non poteſt. Bellarm: Præfat: Tomi I.*

2. Ex iſt hac πλυωνυμίᾳ, ſeu vario Titulo hujus controverſiæ convincitur ἀκυρολογίας Diſputatio, quando, ut fit, committitur cum *Scriptura* S. vel *Papa* vel *Eccleſia*, atque ſic formatur Status controverſiæ, *An Canon Theologiæ ſit Scriptura S. an vero Papa, an Eccleſia.* Quandoquidem ridiculum eſſet, in aliis terminis quærere. *An Verbum Dei ſit Scriptura S. An Papa an Eccleſia.* Atq; nihil abeſt à blaſphemia, ſi ad perſonam perſonaſve in Eccleſia judicantes, quibus manifeſtatio Verbi Dei, trahatur Metonymia illa, quæ ſoli Deo ſeu Spiritui S. conveniens eſt, ut appelletur Theologiæ Canon & Fidei Regula.

III. De Verbo Dei itaque (quod omnium confeſſione eſt Canon Theologiæ.) iſtud eſt ſententiarum divortium, quod Orthodoxi affirmant illud Verbum Dei hodie exſtare in ſola Scriptura ſacra,

sacra, quam antonomastice *Biblia* appellamus. Contra autem Enthusiastæ, Libertini, necnon Pontificii, censent quemadmodum olim ita etiamnum hodie esse quoddam Verbum Dei ἄγραφον extra Scripturam, absque quo non possit per solam Scripturam, perfecte & sufficienter regulari Theologia Christiana. Quæ sit hic Enthusiastarum & Pontificiorum Discordia Concors, aliàs videbitur.

IV. Antequam Controversiam ordiamur, Præcognitis quinque opus est 1. *Quid sit Theologia*, cujus Canon investigatur. 2. *Quid sit Canon*. 3. *quid sit* generatim *Verbum Dei*, 4. *Quid sit Scriptura sacra*. 5. *Quid* vocetur *Verbum ἄγραφον non scriptum*. Quæcunque n. est in hac controversia ἐπροδιδασκαλία seu hæresis, illa fere universa latet in aliqua, circa unum ex quinq; istis terminis, æquivocatione: qua profligata incisi erunt errorum nervi 1. de primo Præcognito diffuse egimus in *Protheoria Theologiæ Christianæ*, de qua non gravabimur respondere opponentibus in publica Disputatione. Breviter dicimus hic agi de Theologia & Docente & Utente Supernaturali, destinata Homini constituto in vitæ hujus terrenæ curriculo, quæ in Scholis dicitur *Theologia Viatorum*.

V. 2. *Canon seu regula* numero singulari vocantur κατ' ἐξοχήν Principia illa Doctrinalia, ex quorum analogia vel demonstratur Scientiæ certitudo: vel determinatur in Prudentiæ praxi τὸ δίκαιον καὶ ἴσον Justum & Æquum: ex quibus proinde derivantur tanquam conclusiones ex præmissis alia Theoremata & præcepta, quæ in quavis Doctrina numero plurali vocantur *Canones & Regulæ*. Canonis ergo sic dicti ratio formalis consistit in illa αὐθεντίᾳ publica quæ discentibus præscribit, tanquam omni exceptione major.

VI. Ad illam αὐθεντείαν publicam, duo concurrunt requisita: 1. *Ut Canon sit certus & infallibilis*. 11. *Canon sit publice notus*: Duo hæc in hac controversia urget ipse *Bellarminus*: *regula*, inquit, *Catholicæ fidei certa notaque esse debet: nam si nota non sit regula nobis non erit: si certa non sit ne regula quidem erit, De verbo Dei lib:* 1. c: 2. consentit Charronus *Veritate* 3. *cap.* 2. qui duobus istis tertium hoc distinctè præmittit: *Quod Canon debeat esse Authenticus, ut omnes se illi reve-*

reverenter subjiciant, illique acquiescant & obediant.

VII. Certitudinem & infallibilitatem *Canonis* flagitat ipsa Metaphora qua nomen translatum est à Mensura non privata quavis sed publica & authentica illa ad quam Lege & edicto Magistratus commensuratæ esse debent, & ab illa suam justitiam mutuari, mensuræ quæ tractantur privatorum manibus: juxta illam *Varini* definitionem κάνων ἐστὶ νόμος ἀπαρέγκλητος καὶ μέτρον ἀδιάψευστον, πάσαν πρόσθεσιν ἢ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ὑποδεχόμενος. hoc est, *Lex immutabilis & mensura infallibilis quæ nullo modo admittit ut aliquid ei addatur vel detrahatur.* Consequenter quemadmodum ne Canon quidem esse censetur, si quis sit κάνων ἀόριστος qualem *Aristoteles Ethic: lib. 5. cap. 10.* refert fuisse ædificationis *Lesbiæ plumbeam regulam*, quę inquit, nō manet sibi similis, sed πρὸς τὸ σχῆμα τῦ λίθυ μεταχινεῖται, hoc est, ad lapidis figuram transformatur: Sic neque in Doctrina aliqua censeri debet Canon seu principium Doctrinale id quod nullam certitudinem conferre potest ulli dogmati particulari eo quod, in se sit incertum & variabile; verba sunt *Suarezii Disput: Metaph. 40. sect. 3. §. 14.*

IIX. Canonis appellationi, tam propriæ quam metaphoricæ, accidit varia Metonymia. Prima est Metonymia causæ efficientis quam licet vocare prosopopœiam, quando Canoni tribuitur nomen *Summi Judicis*, ratio est, quod mediante Canone tanquam Judicii authentica norma & lege, summus Judex, habet sibi obnoxios Judices inferiores. Altera est, quando reciprocatione quadam summo Judici tribuitur nomen Canonis, propter auctoritatem illam qua Canon seu mensura publica & authentica à summo Judice & Legislatore sancitur & imperatur non minus inferioribus Judicibus, quam privatis subditis, ut juxta illam omnium judicia quâ publica quâ privata dirigantur, & ubi opus corrigantur & castigentur, Tam autem in Abstracto, auctoritas illa & summum judicium, quam in Concreto summus Judex & Legislator, per hanc metonymiam effecti appellari possunt Canon.

IX. Præcognitum tertium est, *Quid sit Verbum Dei.* Quod hic

 signi-

significat illam Veritatis & Juris divini revelationem supernaturalem, qua Deus hominem docet Theologiam & Religionem supernaturalem. Intelligitur itaque Verbum seu Sermo Dei extra æquivocationem illam, qua sic nominatur Persona secunda in S. S. Trinitate, Deus Filius, Joh. 1. 1. Apoc. 19. 13. Est enim hujus considerationis ὁ λαληθεὶς λόγος, sermo quem Deus Pater & ipse Filius loquutus est, Heb. 1. 1. & 2. 2. Joh. 12. 48. 15. 3. Atque hic revelative opposita sunt Sermo Christi. Et determinata magis ac libera ab æquivocatione vox Græca alterius Etymi, quæ si ad Sermonem Christum applicetur, phrasis hæresin sapiet, videlicet ῥῆμα Θεοῦ Rom. 10. 17. Eph. 6. 17. & pluraliter τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ Joh. 3. 34. 47. Apoc. 17. 17. item τὸ ῥῆμα κυρίου 1. Pet. 1. 25.

X. Appellatione Verbi Dei asseritur Canoni Theoliper primam & immediatam, consequentiam *quod sit* αὐτόπιστον *per se dignus Fide & Fidei obedientia: &* ἀψευδὴς *mentiri & fallere nescius.* quia enim Deus mentiri non potest nec quenquam decipere, Verbum Dei nihil docere potest quam τὸ ναὶ καὶ τὸ ἀμὴν Etiam & Amen, seu fidos & veraces sermones. 2. Cor. 1. 17. 18. 19. & Apoc. 21. 5. Quare minime piam censemus Latinitatis illam affectationem, qua vir Magni nominis, nuper Parabolas Euangelicas concepta Verbis magni Dei & Servatoris Christi, vocat *Fabulas & Fabellas Christi, de Iure Belli & Pacis lib. 2. cap. 20. §. 48. & cap. 24. §. 4.* Fabula enim & Fabella in communi usu tantum non mendacium significat & ipse in Parabolis Christi urgere videtur mendacii saltem ἀποσκίασμα, putat enim in controversia de Mendacio aliquo licito an illicito facere *ad conciliationem sententiarum dissidentium*, ut scilicet *Mendacium in largiori acceptione non sit semper in vitio positum: quia ipse Coristus* inquit, *per Fabularum ambages populum alloquitur lib. 3. cap. 1. 10.*

XI. Appellatione rursum Canonis Theologiæ asseritur Verbo Dei juxta supra positam Varini definitionem *Perfectio qua nullo modo admittit ut ei aliquid addatur vel detrahatur:* Perfectio autem illa Canonis Theologiæ sita est in sufficienti directione hominis Viatoris in terra peregrinantis à Domino, ad Deum juxta voluntatem ejus cognoscendum & colendum, usque ad terrenæ hujus vitæ termi-

num. Quapropter non attenditur hic Perfectio Theologiæ Hominum ἰσαγγέλων in cœlis, quam vocant *Theologiam visionis*, ad quam instituta comparatione, Theologia Viatorum censetur cognitio imperfecta instar Visionis obscuræ per speculum in ænigmate 1. Cor. 13. 10. 12. Extra comparationem illam hic tantum spectatur intrinseca perfectio *Theologiæ Viatorum*, qua τύπῳ διδαχῆς plene exprimit Theologiam Archetypam, Dei voluntate præfinitam.

XII. 4. Præcognitum quartum est: *Quid sit scriptura sacra.* Scripturæ sacræ appellatione intelligi debet non in abstracto vel scribendi actio, vel characteres scripto exarati, sed in concreto Verbum Dei scriptum, & in Tabulas relatum, Atque sic accipimus γραφὴν & γράμματα 2. Tim. 3. 15, 16. & plurale γραφὰς Luc. 24. 27. Act. 18. 24.. nequaquam pro literarum cortice aut chartacea librorum mole, sed pro Traditione sententiarum istarum de veritate & jure divino, quas Deus voluit mentibus nostris propositas, per Scripturæ instrumentum in oculos incurrens. Scripturæ ergo Formale constat istat Traditione significante verarum sententiarum: Materiale autem est illud Syntagma librorum, qui vulgo βίβλια Libri & *Biblia sacra* nominari atque inscribi solent.

XIII. Est autem Traditio illa significans, non tantum ipsa Doctrina θεοδίδακτος, sed etiam Doctrinæ illius consignatio & expressio per Scripturam seu verba concepta quæ in Scriptura leguntur. Utraque est θεόπνευστος divinitus inspirata: adeo ut hoc Scripturæ indigitamento asseratur & Res sive sententias, & Verba & voces in Scriptura adhibitas, esse sacris Scriptoribus inditas à Deo, & ductu illius sive immediata directione Spiritus S. consignatas. 2. Tim. 3. 16. Hinc fit ut Verbum Scripum etiam absque mentione Scriptionis, simpliciter Verbum Dei, Eloquia Dei appelletur Eph. 6. 17. Rom. 3. 2. Et Elogium quod generatim hic convenit Dei verbo etiam ante natam Scripturam sacram, insolidum vendicetur Scripturæ Sacræ, & exserto Petri testimonio. 2. Pet. 1. 19. 20. 21. & Phrasi illa passim obvia, qua dicuntur in Scriptura loquuti Prophetæ Luc. 24. 24. 27, Act. 2. 16. &

per Prophetas Spiritus S. Act. 28. 25.

XIV. Hinc consequens Auctorem Scripturæ dicendum solum Deum neque debere nuncupari librorum quos Scripserunt *Auctores*, homines illos seu Prophetas seu Apostolos seu Euangelistas immediate hoc vocatos, & à Spiritu S. Theologiam edoctos: Sed dicendos esse tantum Dei auctoris ministros & actuarios: Et merito hic *Castellionem* in Latina Euangeliorum ἐπιγραφῇ castigat *Beza* Etiamsi enim quisq; illorum scripsit secundum sapientiam ipsi datam, ut de Paulo testatur Petrus 2. Pet. 3. 15. extra ordinem tamen etiam deducti & directi sunt à Spiritu Dei assistente ad Theologiam tradendam ac describendam in communem Ecclesiæ usum: Atque tam adscribentes quam ad viva voce loquentes, applicari omnino debet illud Christi Marc. 13. 11. *Non estis vos qui loquimini sed Spiritus S.*

XV. 5. Præcognitum quintum est. *Quid verbum ἄγραφον seu Non scriptum.* Generatim verbum Dei non scriptum est Doctrina extra ordinem divinitus revelata, absque scripto sermonis signo. In hoc verbo non scripto observamus gradus duos, seu momenta duo, quorum altero prius est, & naturæ, & non raro temporis ordine. Primum momentum est interna illa illuminatio qua Deus veritatem mentibus Prophetarum insinuat πολυτρόπως visionum aut somniorum aut sermonis χρηματισμῷ sine oraculo, Heb. 1. 1. Num 12. 6. 8. In quacunque enim istiusmodi reuelatione, illi censentur audire ῥήματα seu Verba Dei. 2. Cor. 12. 4. Alterum momentum est, Immediata illa directio Spiritus S. assistentis, qua illi quod à Deo immediate audierunt proloquuntur ut Dei organa, & Vox Dei loquentis, ad Ecclesiæ ædificationem. Act. 2. 4. Matt. 3. 3. cum Esai. 40. 3. Sancti quidem sancto obsequio Marc: 13. 11. Impii autem, qualis Bileamus, etiam inviti; utrique infallibiliter. Num. 22. 18. Durante scilicet illa Spiritus S. assistentia, quæ non relinquebat se ἀμάρτυρον.

XVI, In priori illo momento Verbum Dei à Prophetis acceptum necdum Ecclesiæ traditum. *privatus tantum Canon est Prophetæ prædicaturi:* In posteriori autem momento Verbum idem demum fit *Canon publicus & authenticus Ecclesiæ:* Qua propter Verbum

Dei

Dei ἄγραφον quando etiam solum fuit Canon Theologiæ: non attendebatur, quatenus infusum & immanens in cordibus Prophetarum, sed quatenus ex thesauro cordis depromptum, per vivam prædicationem, à Deo immediate directam, & divina cooperatione extra ordinem confirmatum. Atque hinc originem habet *Traditionis* nomen antonomastice attributū verbo non scripto.

XVII. Enimverò Traditionis appellatio in subjecta materia extenditur æquivoce ad illam etiam verbi Dei propagationem, qua post primam prædicationem Propheticam & Apostolicam ἐκπνευσον de manu in manum traditur, sive olim vivis Prophetis & apostolis, sive ultimis temporibus post Prophetarum & Apostolorum excessum: quod postremum nominare tertium verbi non scripti momentum: Sed Pontificii perperam hic obtrudunt propagationem traditionis Propheticæ, quæ fit Prophetis & Apostolis deficientibus; parem cum propagatione illa, quæ fiebat olim ante Diluvium continuata à Deo Prophetarum successione: nequaquam enim illa huic est ἰσότιμος. Atque sic confundunt Humanas Traditiones cum Divinis, in tertio hoc verbi non scripti momento.

XIIX. Ex Præcognitis istis quinque ut recte formetur Status controversiæ, oportet subjectum quæstionis complectatur tria priora, Esto ergo hoc, *Canon Theologiæ Verbum Dei*: Prædicatum autem complectatur duo reliqua, atque hoc esto *Scriptura Sacra, ac Verbum Dei non scriptum.* Quæritur enim: An illud Dei Verbum, quod Theologiæ Canon est, Hodie habeamus Ecclesiæ traditum in sola Scriptura S. absque alia Traditione non Scripta, quod credit Ecclesia Orthodoxa; An vero illud habeamus partim tantum in Scriptura, partim vero extra Scripturas in quadam Traditione non scripta.

XIX. Hæc controversia in isthac Thesi intercedit Orthodoxis & cum *Swencfeldio & Libertinis*, & cum *Pontificiis*: quamvis in Hypothesi de Verbo Dei non scripto Pontificii non habeat consentientes *Swencfeldium & Libertinos*: Hi enim nequaquam agnoscunt ut Verbum Dei ἄγραφον Traditiones illas, pro quibus tanquam pro aris & focis dimicant Pontificii: Sed eo loco habent tantum privatas, quas sibi fingunt, divinas inspirationes. Hoc di-

vortio ſententiarum non obſtante, inter utroſque conſenſus eſt in Theſi ſaltem illa, qua Verbum Dei collocatur partim in Scriptura S. partim extra illam. Quin in ipſa Hypotheſi, non unus eſt pontificiorum cum *Swenckfeldio & Libertinis* ſyncretiſmus; & in conviciis ac ſcommatis contra Scripturam ſacram; & in definitione Verbi non ſcripti quatenus inſpiratur cordibus. De quo gemino Pontificiorum cum *Swenckfeldio & Enthuſiaſtis* ſyncretiſmo, agemus, cum bono Deo, diſputatione ſequenti.

DISPUTATIO II.

Papiſtarum & Enthuſiaſtarum Diſcordia Concors.

DE VERBO NON SCRIPTO INTERMO.

1640. 7. Martij.

THESIS I.

POſt Controverſiæ de Canone Theologiæ Prænognita, prima Diſputatione expoſita, ac formatum Controverſiæ ſtatum; flagitat præſens Diſputatio ut antequam tangamus Traditiones non Scriptas (quas pro Verbo Dei non ſcripto obtrudunt Pontificii ſoli) demonſtremus quod dicere cœpimus de Pontificiorum & Euthuſiaſtarum Diſcordia Concorde: Cujus demonſtrationis noſtræ hæc erunt capita: 1. Utriſque & Pontificiis & Enthuſiaſtis convenire de Verbo non Scripto in quæſtione *An ſit* & *Quid ſit*: videlicet eſſe Verbum non Scriptum, Magiſterium Spiritus intus loquentis & docentis ſapientiam altiorem quam quæ Scripturis Sacris continetur. 11. Conſequenter à pontificiis contra Enthuſiaſtas φωνάσει tantum Diſputari pro

pro Scriptura sacra tanquam certa & stabili regula Fidei. III. Revera inter Pontificios & Enthusiastas hoc tantum esse controversum *Quorum sit* Verbum non Scriptum, seu, penes quos inveniatur in penes Ecclesiam repræsentativam tantum; an penes quosvis etiam idiotas.

II. Primum caput, de Magisterio Spiritus intus loquentis & docentis sapientiam altiorem, quam quæ Scripturis Sacris continetur, quoad Enthusiastas seu Libertinos Suencfeldium alioſque, in confesso est: Censent enim Scripturam sacram esse tantum quasi lac parvulorum: à quo ablactandi sint grandiores & adultiores, qui in cœtum quodammodo Angelorum admissi ab ipso fonte veritatis per se sapientiam hauriant: atque sic Scripturas missas faciant, tanquam sibi non amplius necessarias nec utiles: Atque hic est scilicet commentarius, quo tuentur sequentia in Scripturam S. convitia & scommata, quæ Paradoxorum titulo palliat *Sebastianus Francus in proœmio Paradoxorum* 280. *Litera Scripturæ Antichristi gladius, occidit Christum: Scriptura sine luce vita & interprete Spiritus, obscura lucerna & occidens litera: Hæreses & sectæ ex litera Scripturæ scriptura: liber septem signaculis clausus, obsignatumque ænigma: Vagina non gladius Spiritus, Silenus Alcibiadis.*

III. Pontificios quod attinet *Melchior Canus* & *Petrus à Soto*, quorum uterque pars fuit Concilii Tridentini, hic λυμνῇ κεφαλῇ idem tuentur Magisterium sapientiæ altioris, quod Enthusiastæ *Indignum erat*, inquit, Canus, *ut tota Euangelii doctrina quæ lex est Spiritus & vitæ, mortuis ubique literis committeretur, nec ulla ex parte committeretur cordibus*: & mox: *Servorum & rudium est omnia ex præscripto agere: Iudæorum ergo sit scripta hæc Lex*: &c. *At filii perfecti jam viri & in libertatem gratiæ vocati habent legem insculptam in cordibus*: &c. *De locis Theol. lib. 3. fund. 4. Petrus à Soto similiter: Illud statuatur ut certissimum, quod hoc scribendi divina verba atque revelationes consilium ob imperfectionem & infirmitatem humanam est excogitatum à Deo, atque infirmioribus & imperfectioribus magis expediens: sanctioribus vero, & purioribus aut minus aut nullo modo necessarium Defens: Cathol. Fide, contra Confes. Wirteberg. cap.* 36. Concinit *Costerus* Jesuita *Quærenda est*, inquit, *alia Scriptura, quam manu sua Christus exaravit, scribens digito Dei in corde Ecclesiæ*; *Enchir.*

pag.

pag. 43. Nec aliud videtur voluisse ipse *Bellarminus*; quando affirmat. *Non esse Scripturam necessariam*: de Verbo Dei *lib.* 4. *cap.* 4. item *Scripturam non esse factam præcipue ut sit Regula Fidei. lib.* 4. *cap.* 12.

§ 4. Ab ista Magisterii Scripturæ, infra Magisterium Spiritus intus loquentis in cordibus, depreciatione: enata quoque Pontificiorum convitia & scommata in Scripturam S. scommatis Enthusiastarum gemina: quæ operæ precium erit ἀνυπαίξει adscribere propter querelam istam *Bellarmini*, à qua tractationem controversiæ de Verbo Dei auspicatur: Quod *Martinus Lutherus & Iohannes Calvinus, & quotquot sectatores & discipuli eorum sunt. Swencfeldii & Libertinorum errorem Romano Pontifici totique Catholicæ Ecclesiæ impudentissimo mendacio adscribere non vereantur. c.* 1. Libuit Bellarmino, ex *Calvini* tantum *Institutione adversus Anabaptistas*, excerpere hæc verba: *Nec enim Papistarum more dicimus sacrosanctas Scripturas missas fieri oportere ut auctoritati hominum acquiescamus; hoc enim effugium censemus blasphemiam execrabilem esse.* debuerat ex *Institutione adversus Libertinos cap.* 9. ex qua descripsit quæ de Libertinorum historia narrat, descripsisse quæ ibidem Calvinus dixit explicatius, de Papistarum cum Libertinis discordia Concorde: qnod *utraque secta commune habeat, ut Scripturam in allegorias transforment, & sapientiam meliorem ac perfectiorem affectent, quam quæ illâ continetur: quod utrique communi consensu hanc Pauli sententiam obtendant Literam occidere* 2. *Cor.* 3. 6. Quod *formam novam introducere volunt, qua Scriptura Nasus, quod vulgo ajunt, cereus fiat, aut instar pilæ sursum deorsumque agitetur.* &c.

V. Liberant Calvini fidem, & Bellarmini impudentiam arguunt sequentia Papistarum in Scripturam S. pudenda convitia.

Posteri (inquit Quintinus Heduus) grata sane & pereleganti metaphora Scripturam vocarunt ceream, ejusque nasum cereum dixere. quia possit ad libitum quocunq; flecti; tam facile est enim, imo facilius est ad res profanas & impias probandas detorquere sacram Scripturam; quam facile ex pedibus ac semipedibus aut penthemimeribus Vergilianis epithalamia seu quidvis aliud in unum congerere: Hæc adoptat & laudat *Pamelius in Tertull: de præscript: Aduot:* 237.

Ve-

Vetus est proverbium S. Scripturam, cereum habere nasum, quem suo quisque arbitratu possit inflectere: ita ut non modo diversa, verum etiam pugnantia dogmata per eam statui defendique à contentiosis & hæreticis soleant: Nec est quod ambigas: *Martinus Cromerus libello de falsa Luther. relig. pag.* 48.

Apud rudem populum facile est S. Scripturam (quæ velut Nasus cereus est) in quamvis interpretationem flectere: *Jesuitæ Colonienses in Censura Catech: Monhemii pag.* 117.

Ex sola Scriptura super quæstionibus controversis judicium & sententia exspectari non potest, cum de ejus intellectu plerumque controvertatur, & se trahi sinat, ut dicit S. Clemens, ad sententiam plerumque repugnantem: Nec tamen reclamat, sed quasi muta silet & injuriam sustinet patienter. *Ruard Tapper Orat. Theol.* 3.

Sunt Scripturæ veluti plumbea quædam Lesbiæ ædificationis regula, quæ ad sensum quem quis ante secum præsumserit accommodari se facile patiuntur: *Alb. Pbigius lib.* 1. *cap.* 2.

Scripturæ plurimum frequenter obscuritatis habent & horsum illorsumque velut cereus nasus aliquis trahi se accommodarique in diversam & ad eam quam quis secum ante præsumsit sententiam, callida cautaque expositione etiam, facile eludi permittunt. *Idem in Indice argumentorum lib.* 1. *cap.* 4.

Scripturæ quas nobis in membranis Apostoli reliquerunt, sunt litera mortua scripta atramento in membrana vel charta, quam si quis uel truncare velit vel torquere vel pravis expositionibus corrumpere, nihil sentiat: Sunt instar vaginæ quæ quemlibet gladium admittit uon modo chalybeum, sed etiam plumbeum, ligneum, æreum, patiuntur enim se quavis interpretatione trahi *Costerus in Enchir. pag.* 44.

VI. De istis & similibus nimis diluta est Apologia Jesuitæ *Gordonii Huntlai Controvers. V. de Verbo Dei cap.* 3. §. 3. *Hæc dici de sola nuda & mortua litera, quæ verso sensu caret, imo de ea litera cui addunt hæretici suum perversum sensum, Neminem autem hæc tribuere litera viva, quæ conjunctum habet verum & genuinum sensum, quæ sola*, inquit, *est verè & proprie verbum Dei*; Quia neque orthodoxi ira carent communi sensu ut unquam soli nudæ literæ, quæ vero sensu caret, asserverint Auctoritatem Canonicam. Neque Pontificii peccarunt

runt tam crassa ignoratione Elenchi ut putarint Orthodoxos id velle: Ac jugulatur hoc *Huntlæi* effugium, per assertionem *Melchioris Cani* istam, *Scriptum Verbum si vere ac proprie*, inquit, *loqui velimus non est Verbum. De locis Theol. lib. 3. fund. 4.* Scriptum Verbum non potest definiri nuda & sola litera quæ vero sensu caret. Interim accipimus lubentes quod Huntlæo vis veritatis expressit contra Canum, literam vivam quæ conjunctum habet verum & genuinum sensum (quæ est ipsissimum Scriptum Verbum) solam esse Vere & proprie Verbum Dei.

VII. Confirmandum porro quod à nobis dictum de affectatione sapientiæ melioris & perfectioris, quam quæ Scriptura S. continetur, Pontificios cum Enthusiastis paria facere. Audivimus Canum: adiendus jam *Petrus à Soto in Defensione Catholicæ Fidei contra Confessionem Wirtebergensem cap.* 38. Ubi facit *Verborum Dei quatuor quosdam gradus velut genera ejus.* I. *Verbum æternum immensum & incomprehensibile, de quo Iohannes In principio erat Verbum* II. *Verbum Dei in cordibus, seu revelationes Prophetarum cordibus à Deo infusæ.* III. *Prædicatio Prophetica & Apostolica.* 4. *Scriptura divina.* Secundum tertium & quartum gradus facit *totidem Verbi æterni quasi participationes quasdam & velut semina, quæ cum mentes nostræ suscipiunt, atque cogitationes suas & affectus illis subjiciunt, non aliter se habent ad Deum, quam Discipuli ad Magistrum, & quodammodo Deificantur. Et hoc quidem*, inquit, *pro gradu & puritate cujusque.* De puritatis autem illius gradibus sic censet *cap.* 36. *Multo purius & integrius Dei cognitionem aut solo Verbo, aut certe interiori tantum revelatione hominibus participari: Et sane*, inquit, *quo divina nobis purgatiora & ut ita dicam ab omni similitudine atque ab omni re corporea magis separata traduntur, signum est purgationis animi divinarumque rerum capacioris. & illa multo perfectius agnoscuntur.* Iterum *cap.* 37. *Tanto Verbum Dei dignius à Deo tradi: quanto remotius ab omni scriptura, imò etiam ab vocali verbo; quando scilicet sola divina revelatione sine ulla imagine & phantasmate ab eo infundisur cordibus.* iterum 38. Quartum & *ultimum gradum merito* post prędicationes Propheticas *tenere* Scripturam divinam; *quia* scilicet *Scripta Voces ipsas significant.*

VIII. Censura nostra in istam Assertionem Enthusiasto-Papisticam hæc est. 1. Monstrosum est quod inter Verbum Dei gradus

& genera, in ordinem cogitur Verbum Æternum Filius λόγος: qui omnis Verbi Dei quod Canonem Theologiæ constituit auctor est: cui proinde non convenit proprie loquendo nomen Canonis sed tantum per prosopopœiam, *vide Disp. nostram* 1. *Thes.* 8. *&* 9. 2. Monstrosa quoque est illa, quam pro tertio gradu Verbi Dei obtrudit, Participatio Æterni Verbi, quæ perficitur, sine ulla imagine & phantasmate, mentium nostrarum quadam Deificatione: Hoc est ipsissimum illud, quod Enthusiastæ urgent, magisterium Dei nos docentis absque Canone ullo, norma, ut Lege seu τύπῳ διδαχῆς: quod expressit *Seb. Francus Paraphr. Theol. Germ. cap.* 28. hac descriptione Justi & Sancti Exlegis: quod sit *Supra omnem legem, virtutem, præscriptum, ordinem, observationem evectus, etiam supra omnem creaturam & externa quoque omnia opera. verba paraneses, Doctores, libros eorum sublimatus, nihil sciat aut agnoscat jam quam quod in ipso, nisi Deum in cordis sui templo & regno Sacerdotem & Regem unicum, omnia præscientem, loquentem, patientem, tacentem, docentem, agentem.* 111. Absq; illa monstrosa mentium Deificatione, sane intellectæ revelationes Prophetarum cordibus à Deo infusæ, sunt quidem Verbum Dei factum ad Prophetas, sed quod necdum est Canon publicus Ecclesiæ, sed privatus tantum Prophetæ prædicaturi. *Vide Disp. I. Thes.* 15. *&* 16.

IX. IV. Duos illos gradus Verbi reliquos, prędicationes Propheticas & Scripturam divinam, olim fuisse Theologiæ Canonem nemo negat: Hodie utramq; urgere, cum commendatione Ascensionis istius à Scriptura, quæ tenet locum ultimum, per gradum superiorem Prædicationis Propheticę, ad gradum tertium revelationis infusæ absq; Scriptura aut Verbo, & denique ad Verbum ipsum Æterni Patris: est ponere hoc πρῶτον ψεῦδος: Hodie quoque non deesse Homines θεοπνεύστους divinitus inspiratos, qui pari loco sint habendi cum Veteribus Prophetis & Apostolis. V. Depressio & depreciatio ista Scripturæ divinæ in locum & gradum infimum, cum illa Ascensionis illius commendatione, quâ ad gradus altiores contenditur: revera habet hoc mysterium iniquitatis *Scripturas missas fieri oportere, auctoritati hominum acquiescamus*: ut merito Calvinus Papisti hic imputet blasphemiam execrabilem.

XIII. Nostra ἐπιχειρις de loco Pauli & parallelis hæc est: Cum Bellarmino negamus quidem in loco Pauli oppositionem esse inter Scripturam S. & internam Spiritus S. alloquutionem, quasi hæc illam perimat in Euangelio: Sed nolimus negare extra illam oppositionem Paulum per literam intellexisse Scripturam. Verum non dixisse Paulum literam *mortuam*, sed *occidentem*: Aliena itaque est à verbis & mente Apostoli Litera Scripturæ mortua, & vero sensu carens, quam *Francus* vocat *Vaginam non gladium Spiritus*: *Costerus* Jesuita *Vaginam quæ quemlibet gladium admittit*: Vagina certe non occidit, sed Verbum Dei Gladius Spiritualis. Occidentem ergo literam vocavit Paulus Scriptam in Sacra Scriptura Legem: quæ, quamvis occidat non vivificet, ipsa tamen viva est: neque quod occidat illi imputandum per se, sed per accidens propter peccatum.

XIV. Enthusiastis argumentum istud suppeditant Papistæ quod ex *Cano* & *P. à Soto* jam audivimus: Verbum Dei tanto dignius à Deo tradi, quanto remotius ab omni Scriptura, atque ea propter indignum fuisse ut tota Euangelii doctrina literis committeretur. Sed ficulneum hoc est; quia cum aliam Theologiam non spectemus in Controversia præsenti quam *Theologiam Viatorum*: omnino Traditio Verbi Dei tanto dignior æstimari & majori in precio haberi debet, non quanto magis analoga est majestati divinæ, sed contra quanto in illa major est συγκατάβασις seu condescensio Dei succurrentis nostræ imbecillitati & fragilitati, qui per Fidem incedimus non per aspectum. 2. Cor. 5. 7.

XV. III. Iam nemini ambiguum esse potest, quin hoc sit unicum caput inter Pontificios & Enthusiastas controversum: quod, ut diximus Pontificii Verbum ἄγραφον *Scripturam in corde* asserant soli Ecclesiæ repræsentatiuæ: Enthusiastæ vero, idem largiantur etiam quibusvis idiotis. Præter Costerum in verbis quæ citavimus Thesi 3. Prodit hoc *Hosius Episcopus Warmiensis Concilii Tridentini Præses. Contra Brentium lib.* 3. *edit: Antverp.* 1561. *fol.* 126. verbis istis, *Qui non sequitur hac in re Spiritum suum, quod faciunt insipientes Prophetæ; sed Ecclesiæ Spiritum sequitur.* De privato itaque cujusque idiotæ Spiritu, non de Spiritu Ecclesiæ intelligendus *Bellarminus lib.* 1. *cap.* 2. in verbis istis *Cum Sacra Scriptura regula*

credendi certissima tutissimaque sit: sanus profecto non erit qui eâ neglecta Spiritus interni sæpe fallacis & semper incerti judicio se commiserit. Nos suo loco etiam illius quem Pontificii jactant Spiritus Ecclesiæ interni judicium sæpe fallax semper incertum esse demonstrabimus: interim accipimus lubentes hoc Scripturæ sacræ encomium quod Bellarmino expressit vis veritatis: illam esse *Regulam credendi, certissimàm tutissimamque*; quod ut à Zelo pio Scripturæ profectum accipere, vetat Bellarminus ipse alibi pronuncians tantum non αὐτολέξει, pariter αὐτόπιστον esse cum Scriptura *Alcoranum Mahometi De Verbo Dei lib. 4. cap. 4.*

XVI. Supereſt ad ſcopum præſentis diſputationis ut ab illo quem Pontificiis imputamus ſyncretiſmo cum Enthuſiaſtis, liberemus ac vindicemus (maximè adverſus Remonſtrantium calumnias) Orthodoxam ſententiam de Fide qua Scripturis creditur, ex interno Spiritus S. teſtimonio; quæ quid ſit enucleatius dicendum. Ac primo quidem cenſemus non omnino abſolute eandem eſſe *Fidem* hanc *qua Scripturis creditur* & *Fidem ſalvificam*; quamvis fatemaur illam hac ſuperveniente altius radicari; adeoque non alienum eſſe, ut quod de Fide illa qua Scripturis creditur docendum eſt, doceatur, ut ſit in titulo de Fide Saluifica, quæeſt Fidei quaſi primum Analogatum.

XVII. Eſt autem nobis Fides qua Scripturis creditur diſtincte loquendo, conviction mentis & conſcientiæ, qua agnoſcitur Scripturæ Sacræ divina auctoritas nos obligans ad obſequium & obedientiam intellectus & voluntatis; de qua Fide Paulus teſtimonium perhibebat regi Agrippæ, *Credis Rex Agrippa Prophetis? ſcio te credere. Act. 26. 27.*

XVIII. In Convictione illa conſcientiæ intercedit inter Canonem Scripturarum, & Fidei qua Scripturis creditur Apoteleſma, Suaſio externa, & Perſuaſio interna. Suaſio externa ſita eſt vel in diſpenſatione illa Verbi ſcripti, qua Doctores in Eccleſia ex officio ſe commendant manifeſtatione Veritatis ad omnem conſcientiam 2. Cor. 4. 2. vel in ponderatione argumentorum quæ pro Scripturæ auctoritate ipſa ſubminiſtrat ſtudioſo & attento lectori. Perſuaſio interna fit per teſtimonium Spiritus S. teſtificantis cum Spiritu noſtro, & obſignantis veritatem & ἀυθέντιαν Scripturam.

XIX.

XIX. Ante Persuasionem illam internam auditor & lector Verbi scripti utitur in Scripturarum examine judicio discretionis, adhibens etiam principia rationis & κοιναὶς ἐννοίας, quibus stantibus etiamsi ex illis non possit demonstrari veritas mysteriorum quæ Theologiæ Supernaturalis Objectum proprium spectant, Attamen Scripturarum veritas, illa saltem quæ facit ad revelationem ἐξωτερικὴν Objecti communis Theologiæ quod est Deus Unus Creator Gubernator & Iudex universi, non relinquit se ἀμάρτυρον absque testimonio, in conscientis etiam Pagnorum & Atheorum.

XX. Persuasionis autem internæ ὑποπίλεσμα illud, puta Fides qua Scripturis creditur, existit per Spiritus S. illuminationem superuenientem in Scripturæ auditæ aut lectæ meditatione; Quam confirmant testimonia illa Scripturarum quę quamvis κατ' ἐξοχὴν & κυρίως seu principaliter & potissimum spectent Salvificam Fidem, ad illuminationem tamen ϖρόσκαιρον illorum quoque faciunt, qui absque salvifica Fide *gustant bonum Dei verbum. Hebr.* 6. 4. 5. 6. Docent autem. I. distincte, & apertionem Scripturam antecedentem, & subsequentem apertionem mentis, ut Scripturæ intelligantur Luc. 24. vers. 32. &. 45. Act. 16. 14. II. Internum Dei seu Spiritus testimonium, de Verbo Scripto ipsius Spiritus. S. 1. Joh. 5. 6. 10. 1. Joh. 1. 33. cum. 2. Cor. 1. 22. III. Unctionem per quam sumus Θεοδίδακτοι 1. Joh. 2. 26. 27. cum Joh. 6. 45. 1. Thes. 4. 9.

XXI. Internum hoc Spiritus S. Testimonium generans in nobis Fidem qua Scripturis credimus (quamvis possimus quoque vocare *Scripturam in corde*:) nihil tamen affine habet, cum Enthusiasto-Papistica *Scriptura in corde* quam Scripturæ ut *literæ mortuæ scriptæ atramento in membrana vel charta* opponunt & anteponunt: Quia nos testimonium internum Spiritus, cum ipsa Scriptura componimus, & unum facimns, spectata Doctrinæ hypotyposi; atque censemus nihil esse aliud quam Verbi illius quod atramento in membrana vel charta exaratum est, vivum ἀπόγραφον à Spiritu S. cordi inscriptum: ac consequenter, quia idem est Spiritus eandem veritatem loquens & in Scriptura & in Corde, nihil loquens

à se

à se ipso Joh. 16. 13. id est nihil privatim intus docens, quod non publice docet in Canone Scripturæ; hoc criterio explorari debere loquaturne intus in corde verus Dei Spiritus an spiritus deceptionis & mendacii.

XXII. Neque ullo pacto cum Enthusiasto-Papistica Scriptura in corde conciliari potest, Scripturæ Sacræ à Spiritu S. in corde apographum: propter Hypothesin hanc: quod impossibile est ut privatum internum testimonium in animis singulorum, qui Scripturis credunt, sit Canon seu Regula Fidei & Religionis publica & communis docentium & discentium: Quamvis omnino censeamus cumulari (explorato consensu interni hujus testimonii, cum publico testimonio Scripturæ S.) obligationem ad fidem & Fidei obedientiam: adeo ut grauius etiam peccetur, si eatur contra Scripturę & Spiritus intus loquentis consensum, quam si quis nondum intus illuminatus soli externo Scripturæ testimonio non credat. Enimvero hoc pacto non minuitur sed cumulatur Scripturæ S. Auctoritas Canonica; quæ sequentibus disputationibus asseretur; ac vindicabitur ejusdem *αὐτάρκεια*, seu Perfectio & Sufficientia; contra variam quam Pontificii fingunt, Traditionum non Scriptarum necessitatem, quâ *propter* quâ *præter* Scripturam

---

COROLLARIA.

A Iuello in *Apologia Ecclesiæ Anglicanæ*, adscribuntur *Hosio* Concilii Tridentini Præsidii verba hæc ex libello ipsius *de Expresso Dei Verbo*: *Nos ipsas Scripturas quarum tot jam non diversas modo, sed etiam contrarias interpretationes afferri videmus, facessere jubebimus, & Deum loquentem potius audiemus, quam ut ad egena ista elementa nos convertamus, & in illis salutem nostram constituamus, Non oportet Legis scripturæ peritum esse, sed à Deo doctum: labor qui Scripturis impenditur, Scriptura enim creatura est, & egenum quoddam elementum.*

Hardingus contra Iuellum pro Hosio respondet: *Hosium narrare ea quæ ineptæ hæresios suæ defendendæ causa disputaret Swencfeldius*: itaque prosopopoeiam esse Swenckfeldji in verbis istis, quæ Iuellus pro-

profert, ut verba Hosii: *cum tantum*, inquit, *nec ab Hosio, nec ab ullo unquam Catholico, sed ab ipso duntaxat Swenckfeldio sint edita.* Mox idem Hardingus affirmat: *Nulli qui opera unquam viderit venire in mentem posse, ut ejus rei affinem eum esse judicet.*

Agnoscimus Juelli, & aliorum, quos Juellus laudat, παράδοξα: Hardingo autem de Hosio responsum esto: (supra id quod de aliis Pontificiis jam dictum satis) I. Hosius calculo suo confirmat sententiam à Soto de Scriptura S. quam vidimus esse ipsissimam Enthusiastarum sententiam. *Non credat*, inquit Hosius, *pius lector impio Brentio sic suam causam proponenti, quasi Petrus à Soto, vir pius, Catholicus & doctus secus aliquid de Majestate Scripturarum senserit, quam sentire virum Catholicum oportet. Contra Brentium lib. 3. edit. Antv. 1561. fol. 125. verso.* II. Adoptat idem Hosius Paradoxon illud impium, *Scripturas valere quantum fabulas Æsopi, si destituantur auctoritate Ecclesiæ*: verbis istis; *Et potuit illud tamen pio sensu dici, quem homo pius qui charitatem habet, quæ non cogitat malum, ex iis verbis eliceret. Nam revera, nisi nos Ecclesiæ doceret auctoritas, hanc Scripturam esse Canonicam, perexiguum apud nos pondus haberet, fol. 141.* III. Cui non Enthusiasticæ Impietati affinem esse judicabit Hosium, qui in Hosii operibus hæc legit de Davide Psalmographo Θεοπνύστῳ? *Scripsit Psalmos aliquot, si quid Athanasio credimus, quinque tantum. Quid ni scriberet? Ne nunc quidem Regi prohibetur aut Principi, quo minus aut rythmos aut Psalmos aut carmina scribat, quibus Dei laudes celebret: Scribimus indoctique poëmata passim.*

DISPVTATIO III.

Quæ est

DE

DE S. SCRIPTVRÆ

AUCTORITATE

UNIFORMITER DIVINA.

1640. 23. Martii.

THESIS I.

PRogressuri in Controversia de Canone Theologiæ, duo agemus hac Disputatione. I. Quam Scripturæ S. asseruimus Divinitatem, (ut librorum Scripturæ Auctor dicendus sit solus Deus: Scriptores vero dicendi sint tantum Dei ministri & Actuarii: Disp. I. Thes. 12. 13. 14.) illam docebimus toti Scripturæ S. inesse uniformiter. II. Asseremus Divinitatis illius ab Auctore Deo consequens, Auctoritatem Canonicam, convenire in solidum & soli Scripturæ S. ut sic constet Scripturæ Auctoritatis Uniformiter Divina.

II. Primum Disputationis caput flagitat Papistica μεθοδεία τῆς πλάνης; quando, quod universim Scripturæ S. detrahere pudet, duabus saltem ejus portionibus detrahunt, ut tertiæ tantum portioni per ipsos liceat asserere veram Divinitatem, qua ab Auctore Deo Divina denominatur. *Omnes Epistolæ Apostolorum* (inquit Bellarminus) *dicuntur Divina & Apostolica scripta, etiamsi quædam in eis sint præcepta Divina, & quædam propriè Apostolica, ut patet ex illo, 1. Cor. 7. Præcipio non ego, sed Dominus: & postea. Dico ego, non Dominus*: Hæc διχοτομία seu bimembris in speciem partitio, aliâ *Traditionis Scripta* Apostolicæ, pariter ut *non Scripta*, sub divisione in *Apostolicam* κυρίως dictam, & *Ecclesiasticam* evadit trimembris: ut scilicet non scripta & scripta Traditio, habeat triplicem hanc differentiam, per quam partim *Divina* est, partim *Apostolica*, partim

Eccle-

Ecclesiastica, Bellarm. de Verbo Dei lib. 4. cap. 2.

III. Adoptavit hanc Papisticam Scripturæ S. differentiam *Seb. Castellio Dial. 2. de Electione. edit. Goudanæ. p.* 113. ubi ille postquam se frustra fatigavit in Pauli doctrinâ concilianda cum suis hypothesibus, tandem nodum non solutum desperate secat his verbis: *Se malle Ieremiæ credere quam Paulo, quia apud Ieremiam loquitur Deus ipse cum Paulus loquatur ex sua persona. Quantum autem referat, utrum ipse ex sua persona an vero Dei mandato loquatur apparet ex ipsomet qui alicubi sic scribit; Conjugibus præcipio non ego, sed Dominus: & paulo post de Virginibus Domini præceptum non habeo, sed consilium do 1. Cor. 7. 10. 25. Vides ut nolit eandem suis verbis auctoritatem tribui quam Deo.* hactenus *Castellio.* Concinunt Remonstrantium primipili; *Poppius, Angustæ portæ pag.* 432. 433. *Episcopus Disputatione publica de Autoritate S. Scripturæ* 1612. *Thes.* 25. Idem in *Tractatu* vernacule edito 1639. *de Officio Magistratus pag.* 34. ubi alias facit *Leges* 1. *quas Christus ipse condidit*: 2. alias *quas Christus per Spiritum S. Apostolis condendas indicavit*: 3. alias denique *quas condiderunt Apostoli consilio auctoritate & instinctu seu motu proprio.*

IV. Nos contra asserimus Scripturæ S. Divinitatem Uniformem & consequenter Auctoritatem Canonicam uniformiter divinam: quam Divinitatis Uniformitatem, accuratius docebunt sequentes Hypotheses, quarum prima esto. I. In Scriptura S. est Divina ac consequenter Veritatis, infallibilis atque αὐτόπτης omnis quorumcunque dictorum aut factorum historia; Quamvis nec facta omnia trahi debeant ad imitationem; neque obligent ad Fidei obedientiam dicta omnium illorum qui loquentes introducunturquamvis verè & piè loquuti.

Corollarium, Sermones amicorum Jobi non sunt pariter αὐτόπται cum libro Jobi, quia etiam quæ in Thesi vera & pia sunt, notantur tamen divina censurâ de falsa [hypothesi], Job. cap. 42. vers. 1.

V. II. Scriptoribus librorum sacrorum accenseri debent etiam illi sancti Dei homines, qui à Scriptoribus sacris introducuntur, non proprio motu, sed ex Spiritus S. instinctu seu afflatu loquentes, puta, Stephanus protomartyr, Iohannes Baptista, pater Baptistæ Zacharias Simeon, B. Virgo Maria, item Philippus

Eunuchum, & Annias Paulum docens Luc. 1. Act. 7. 8. & 9. Neque hic caret impietate quod, de Stephano contra expressum illud elogium, quod plenus esset Spiritu S. Act. 7. 55. *Melchior Cannus* non veretur excipere, quasi non aliter *in Stephano* loquutus ut Spiritus S. quam *in Ambrosio*: ut Stephanum excludat à *Privilegio* illo, quod agnoscit in *omnibus Scriptoribus sacris, quod nullas eorum in docendo errare quin neque memoria labi potuerit*: *Locorum Theol. lib. 2. cap. 18.*

VI. III. In Scripturam S. nullam infert Divinitatis depreciationem, neque consequenter ullam Auctoritatis difformitatem, dispar Scribentium axioma: sive illi fuerint Apostoli, sive Apostolis inferiores Euangelistæ, aliive sancti Dei homines: Quia quos non invenit pares, facit in hoc negotio pares Divina inspiratio illa, qua acti scripserunt. 2. Pet. 1. 21.

VII. IV. Nullam quoque Difformitatem Auctoritatis facit Differentia illa, quod vel immediate in Scripturâ S. loquens Deus audiatur, vel mediate loquens per os Prophetarum: aut similiter vel suo ore loquutus Christus, vel in Apostolis loquens Spiritus Christi: quia uniformiter *Scriptura Tota est divinitus inspirata*, πᾶσα θεόπνευστος, 2. Tim. 3. 16.

VIII. V. Neque variat Scripturæ S. Auctoritatem, aut difformem illam facit, multiformis, divinæ παιδείας τρόπος, quo πολυτρόπως se Scriptura animis insinuat, V. G. sive loquatur in modo imperativo, sive in modo optativo: sive ut Legislator, sive ut hortator & monitor, consilium dans in conscientiæ casibus. Quapropter non habent reverenter Scripturam S. qui V. G. in Veteri Testamento nihil videntur accipere pro mandato aut præcepto Legislatoris, quod non conceptis verbis in Lege Mosis exstat, V. G. Gnomas & *Sententias* Salomonis *de vitandis consortiis impiorum*, vir magni nominis dicit *Prudentiæ tantum Monita* esse, *non Legis præcepta, Lib. 2. de jure Belli & pacis. cap. 15. §. 9.*

IX. VI. Ex Uniformi divinitate, Auctoritas Uniformiter divina, *similariter* inest in singulis Scripturæ S. libris & librorum thematis, quatenus spectat Fidem Historicam, qua quivis lector Scripturæ S. quovis tempore, quovis loco tenetur Scripturæ S. acquiescere & συνευδοκεῖν, ut quæ nusquam non ex Deo loquatur veritatem Divinam.

X. VII.

X. VII. Auctoritas autem Uniformiter divina *dissimiliter* ineſt in Scriptura S. quatenus ſpectat Theologiæ ideam, quæ non in ſolidum ineſt in ſingulis vel libris vel librorum thematis, ſed in librorum Canonicorum integro ſyntagmate. II. Deinde, πολύτροπος ſeu difformis & varia eſt, in librorum ſacrorum Syntagmate, Theologiæ Legalis & Euangelicæ, atque hujus rurſum vel Moſaicæ vel Chriſtianæ Idea: Unde fit ut jam Lex ſcripta de ſacrificiis aliiſque ritibus per mortem Chriſti antiquatis, non tangat Chriſtianorum Religionem: quamvis lecta & audita non caret uſu piæ meditationis de Chriſtianâ libertate, atque ea propter reverenter quoque habenda.

XI. His ſuppoſitis reſtat in primo hujus diſputationis capite vindicandus male arreptus locus Pauli 1. Cor. 7. per genuinam interpretationem verborum iſtorum verſu 10. παραγγέλλω οὐκ ἐγὼ ἀλλ' ὁ κύριος; & rurſum verſ. 12. ἐγὼ λέγω οὐχ ὁ κύριος. Priora quidem iſta hoc ſignificant, in caſu priori de divortio inter conjugatos vitando, non opus eſſe deciſione Apoſtolica, cum ſuper eo exiſtet deciſio ipſius Domini Jeſu, qui conſultus reſpondet Matth. 5. 32. 19. 9. Mar. 10. 11. Luc. 16. 18. q. d. Non eſt quod ego tiicam, dominus Jeſus dixit.

XII. Verba autem poſteriora ſignificant poſteriorem caſum, quem non deciderat Dominus Jeſus, ſe jam decidere auctoritate Apoſtolica per Spiritum Jeſu. Exſerte enim, ne quis ſuam γνώμην depreciet aut deprimat infra Verbum Dei aut Chriſti, dixit γνώμην δίδωμι ὡς ἠλεημένος ὑπὸ κυρίου πιστὸς εἶναι verſu 25. quæ verba exprimere vocationis Apoſtolicæ axioma evincit locus parallelus 2. Tim. 1. 12. ὅτι πιστόν με ἡγήσατο θέμενος εἰς διακονίαν. Obſervamus obiter utrobique vocem πιστὸς exprimere Hebræam נאמן qua Moſi & Samueli olim adſcripta eſt præfectura illa, qua Deus utrumque cum fiduciâ præfecerat populo ſuo Num. 12. 7. cum Hebr. 3. 1. Sam. 3. 20. quam comitabatur ipſorum fidelitas in muneris functione. Accedit quod Apoſtolus verſu 40. exſerte ſuam γνώμην vindicat Spiritui ſancto.

XIII. Neque in contrarium aliquid afficitur ex verbis illis verſu 25. *Præceptum non habeo, ſed Conſilium do*: quia nequaquam

intellexit Paulus Præceptum de ſcribendo vel non ſcribendo? ſed Præceptum de nubendo vel non nubendo, quod ſcilicet virgines univerſaliter obliget, ut nubant aut ut innuptæ omnes maneant; affirmat itaque ſe habere Conſilium virginibus ſalutare, quo ſe ipſas explorent, ac cognoſcant quid ſecundum Deum ſingulis fas aut nefas ſit. Atque eo pacto γνώμη ſeu Conſilium illud finaliter reſolvitur in divinum mandatum quod poſita ſingulari hypotheſi, ſingulas obliget ad alterutrum; quemadmodum expreſſum eſt mandatum ut junior vidua, quæ continentiæ donum non habet, nubat 1. Tim. 5. 4.

XIV. Stabilita jam & vindicata Uniformitate Auctoritatis Canonicæ, quam credimus ineſſe Scripturæ S. ſupereſt, ut Auctoritatem illam omnem aſſeramus & vindicemus Scripturæ ſoli in ſolidum; ut neque extra Scripturam Hiſtoriæ ulli credamus Fide divina; neque ullis non ſcriptis Traditionibus mancipemus Fidem aut Fidei obedientiam ſub Vitæ æternæ. Quod conficiemus in præſenti diſputatione, propoſita Confirmatione per duas divinorum teſtimoniorum Claſſes; Confutaturi Pontificiorum exceptiones Diſputationibus ſequentibus.

XV. Claſſis teſtimoniorum prior illa eſt, quæ docet Scripturam S. eſſe Legem Dei juxta quam fit informatio ſcientiæ & veritatis: Rom. 2. 17. 18. 20. τύπον διδαχῆς, hoc eſt, Formulam ſeu Normam doctrinæ, cui credentes ex corde obediunt Rom. 6. 17. Quæ quidem Lex & Norma vim Directivam habet tam accuratam, ut ſit inſtar ſeu Viæ ſeu Regulæ à qua nefas eſt deflectere ſive ad dextram ſive ad ſiniſtram. Deut. 5. 32. 27. 20. 28. 14. Joſuæ 1. 7. 23. 6. Et quæ divinitus deſtinata eſt ad Directionem Eccleſiæ, non præſentis tantum, ſed & futuræ Eſ. 30. 8. 2. Pet. 1. 13. 15. & 3. 1. 2. Adeo ut conſolationes & exhortationes, quibus olim Deus loquutus eſt Patribus in Scriptura Veteris Teſtamenti, Apoſtolus afferat dictas & ſcriptas illi, qui vivebant Apoſtolorum temporibus. Heb. 12. 5. &. 13. 5. Ac affirmet univerſim; Quæ ante ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta eſſe, ut per patientiam & conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus Rom. 15. 4. Quemadmodum quæ ipſe uni Corinthiorum Eccleſiæ ſcripſit, affirmat ſe ſcripſiſſe omnibus, qui invocant nomen

men *Domini* noſtri Jeſu Chriſti in quovis loco. 2. Cor. 1. 2. Ac Chriſtus ipſe in ſingulis Epiſtolis Apocalypticis, quæ uni è ſeptem Eccleſiis Aſiaticis inſcribuntur monet à Spiritu dici τῆς ἐκκλησίαις. Apoc. 2. 7. 11. 17. 29. & 3. 6. 13. 22.

XVI. Ad hanc ipſam teſtimoniorum Claſſem facit expreſſum *Perfectionis* elogium: Lex Domini perfecta convertens animas Pſ. 19. 8. Cujus Perfectionis amplior demonſtratio ſe offert: quando Apoſtolus Timotheo commendat illam Scripturæ S. *ſufficientiam*, quod non tantum poſſit σοφίσαι εἰς σωτηρίαν ſalvandos, hoc eſt, ſapientes reddere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Jeſu Chriſto: ſed utilis ſit ad doctrinam, ad redargutionem, ad Inſtitutionem, quæ eſt in juſtitia, ut perfectus ſit ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος Vir Dei, hoc eſt, Propheta, Doctor Theologus, איש אלהים, ad omne opus bonum ἐξηρτισμένος perfecte inſtructus: 2. Tim. 3. 15. 16. 17.

XVII. *Perfectionis* hoc & *Sufficientiæ* elogium, munit ſevera prohibitio divina, cum maledictionis & Anathematis denunciatione, qua vetamur Scripturis aliquid addere vel detrahere: Deut. 4. 2. & 12. 32. Joſuæ 1. 7. Prov. 30. 6. Gal. 1. 8. 9. & Apoc. 12. 18. 19.

XVIII. Altera Claſſis teſtimoniorum, quibus ſoli Scripturæ S. in ſolidum aſſeritur Auctoritas Canonica, illa eſt, quæ Scripturam S. commendat ad quamvis conſcientiam. 1. à *Perſpicuitate* & Lumine Sapientiæ, neceſſario ad accuratiſſimam boni à malo, veri à falſo, diſcretionem in Caſibus religioſis. 2. à Teſtificationis *certitudine infallibili*. I. *Perſpicuitatem* docet: 1. Metaphorica Lucernæ & Luminis appellatio, quæ dicitur quaſi facem præferre pedibus & ſemitis fidelium, eique eſſe diligenter attendendum, ne in via vitæ inſtituendæ ex veræ religionis præſcripto, aberremus ab officio: quemadmodum noctu ne ruamus in præcipitia ſolemus uti lucerna & lumine, unde nobis oſtenditur via recta & tuta. Pſ. 19. 9. 119. 105. 2. Pet. 1. 9. Deinde 2. eandem Perſpicuitatem docet & explicat Sapientiæ nomenclatura attributa Scripturæ S. theſauro, qua prædicantur olim Gentibus beatiores Judæi, Deut. 4. 6. Quod teſte Apoſtolo, per Sapientiam iſtam & intelligentiam Scripturæ noſſent Dei voluntatem & poſſent δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα

φέρονται dijudicare controversa. Rom. 2. 17. 18.

XIX. II. Testificationis *Certitudinem Infallibilem* commendatam habemus hoc elogio, quod sit Testimonium Domini Fidele: (hoc est, cui tuto inniti possit conscientia, absque ullo deceptionis aut seductionis periculo) & quod Sapientiam præstet etiam illis, qui פתי & פתאים appellatione designantur ut simpliciores, qui facile possent seduci propter judicii imbecillitatem: Psal. 19 8. & Ps. 119. 130. Adeo ut erroris & seductionis in Religione vera causa sit ignoratio Scripturarum, Matt. 22. 29.

XX. Elogium illud munitum porro est expresso Dei mandato, quo illi etiam homines, qui in rebus obscurioribus & incertis oraculum quærunt, & qui eo fine solent recurrere ad Pythones, Divinos, & Incantatores, aut ad mortuorum apparitionem, ablegantur ad Legem & ad testimonium Scripturæ: cum interminatione, fore ut extra Scripturam nullam habeant lucem veritatis, nec veram fidem. Esai. 8. 20. Luc. 16 29.

XXI. Accedit 1. Praxis Veteris Ecclesiæ Judaicę, dijudicantis ex Mosis mandato controversias exortas juxta Legem Scriptam Deut. 17. 2. Exemplum Johannis Baptistæ, suam Legationem confirmantis Scripturæ testimonio Joh. 1. 3. Exemplum Christi ipsius, suam doctrinam & munus suum confirmatis ex Scripturis, cum provocatione ad Scripturarum scrutationem Luc. 4. Marc. 12. Joh. 5. 4. Praxis Apostolorum, docentium & scribentium, adhibitis passim Scripturæ testimoniis, cum auctoritatis ejusdem commendatione 2. Pet. 1. 2. Tim. 3. Et protestantium de plene & perfecte à se prædicato Euangelio, quando nihil tamen docuissent extra Scripturam S. Act. 20. 27. & 26. 22. 5. Denique praxis auditorum, qui ipsos Apostolos docentes cum audirent, scrutati sunt Scripturas, ad Doctrinæ auditæ examen: atque hoc nomine divinitus commendantur, ut aliis, qui hic negligentiores Scripturarum erat εὐγενέστεροι, Act. 17. 11.

CO-

COROLLARIA.

An acciderit Paulo constituto in Martyrio & Apologia publica causæ Christi, coram Synedrio Sacerdotum, Actorum 23. ista eclipsis gratiæ Spiritus S. ut ipsi aliquid exciderit, super quo necesse habuerit culpam agnoscere aut veniam deprecari. *Negamus*, propter promissionem Christi datam Apostolis Matth. 10 19. Marc. 13. 11. qua etiam vetuit ne sollicite præmeditata loquerentur, quia non ipsi essent, loquuturi, sed Spiritus S. Neque est in versu 3. & 5. quod cogat vel culpam vel veniæ deprecationem Apostolo tribuere.

DISPVTATIO IV.

Quæ est

DE

TRADITIONUM

non scriptarum auctoritate sacrilega, & reverentia in Papatu impia.

1641. I. Aprilis.

THESIS I.

ASSERTA Scripturæ S. soli & in solidum Auctoritate Uniformiter divina; vindicanda est in præsens assertio Orthodoxa: contra Pontificiarum traditionum Auctoritatem; quam faciunt Scripturarum Auctoritati, ut præ se ferunt, parem juxta Concilii Tridentini decretum Sessione IV. de *pari pietatis affectu ac reverentia suscipiendis ac venerandis, Propheticis & Apostolicis scriptis, & sine scripto traditionibus.* Revera autem mysterio partitionis Scripturarum & Traditionum non scriptarum, in *Divinas Apostolicas, & Ecclesiasticas*, duas saltem Scripturæ portiones, deprimunt infra traditiones divinas non scriptas, atque

illas his subjiciunt: quod iniquitatis mysterium oculis subjiciemus hoc diagrammate.

Gradus Auctoritatis difformes,

		Traditiones.	
Summus	*Divinæ*	Non Scriptæ	Scriptæ.
Medius	*Apostolicæ*	Scriptæ	Non Scriptæ.
Infimus	*Ecclesiasticæ*	Scriptæ	Non Scriptæ.

II. Prodit huc mysterium suo indicio *Bellarminus lib. 4. cap. 7. Quædam sunt Traditiones*, inquit, *majores quoad obligationem, quam quædam Scripturæ, quædam minores, & quædam æquales. &c.* Sed Gangrænam facit effrons hæc impietas, in Disputatione pro traditionum non scriptarum præter Scripturas Necessitate, propter ipsas Scripturas; Quia scilicet. 1. Non possit, absque Authentica Traditione non Scripta, certa esse fides de ipsa Scripturæ Auctoritate divina. 2. Neque certo constare, qui libri sint Canonici, qui Apocryphi. 3. Neque haberi vera & certa Scripturarum obscurarum intelligentia. Hæc lubet primo ex ipsis audire & mox ex ipsis confutare.

Etiamsi Scriptura dicat libros Prophetarum & Apostolorum esse divinos, tamen non certo id credam, nisi prius credidero Scripturam, quæ hoc dicit esse divinam. Nam etiam in *Alcorano Mahometi* passim legimus, ipsum Alcoranum de cœlo à Deo missum, & tamen ei non credimus. Itaque hoc dogma tam necessarium, quod aliqua sit Scriptura divina, non potest sufficienter haberi ex sola Scriptura; proinde cum Fides nitatur Verbo Dei, nisi habeamus verbum Dei non scriptum, nulla nobis erit fides. *Et mox*;

Præterea Veteres uno ore testantur, Non aliunde nos habere Scripturam esse divinam, & qui sint libri sacri; quam ex Traditione non scripta. Bellarminus de Verbo Dei lib. 4. cap. 4.

Pio sensu dici potuit Scripturas valere quantum fabulas Æsopi, si destituantur auctoritate Ecclesiæ. Hosius adversus Brentium, lib. 3. fol. 148.

Neque enim in libris ipsis, quibus sacra mysteria conscripta, sunt, quicquam inest divinitatis, quæ nos, ad credendum, quæ illis continentur, religione aliqua constringat; sed Ecclesiæ (quæ codices

codices illos sacros esse docet, & antiquorum Patrum fidem & pietatem commendat) tanta est vis & amplitudo, ut illis nemo sine gravissima impietatis nota possit repugnare, Andradius Defens. fid. Trid. lib. 2. fol. 106. verso, & 107.

Nihil vero divinis literis fingi posset futilius, nihil perditis hominibus ad corrumpendum magis, patens & expositum, si singulari hac auctoritate Christi jam esse Ecclesia destituta, Idem fol. 193. verso.

Tanti ponderis est ipsa traditio, ut ex ipsa Novi Testamenti scripta omnia auctoritatem acceperint; quam qui non admittunt ab ipsis etiam Canonicis scriptis excidant necesse est. Cum itaque Scripturarum fundamentum sit ipsa Traditio: eo convulso, totam desuper structam molem collabi, quis non facillime credet? Baronius ad Annum C. 53. §. 11.

Scriptura in sui receptione & expositionæ authentica, finaliter resolvitur, in Auctoritatem, Receptionem, & Approbationem Ecclesiæ universalis, præsertim primitivæ, quæ recepit eam & ejus intellectum immediate à Christo, & revelante Sp. S. in die Pentecostes, & alias plures; Patet, quia quod Matthæus scripserit Euangelium & Nicodemus non; solùm habemus ab auctoritate Ecclesiæ, juxta illud Augustini; Euangelio non crederem nisi me Auctoritas Ecclesiæ compulisset; Hæc enim est ineffabilis regula à Spiritu S. directa, quæ in his, quæ fidei sunt, nec fallere potest, nec falli. Probationes omitto; Et quia hoc est primum principium in fide tenendum, quo non credito non supereſt arguere contra sic negantem. Gerson in Tractatu de Communione sub utraque, Regula speculativa IX.

Achilles pro Catholicis: Scriptura non est authentica sine auctoritate Ecclesiæ: Scriptores enim Canonici sunt membra Ecclesiæ. Eckius in Enchiridio.

Scripturæ supervenientes Ecclesiæ, acceperunt robur ab illa: Probatur, quia Scriptores erant membra Ecclesiæ, in quibus non poterat esse major auctoritas, quam in ipsa Ecclesia. Carranza Controv. 2.

Prior regula & notior & multo latior est Ecclesia, quam Scriptura Canonica, & hæc per illam debet regulari, & non è contra.

Hoc evidenter demonstrat Joh. Eckius in suo Enchiridio. Idem Carranza.

III. In omnium ore est ad Blasphemiæ πρόφασιν dictum illud *Augustini*, quòd *Gerson* citat, sed Concordia Discorde; digladiantur enim inter se, Quæ illa sit Ecclesia, à qua Scriptura habeat Approbationem Authenticam, siquidem de Approbatione illa loquutus est Augustinus; Alii enim intelligunt *Solam Ecclesiam quæ fuerit tempore Apostolorum;* Ita sentiunt *Durandus sent. lib. 3. dist. 24. quæst. 1. &* post illum *P. de Alliaco in quæst. de Resumpta. 1. Gerson*, quem jam audivimus. *Ioh. Driedo de Eccles. Scripturis. lib. 2. fol. 71. Hosius in Confess. Petricovienſi cap. 15.* Ao *Durandi* quidem judicio, *Tenens contrarium hæreticus est, cujuscunque status aut conditionis existat.*

IV. Contra hoc *Durandi* præjudicium magno serio dimicat *Andradius*, pronuncians sibi *videri valde capitalem & exitiosam Durandi illam orationem, quæ verba Augustini de sola pristina Ecclesia interpretatur, quæ Apostolorum temporibus viguit; Illi enim* (inquit Durandus) *fuerunt repleti Spiritu S. & viderunt Christi miracula, & audierunt ejus doctrinam; & ob hoc fuerunt convenientes testes omnium, quæ Christus fecit & docuit; ut per eorum testimonium Scriptura continens dicta & facta Christi approbaretur. Nam ut omittam* (inquit Andradius) *tum Augustini contra Manichæum disputationi, hanc Durandi explicationem nullo modo quadrare: tum salvum apud nos pristinæ illius Ecclesiæ pondus & auctoritatem persistere nullo modo esse, si hujus sit dignitas atque existimatio infirma & imbecillis; Non advertit sane Durandus Ecclesiæ majestatem Approbandique Euangelia jus & potestatem, non quidem ex rerum à Christo gestarum experientia, humanaque testificatione, sed ex Spiritus S. præsentia & afflatibus quos Christi promissionibus firmos stabilesque Ecclesia retinet pendere, &c. Andradius Defens. Fid. Trid. fol. 107.*

V. Atqui non advertit *Andradius* (vel noluit ut Lector adverteret) ipsis ille citat *Durandi* verbis, non urgeri, tam rerum à Christo gestarum experientiam, quam *quod repleti fuerunt Spiritu S.* Sensit ergo *Durandus* jus & potestatem authentice approbandi Euangelia, vel maxime pendere ex effusione Spiritus S. extraordinaria, quam habuerint viri sancti in pristina Ecclesia, quæ hodie

non

non contingit; *Andradius* contra falso asserit *horum temporum Ecclesiam retinere illum Spiritus S. præsentiam & afflatus, quos illi olim habuerunt, ac frui iisdem Spiritus S. præsidiis.*

VI. Sed utrisque respondemus: Auctoritatem *Testificationis* authenticæ de Verbo Dei non posse vera & proprie loquendo, aliis tribui quam illis olim Viris sanctis, qui, seu viva voce, seu scripto, Verbum Dei tradiderunt Ecclesiæ acti à Spiritu S. Atque hic potiorem & saniorem esse *Durandi* assertionem: *Tenens contrarium hæreticus est.* Verum luditur in re seria, quando affectatur Synecdoche ista, qua Auctoritas Testificationis Authentica, tribuitur toti Ecclesiæ: cui usu tantum communis est, & in qua Spiritus S. illam exserte asserit, tantum illis in Ecclesia viris eximiis, tanquam privilegium Personale, quod οὐ παντὶ τῷ λαῷ *non toti populo, sed ipsis* μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις ὑπὸ Θεοῦ *Testibus à Deo prædesignatis & delectis* Act. 10. 39. 40. 41. vindicandum sit, ut singularis κλῆρος Clerus Sors τῆς διακονίας ταύτης Ministerii istius, quo functi sunt ut Testes Dei ad populum veraces & Fideles, vocationem suam nulli mortalium, sed soli Deo Ecclesiæ magistro acceptum ferentes. Act. 1. 17. Gal. 1. 1. Cor. 7. 25. & 15. 15. 1. *Tim.* 1. 12.

Corollarium: Ex loco Act. 10. 41 & Act. 1. 17. nata Clericorum & Laicorum nomina, ad vocationis distinctionem, sano sensu admittimus, ea lege ut Clerici denominentur, non à communis salutis Clero seu sorte Act. 26. 18. Coloss. 1. 12. (à quo totum populum sub pastoribus constitutum Petrus τῆς κλήρους Cleros vocat. 1. Pet. 5. 3.) sed à sortitione ministerii.

VII. Invertunt autem ordinem distributionis donorum & charismatum ac vocationis divinæ, atque Apostolos & Scriptores universim Canonicos ex Clericis Laicos faciunt *Eckius* & *Cartanza*; quando hic illos non æstimant supra communem sortem membrorum Ecclesiæ, quos res ipsa loquitur habuisse Verbum à Domino acceptum, quod traderent reliquæ Ecclesiæ; cum non posset dici pariter, Ecclesia habuisse Verbum à Domino acceptum, quod traderet Prophetis & Apostolis. *Cor.* 11. 25.

VIII. Neque tamen efficitur Scripturas accepisse robur à Scriptoribus; Robur enim & firmitas Scripturarum est originali-

ter à Deo, qui illas dictavit; Quare *Eckio* & *Carranze* opponimus, quod *Petro à Soto* expressit vis veritatis: *Hoc pro certissimo habemus: quod omnis revelatio, quæ à Spiritu S. procedit, subjicit sibi Ecclesiam: Quicquid enim vel verbo vel scripto Deus loquitur, superius est omni humana & Angelica ratione? Scripturam vero sacram ostendimus*, inquit, *à Spiritu S. scriptam esse, non itaque dubitandum est, quin illi Ecclesia sit subdita.* Et mox idem contra secus sentientes profitetur se hoc tueri, vel hac sola ratione? *quia Spiritus S. revelat & dat Ecclesiæ Scripturam sacram: quare non potest non illi subdita esse: si enim Paulus suæ ipsius prædicationi subditus erat si ea ipsa quæ per os ejus Spiritus S. loquebatur Ecclesiæ, illum ita obligabant & tenebant subditum, quia erant à Spiritu S. revelata, ut merito ille dixerit; Licet nos aut Angelus de cœlo Euangelizet, præterquam quod euangelizavimus vobis, Anathema sit: Gal. 1. Quomodo non omnis fidelis & tota Ecclesia subdita est Scriptura? Quomodo illi jus tribuimus testificandi & interpretandi Scripturam? nisi quia hoc non ut superior Scriptura facit, sed ut subdita.* Et mox: *Non quia Ecclesia vult auctoritatem dat Scriptura: sed Deus potius hoc agit; dans eam ut revelationem propriam Ecclesiæ: quod illa agnoscens subjicit se revelationi, & testificatur nobis se hic agnoscere & certa fide intueri verba & Spiritum Sponsi sui. hactenus P. à Soto, cap. 47. Defens. Cathol. Confeß.*

Istis gemina loquitur bilinguis *Andradius*, ut adversus ipsum non opus sit alia responsione, quam hac verbis ipsius concepta, *Multum interesse inter proponentis officium, & edicentis auctoritatem: Nam quamvis Ecclesia testimonio, Iohannis Euangelium hominis quidem manu, sed divino Spiritu conscriptum fuisse acceperimus, idque propter Ecclesiæ summam dignitatem verum esse mihi persuadeam in illis tamen, quæ Euangelii suns Iohannis volumine consignata, minime quidem propter Ecclesiæ jam auctoritatem, sed propter divini Spiritus certam stabilemque veritatem acquiesco, quo dictante fuisse conscripta & mortalium generi promulgata Ecclesiæ testimonio didici. Defens. Fid. fol. 192.* Idem. *Si rem diligentius expendamus, perspiciemus sane Ecclesiam non sacros modo libros, sed cœlestem quoque doctrinam, qua sustinetur, approbare posse. Neque n. Approbandi vocabulum novam aliquam divinis rebus vim Auctoritatemque tribuere, sed pronunciare ratas atque firmas per se illas esse significare demonstravimus. fol. 196.*

IX.

IX. Audiat *Gerſon* negantem (id quod ipſe obtrudit pro principio quod negare ſit,) præceptorem ſuum *Petrum de Alliaco Sent. lib. 1. quæſt. 1.* Ille poſtquam objeciſſet *dictum Auguſtini, ad arguendum Quod auctoritates contentæ in ſacro Canone, non per ſe ipſas, ſed per aliud habent fidem: ſc. per Auctoritatem Eccleſiæ*: optime ſibi reſpondet per hanc propoſitionem. *Quod per auctoritatem Auguſtini non habetur, Quod ipſe crediderit Euangelio per Auctoritatem Eccleſiæ, tanquam per Principium Theologicum, ex quo Euangelium Theologice probetur eſſe verum: ſed ſolum tanquam ex cauſa movente ipſum ad fidem Euangelii: ac ſi ipſe aut alius dixiſſet, Non crederem Euangelio, niſi me, Eccleſiæ ſanctitas, aut Chriſti miracula commoverent: in quo dicto licet fidei Euangelii cauſa aliqua aſſignetur, non tamen aliquod principium prius, cujus fides cauſa ſit, ut Euangelio credatur.* Hactenus P. de Alliaco.

X. *Bellarmini* impia comparatio Scripturæ S. ad *Alcoranum Mahometi* non melius refellitur, quam ex ipſa *Bellarmini* bilinguis aſſertione, quam contra Libertinos evincit ex argumentis, quæ Scripturæ intrinſeca ſunt, Veritate vaticiniorum, Divina Scriptorum conſpiratione atque concordia. quin teſte ipſa de Scriptura: *Sacris Scripturis quæ Propheticis & Apoſtolicis literis continentur, nihil eſſe notius, nihil certius. De verbo Dei lib. 1. cap. 2.*

XI. Confutatæ ſunt ipſa adverſariorum confeſſione, in explicatione terminorum *Approbationis*, *Receptionis*, *Teſtificationis*, Rationes illorum Sophiſticæ, quibus contendunt opus eſſe alio Verbo non ſcripto, præter ipſas Scripturas, quarum alias fundari non poſſit Auctoritas certa; & Vindicata Scripturarum αὐτοπιστία, per quam major ipſa eſt & certior omni hominum Teſtimonio; ut neque Scriptoribus ſuis quidquam debeat, ſed illis ipſa præſcribat & imperet fidem: Atque hoc eſt quod docet Chriſtus, dicens: Ego ab homine Teſtimonium non accipio: Joh. 5. 34. item, Teſtimonium habeo majus teſtimonio Johannis verſ. 36. Intellexit autem teſtimonium Scripturarum, ad quos mox Judæos remittit verſ. 39. Illæ ſunt quæ teſtificantur de me.

XII. Audiendum etiam in præſens, ſecundum illud, quod miſcetur, de authentica Catalogi librorum Canonicorum confectione; audiamus *Bellarminum* hoc urgentem, *Quod Apoſtoli &*

Pro-

Propheta non solum scripserint, sed etiam ore tradiderint & docuerint se scripsisse: Atque ita, inquit, *ex Verbo Apostolorum non scripto & per Ecclesiam nobis tradito, nos cognoscere, quod sit verbum Apostolorum scriptum*: & mox, *Brentius igitur in prolegomenis, non inveniens exitum, fatetur hanc unam & solam Traditionem non scriptam esse recipiendam. Et idem docet Kemnitius, tractans secundum genus Traditionum in Examine Concilii Tridentini.* Hactenus *Bellarminus.* Respondemus, Nullam à Brentio aut Kemnitio agnosci Traditionem, quæ dici queat Verbum non Scriptum, Theologiæ Canon: Sed hoc illos velle, se illam solam Traditionem censere probam, ut quæ nos Scripturis adstringit ac vetat nos illis quidquam addere aut detrahere: adeoque quæ minime sit alius juxta Scripturam partialis Canon, aut aliud principium Theologiæ, sed unici certi Canonis Verbi scripti Testis, & Index ac Vindex, contra quælibet dogmata ἄγραφα: Quæ certe Traditio quanquam formaliter Scripta non sit à Scripturæ auctore, tamen ipso nomine dicenda est ἐγγραφος.

XIII. Et revera specialis illa Traditio Canonis seu Catalogi librorum Canonicorum nullum potest constituere Canonem Verbi non scripti: cum à syntagmate librorum Canonicorum non aliter differat, quam Numerus Numerans à Numero Numerato: Atque hic res ipsa loquitur, quemadmodum Numerus Numerans demonstratur à priori, & præscribitur, per numerum numeratum, ita nos stare aut cadere debere in Traditionis illius receptione de numero aut Catalogo librorum Canonicorum, ipsi librorum singulorum divinitati, ut ipsa habeatur falsa & mendax, si in libris enumeratis falsitas aut mendacium deprehendatur: ut deprehenditur mendax Traditio illorum librorum, qui inter nos & Pontificios sunt controversi. Quare ex hac etiam hypothesi loquens *Baronius*, ac pronuncians *Traditionem esse Scripturarum fundamentum*, crasse fallitur & fallit: quia contrarium verum est: Quemadmodum enim omnis numerus numeratus fundamentum est numeri numerantis: sic Scripturarum syntagma fundamentum est Traditionis numerantis libros syntagmatis.

XIV. Catalogi autem librorum Canonicorum confectio, seu syntagmatis Biblici collectio in sacrum Codicem, quamvis authen-

thentica. Non magis fundat Scripturæ certitudinem divinitatis suæ, ut illa accepta ferenda sit hoc nomine Ecclesiæ: quam Notario acquiritur jus ad hæreditatem herciscundam, vel hæredibus ad illam adeundam per Confectionem Inventarii.

XV. De Ipsa Scripturarum *Obscuritate* Disquisitionem servamus alteri Disputationi. Ex hypothesi, Qua statuunt non esse obscuritatem Invincibilem: sed, Ecclesia faciente officium boni Interpretis, perveniri ad veram & certam Scripturarum obscurarum Intelligentiam: Negamus, verbis ipsius *Roffensis, Scripturas ex Interpretibus suam habere firmitatem, sed contra magis hos ex illis pendere. Scriptura*, inquit, *quanquam obscura, nihilominus in se certa, licet parum intellecta nobis: Neque enim idem est quippiam in se certum esse, & esse nobis intellectum: Nam de Scriptura quoque certi sumus, quod vera sit tametsi non fuerit nobis satis intellecta. Confut. Assert. Luther. fol.* 18. 19. Non potest certe censeri legitima Scripturæ interpretatio, quæ non est indicatio sensus genuini eorum verborum, quæ leguntur: Illegitima enim est, si sensus sit violenter aliunde illatus, non ipsis Scripturis intrinsecus & αὐτοφυὴς. *Non est glossis, sed textui attribuendum, quum ex conjunctione diversorum locorum Scripturæ sensus colligitur. Cajetanus de Primatis Rom. Eccl. tom.* 1. *cap.* 28.

XVI. Vertigo autem Disputationis Papisticæ hactenus confutatæ manifesta est ex eo, quod satagant ipsis Scripturarum Testimoniis confirmare, Infallibilitatem Ecclesiæ in dicendo Testimonio de veris Traditionibus. Profert illa ex Scripturis *Bellarminus lib.* 4. *cap.* 9. agens de *Criteriis seu Regulis, quibus deveniatur in cognitionem verarum Traditionum non Scriptarum* ne pro veris & certis obtrudantur incertæ & falsæ: quæ Criteria cuncta resolvuntur in unicum hoc πρῶτον ψεῦδος: Testimonium Ecclesiæ de Traditionibus Veris infallibile esse. Atque hic est Circulus vertiginosus; Ecclesiæ Fides Vera est, quamvis præter Scripturas: quia nititur veris Traditionibus; & Traditiones veræ sunt, quia nituntur vero Ecclesiæ Testimonio. Et alter iste: Scriptura divina est; quia nititur veræ Ecclesiæ Testimonio: Ecclesiæ Testimonium verum est, quia nititur vero Scripturę Testimonio.

XVII. Lubet etiam hanc μεθοδείαν τῆς πλάνης sequenti diagrammate oculis subjicere.

1. Certitudo Verbi Non Scripti:
2. Teſtimonium Eccleſiæ de Scriptura Sacra:
3. Certitudo Scripturæ Sacræ.

3. Certitudo Scripturę ſacræ:
2. Teſtimonium Eccleſiæ de Verbo non Scripto.
1. Certitudo Verbi Nõ Scripti:

Juxta iſtud ſchema Papiſtæ Verbum Dei, quâ Scriptum, quâ Non ſcriptum, pilæ inſtar ſurſum ac deorſum agitant: Et modo pari pietatis affectu & reverentia Eccleſiâ ſe ſubjicit Scripturæ & Traditionibus, tanquam Canoni certo & ἀνυπεύθυνῳ modo rurſum pari impietate ſuſpendit utriuſque certitudinem à ſuo teſtimonio: adeoque ſibi ſubjicit Scripturam & Traditiones non ſcriptas: Sed hac fere hypocriſi, ut, quando juxta *Carranzam* Scriptura regulanda eſt per Eccleſiam, Eccleſia fingat ſe regulari per Verbum non ſcriptum, quod ſit Scriptura in corde ſeu in ſcrinio pectoris: Quando autem expedit alio ſchemate τὴν Θέσιν διαφυλάττειν, Eccleſia fingat ſe, ſi non regulari per Scripturas, ſaltem auctoritatem ſuam acceptam fere Scripturis Sacris tanquam ἀνυπεύθυνος.

XVIII. Gangræna autem Theologiæ Papiſticæ hęc eſt, Quod non tantum receſſum eſt à veritate hac, quam agnovit *Petrus de Alliaco in 1. Sent. quæſt. 1. Tum ſolum aliquid Theologice probari, quando ex dictis S. Scripturæ concluditur: Et principia Theologica eſſe ipſas ſacri Canonis veritates, quoniam ad ipſas fit ultimata reſolutio Theologici diſcurſus: & ex eis primo ſingula concluſiones Theologicæ deducuntur.* Cujus veritatis vi, *Cajetanus* ipſam Papæ finalem determinationem & ultimam Fidei deciſionem, fatetur eſſe *ſub ſacra Scriptura. De Primatu Roman. Eccleſ. tom. 1. c. 13.* Verum ne quidem in eo ſibi conſtant, quod videri poſſet ex *Melchoris Cani* aſſertione apud illos indubitatum, *Duos illos locos Theologicos Auctoritatem Scripturæ Sacræ, & Auctoritatem Traditionum Chriſti & Apoſtolorum ſine ſcripto, integerrime conſtituere numerum Principiorum Theologiæ, Loc. Theol.* lib. 12. cap. 3.

XIX. Deſperatiſſima cauſæ deſperatione, quando (ex hypotheſi illa ipſa de principiis duobus, quorum alterum abſque altero partialis tantum, conjunctum autem utrumque ſit completus Theologiæ Canon) convincuntur, omnem determinationem & deciſionem in cauſâ Fidei & Morum, voce Eccleſiæ pronunciatam, debere eſſe inſtar concluſionis, quæ ex alterutro Principio pendet

pendet & derivatur: adeo ut vox Judicis Ecclesiæ non possit esse alio gradu, quam sub Scriptura vel Traditione, tanquam norma & Lege, cui Judex adstrictus est & obnoxius: Eo prolabuntur per erroris efficaciam, Ut Tria faciant Theologiæ Principia, quod pronunciant *Carranza*, vocans *Tres Regulas*, *Controv.* 3. *Ruardus Tapperus Orat. Theol.* 3. *Tria principia Theologiæ & Religionis Christianæ.*

XX. *Melchior Canus* quicquid dissimulet, se prodit hic suo indicio, quando Ecclesiam, quam, ex hypothesi de numero principiorum binario, non poterat vocare alio nomine quam candelabrum, supra quod posita utraque lucerna luceat: ipsam insuper *lucernam* vocat *super candelabrum positam*, *l.* 4. *c.* 3. Qui lucernas super candelabrum positas cumulat, ne ille tantum non ἀυτολέξει cumulat numerum principiorum Theologiæ. Et si ex tribus principiis duo, Scriptura & Traditio non scripta, constituunt completum Canonem: necessario Ecclesia est tertium principium Canone prius & superius.

XXI. Ne quis existimet *Carranzam & Tapperum* crassius & indoctius causam agere, *Cano* a. oscitanter hoc excidisse; sciendum *Stapletonum*, *qui suo sæculo doctissimus est habitus*, tantundem dicere, *Operum Whitakeri tomo* 2. *pag.* 411. *&.* 481. 485. Distinguit ille inter *Principia quæ creduntur*, *& principium eorum principiorũ*, *quæ creduntur*: *Principia quæ creduntur ipsi sunt Verbum Dei scriptum & Verbum non scriptum Traditionum.* Principium utriusque illius principii ipsi est *Vox Ecclesiæ.* Est enim hęc ejus assertio conceptis Verbis: *Non sic est Principium Scriptura quin prius eo sit vox Ecclesiæ*: *Nam Scriptura est N B. unum ex iis*, *quæ creduntur*: *Vox Ecclesiæ est Regula omnium*, *quæ creduntur*: *Item*, *Ecclesiæ Vox præter rationem N B. cum cæteris*, *quæ creduntur communem*, *Regula & Principium est.*

XXII. Huic sacrilegæ usurpationi Ecclesiæ supra Dei Verbum, Opponimus Vim veritatis erumpentem *Driedoni* & *Andradio*: Qui certitudinem fidei, qua Scripturis creditur, (quam à Verbo Interno Enthusiastico - Papistico discrevimus, Disp. 2. Thesi 16. & seq. & ostendimus non esse diversum à Scriptura Theologiæ Canonem) fundari fatentur non in Ecclesiæ testificatione, sed in Spiritus Sancti illuminatione interna, qua discun-

tur ea, quæ in Scripturis leguntur & per se lucida sunt, quamvis nobis obscura. *Omnis*, inquit Driedo, *vere Christianus ex dono Fidei credens ea, quæ Ecclesia credit non humano Spiritui vel Testimonio innititur, sed primæ veritati intus testificanti, & quæ Scriptura sacra & Ecclesia proponunt: dicente ipso Iohanne, Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se: Et mox: Nobis autem jam Christus non per os proprium, sed per Ecclesiam & Scripturam sacram proponit, quæ credere debemus. Ipse tamen est, qui intus per Spiritum fidei docet, ut quod Ecclesia & Scriptura sacra proponit, credamus. Driedo de Eccles. Scripturis lib. 2. fol. 68.*

Similiter fatetur *Andradius*; *Credendi actionem & fidem, quâ Scripturæ credimus & mysteria intelligimus, esse ex interna Spiritus impulsione & cœlesti munere atque afflatu. Defens. Fid. Trid. fol. 194. & 195.*

COROLLARIA.

PErperam & absque ulla justa causa, vel propter pauca ἐκκατιοφανῆ, discipuli Lutheri *Hemmingius*, *Ekhardus*, *Balduinus*, aliique, vel septem vel saltem quatuor faciunt libros Apocryphos Novi Testamenti.

In Bibliorum Lutheri editione, Lutheri censura, ut Apocryphi notari videntur quatuor. 1. Epistola ad Hebræos. 2. 3. Epistolæ Iacobi & Iudæ. 4. Apocalypsis Johannis. Vide Editionem Witeberg. in 8. 1615.

Hemmingius in Canone ponit Epistolam ad Hebræos: extra Canonem ponit Epistolas, secundam Petri, secundam & tertiam Johannis, & Epistolas Iacobi & Judæ cum Apocalypsi. De Methodis lib. 2. edit. Lipsi. 1578. pag. 124. 125.

Eckhardus, *Whitakero* succenset, quod controv. 1. de Sacra Script. cap. 16. de Luthero aut qui Lutherum secuti sunt, respondet: Ii pro se respondeant, Ista res nihil ad nos pertinet, qui hac in re Lutherum nec sequimur nec defendimus, quique meliore ratione ducimur. Fascic. Controv. cap. 1. quæst. 4.

Balduinus in Refutatione Catechiſmi Ariani, edita Witebergæ 1620. hoc quoque Cenſura notat; quod Auctor non diſtinguat inter libros Canonicos & Apocryphos Novi Teſtamenti. pag. 12. & 13.

DISPVTATIO V.
Quæ eſt I.
DE
Nulla Neceſſitate
TRADITIONUM NON SCRIPTARUM
PROPTER
Scripturæ S. Obſcuritatem.

1642. 27. Ianuarii.

THESIS I.

VIndicanda eſt in præſens ſcripturæ ſacræ perſpicuitas; & refellenda iſta, quam pontificii cauſantur obſcuritas, propter quam ad ſcripturæ veram & certam intelligentiam, neceſſariæ ſint traditiones Divinæ & Apoſtolicæ non ſcriptæ: Cui fini initio ſtatus controverſiæ explicandus eſt per quædam Præcognita, quorum hoc primum eſto: Non eſt negandum tradi in ſcripturis myſteria, altiſſima, difficillima, obſcuriſſima, ſi illorum τὸ ὅτι curioſe ultra ſcripturas inveſtigemus: V. G. de Trinitate, de Incarnatione Chriſti, de reſurrectione mortuorum & cæt. Attamen affirmamus, in iſtis quidem, & ſimilibus dogmatis, quæ neceſſaria ſunt ad perficiendam ſalutatem fidem perſpicuè non minus, quam certò in ſcripturis declarari τὸ ὅτι.

II. 2. Non negamus quoque in traditione iſtorum myſterio-

rum, quasdam scripturæ particulas esse obscuras: sed affirmamus obscuritatem illam sufficienter illustrari in ipsa scriptura, collatione instituta cum locis parallelis.

III. 3. Non negamus quin ad perfectiorem scripturæ intelligentiam, atque ex scriptura refutationem hæresium, requiratur sensuum in scriptura exercitatio, cum labore & sudore: & cognoscimus summoperè utiles esse discentibus, quin & docentibus, vivos & scriptos commentarios: verum affirmamus illa etiam, quæ multo labore ac sudore, id est, difficile discuntur, ex scripturis, clarè tandem sciri ac certò.

IV. 4. Haud gravatim concedimus occurrere interim nonnulla in scripturis, verè obscura, quæ à collatione nullam lucem accipere possunt. Verum illa sunt paucissima, & quæ à Theologis etiam summis ignorari possunt, absque ullo fidei detrimento. *Bene hic Driedo de Eccles. Scripturis lib. 2. fol. 70. Quod si Apostoli forsitan habuerunt omnium Scripturarum Propheticarum sensus, ipsi tamen illos in Scripturis nobis non tradiderunt, sed illa curaverunt tradere, quæ ad necessitatem fidei & morum Ecclesiæ spectant: quorum nihil est in uno loco Scripturæ obscure dictum, quod non alibi in eadem Scriptura planissime dicatur.*

V. 5. Denique non negamus etiam accidere Scripturæ obscuritatem propter humanæ ignorantiæ tenebras, in iis, quæ spiritualiter dijudicanda sunt: adeoque necessariam esse etiam illis, qui in Scripturis exercitatissimi sunt, illuminationem Spiritus S. Sed asserimus non-inesse illam obscuritatem Scripturis, nec ipsis lucem inferri per illam illuminationem: sed lucidum effici oculum, quo videri & legi debent ea, quæ in Scripturis continentur.

VI. His præcognitis verus inter nos & Pontificios status controversiæ de Scripturæ obscuritate, formari debet: expressione Dogmatum nonnullorum, quæ inter nos & Pontificios minime sunt controversa, sed quæ utrique habemus pro tam necessariis, ut merito antiquitus damnati sint ut hæretici contra sentientes; *qualis* (inquit *Driedo lib. 4. fol. 314.*) *est hæc sententia Tres Personæ, Pater, Filius & Spiritus S. sunt unus Deus; itemque Omnes articuli fidei contra hæreticos editi in Symbolo Niceno, & Symbolo quod inscribitur Athanasij. Hæc Driedo* (oblitus verborum quæ citavimus Thesi 4.)

negat

negat clare & evidenter posse inferri ex Scripturis, nisi secundum Patrum interpretationem, & antiquam Ecclesiæ Traditionem: Neque expresse in Scripturis significari, nec adeo evidenter pendere ex illis, ut ipsis Scripturis admissis cogatur quispiam non dissentire, quemadmodum ea, quæ leguntur in Apostolorum symbolo, quæ ex necessitate & evidenter ex eisdem Scripturis consequuntur intellectis propriè secundum propriam ipsarum significationem. In eandem sententiam M. *Crommerus de falsa Lutheri religione fol.*78. recitat dogmata ista minime controversa apud nos, *Deum esse principii expertem & immortalem: Christum de Mariæ virginis sanguinem carnem sumpsisse, ac Deum simul & hominem natum esse: & in una persona duas naturas, duasque voluntates retinuisse:* denique in eodem censu ipsi est, *Christi ipsius Dei & hominis, & Spiritus S. adoratio & invocatio. Vnius Dei in tribus Personis una essentia: baptismus infantium: &c.* Similiter pronunciat *Carranza, controv. 2. Non esse hæreticos Novatianum, Sabellium, Arium, Macedonium, Fotinum, cum, reliqua colluvie sociorum suorum, quia Scripturis non credunt: sed quia non credunt Ecclesiæ & illius sententiæ.*

VII. Controvertitur ergo principaliter de istis & similibus minime inter nos & Pontificios controversis dogmatis; An in Scriptura sacra ea sit obscuritas, ut ex illa secundum genuinum literalem sensum intellecta, non possint diserte & perspicue colligi, si non αὐτολέξει, saltem per manifestam & necessariam consequentiam, absque subsidio alterius Canonis seu Principii doctrinalis, Verbi scilicet non scripti; Audivimus negantes *Driedonem, Crommerum, Carranzam*; quibus accedit *Bellarminus* ista assertione, qua Scripturis per se solis relinquit probationem tantum conjecturalem; *Scripturæ*, inquit, *explicatæ à Concilio firmiter & certo probant; id quod antea non firmiter probabant:* & mox: *Dico Augustinum ibi adferre conjecturas ex Scripturis: quæ post definitionem Concilii & exploratam Traditionem non scriptam, aliquid valent ad veritatem confirmandam: per se autem non sufficiunt. De Verbo Dei, lib. 4. cap. 7.* Nos contra affirmamus; & Pontificios, qui id negant in dogmatis jam nominatis, censemus, vel talpis cæciores esse: vel, quod magis credimus, insigniter contra conscientiam propriam prævacari in causa Dei contra hæriticos.

VIII. Quandoquidem autem veram consequentiæ ex Scripturis

ter à Deo, qui illas dictavit; Quare *Eckio* & *Carranze* opponimus, quod *Petro à Soto* expressit vis veritatis: *Hoc pro certissimo habemus: quod omnis revelatio, quæ à Spiritu S. procedit, subjicit sibi Ecclesiam: Quicquid enim vel verbo vel scripto Deus loquitur, superius est omni humana & Angelica ratione? Scripturam vero sacram ostendimus*, inquit, *à Spiritu S. scriptam esse, non itaque dubitandum est, quin illi Ecclesia sit subdita.* Et mox idem contra secus sentientes profitetur se hoc tueri, vel hac sola ratione? *quia Spiritus S. revelat & dat Ecclesiæ Scripturam sacram: quare non potest non illi subdita esse: si enim Paulus suæ ipsius prædicationi subditus erat si ea ipsa quæ per os ejus Spiritus S. loquebatur Ecclesiæ, illum ita obligabant & tenebant subditum, quia erant à Spiritu S. revelata, ut merito ille dixerit; Licet nos aut Angelus de cœlo Euangelizet, præterquam quod euangelizavimus vobis, Anathema sit: Gal. 1. Quomodo non omnis fidelis & tota Ecclesia subdita est Scriptura? Quomodo illi jus tribuimus testificandi & interpretandi Scripturam? nisi quia hoc non ut superior Scriptura facit, sed ut subdita.* Et mox: *Non quia Ecclesia vult auctoritatem dat Scripturæ: sed Deus potius hoc agit; dans eam ut revelationem propriam Ecclesiæ: quod illa agnoscens subjicit se revelationi, & testificatur nobis se hic agnoscere & certa fide intueri verba & Spiritum Sponsi sui. hactenus P. à Soto, cap. 47. Defens. Cathol. Confeß.*

Istis gemina loquitur bilinguis *Andradius*, ut adversus ipsum non opus sit alia responsione, quam hac verbis ipsius concepta, *Multum interesse inter proponentis officium, & edicentis auctoritatem: Nam quamvis Ecclesiæ testimonio, Iohannis Euangelium hominis quidem manu, sed divino Spiritu conscriptum fuisse acceperimus, idque propter Ecclesiæ summam dignitatem verum esse mihi persuadeam in illis tamen, quæ Euangelii sunt Iohannis volumine consignata, minime quidem propter Ecclesiæ jam auctoritatem, sed propter divini Spiritus certam stabilemque veritatem acquiesco, quo dictante fuisse conscripta & mortalium generi promulgata Ecclesiæ testimonio didici. Defens. Fid. fol. 192.* Idem. *Si rem diligentius expendamus, perspiciemus sane Ecclesiam non sacros modo libros, sed cœlestem quoque doctrinam, quæ sustinetur, approbare posse. Neque n. Approbandi vocabulum novam aliquam divinis rebus vim Auctoritatemque tribuere, sed pronunciare ratas atque firmas per se illas esse significare demonstravimus. fol. 196.*

IX.

IX. Audiat *Gerſon* negantem (id quod ipſe obtrudit pro principio quod negare ſit,) præceptorem ſuum *Petrum de Alliaco Sent. lib. 1. quæſt. 1.* Ille poſtquam objeciſſet *dictum Auguſtini, ad arguendum Quod auctoritates contentæ in ſacro Canone, non per ſe ipſas, ſed per aliud habent fidem: ſc. per Auctoritatem Eccleſiæ*: optime ſibi reſpondet per hanc propoſitionem. *Quod per auctoritatem Auguſtini non habetur, Quod ipſe crediderit Euangelio per Auctoritatem Eccleſiæ, tanquam per Principium Theologicum, ex quo Euangelium Theologice probetur eſſe verum: ſed ſolum tanquam ex cauſa movente ipſum ad fidem Euangelii: ac ſi ipſe aut alius dixiſſet, Non crederem Euangelio, niſi me, Eccleſia ſanctitas, aut Chriſti miracula commoverent: in quo dicto licet fidei Euangelii cauſa aliqua aſſignetur, non tamen aliquod principium prius, cujus fides cauſa ſit, ut Euangelio credatur.* Hactenus P. de Alliaco.

X. *Bellarmini* impia comparatio Scripturæ *S.* ad *Alcoranum Mahometi* non melius refellitur, quam ex ipſa *Bellarmini* bilinguis aſſertione, quam contra Libertinos evincit ex argumentis, quæ Scripturæ intrinſeca ſunt, Veritate vaticiniorum, Divina Scriptorum conſpiratione atque concordia. quin teſte ipſa de Scriptura: *Sacris Scripturis quæ Propheticis & Apoſtolicis literis continentur, nihil eſſe notius, nihil certius. De verbo Dei lib. 1. cap. 2.*

XI. Confutatæ ſunt ipſa adverſariorum confeſſione, in explicatione terminorum *Approbationis*, *Receptionis*, *Teſtificationis*, Rationes illorum Sophiſticæ, quibus contendunt opus eſſe alio Verbo non ſcripto, præter ipſas Scripturas, quarum alias fundari non poſſit Auctoritas certa; & Vindicata Scripturarum αὐτοπιστία, per quam major ipſa eſt & certior omni hominum Teſtimonio; ut neque Scriptoribus ſuis quidquam debeat, ſed illis ipſa præſcribat & imperet fidem: Atque hoc eſt quod docet Chriſtus, dicens: Ego ab homine Teſtimonium non accipio: Joh. 5. 34. item, Teſtimonium habeo majus teſtimonio Johannis verſ. 36. Intellexit autem teſtimonium Scripturarum, ad quos mox Judæos remittit verſ. 39. Illæ ſunt quæ teſtificantur de me.

XII. Audiendum etiam in præſens, ſecundum illud, quod miſcetur, de authentica Catalogi librorum Canonicorum confectione; audiamus *Bellarminum* hoc urgentem, *Quod Apoſtoli &*

Pro-

Propheta non solum scripserint, sed etiam ore tradiderint & docuerint se scripsisse: Atque ita, inquit, *ex Verbo Apostolorum non scripto & per Ecclesiam nobis tradito, nos cognoscere, quod sit verbum Apostolorum scriptum*: & mox, *Brentius igitur in prolegomenis, non inveniens exitum, fatetur hanc unam & solam Traditionem non scriptam esse recipiendam. Et idem docet Kemnitius, tractans secundum genus Traditionum in Examine Concilii Tridentini.* Hactenus *Bellarminus.* Respondemus, Nullam à Brentio aut Kemnitio agnosci Traditionem, quæ dici queat Verbum non Scriptum, Theologiæ Canon: Sed hoc illos velle, se illam solam Traditionem censere probam, ut quæ nos Scripturis adstringit ac vetat nos illis quidquam addere aut detrahere: adeoque quæ minime sit alius juxta Scripturam partialis Canon, aut aliud principium Theologiæ, sed unici certi Canonis Verbi scripti Testis, & Index ac Vindex, contra quælibet dogmata ἄγραφα: Quæ certe Traditio quanquam formaliter Scripta non sit à Scripturæ auctore, tamen ipso nomine dicenda est ἔγγραφος.

XIII. Et revera specialis illa Traditio Canonis seu Catalogi librorum Canonicorum nullum potest constituere Canonem Verbi non scripti: cum à syntagmate librorum Canonicorum non aliter differat, quam Numerus Numerans à Numero Numerato: Atque hic res ipsa loquitur, quemadmodum Numerus Numerans demonstratur à priori, & præscribitur, per numerum numeratum, ita nos stare aut cadere debere in Traditionis illius receptione de numero aut Catalogo librorum Canonicorum, ipsi librorum singulorum divinitati, ut ipsa habeatur falsa & mendax, si in libris enumeratis falsitas aut mendacium deprehendatur: ut deprehenditur mendax Traditio illorum librorum, qui inter nos & Pontificios sunt controversi. Quare ex hac etiam hypothesi loquens *Baronius*, ac pronuncians *Traditionem esse Scripturarum fundamentum*, crasse fallitur & fallit: quia contrarium verum est: Quemadmodum enim omnis numerus numeratus fundamentum est numeri numerantis: sic Scripturarum syntagma fundamentum est Traditionis numerantis libros syntagmatis.

XIV. Catalogi autem librorum Canonicorum confectio, seu syntagmatis Biblici collectio in sacrum Codicem, quamvis au-

thentica. Non magis fundat Scripturæ certitudinem divinitatis suæ, ut illa accepta ferenda sit hoc nomine Ecclesiæ: quam Notario acquiritur jus ad hæreditatem herciscundam, vel hæredibus ad illam adeundam per Confectionem Inventarii.

XV. De Ipsa Scripturarum *Obscuritate* Disquisitionem servamus alteri Disputationi. Ex hypothesi, Qua statuunt non esse obscuritatem Invincibilem: sed, Ecclesia faciente officium boni Interpretis, perveniri ad veram & certam Scripturarum obscurarum Intelligentiam: Negamus, verbis ipsius *Roffensis, Scripturas ex Interpretibus suam habere firmitatem, sed contra magis hos ex illis pendere. Scriptura*, inquit, *quanquam obscura, nihilominus in se certa, licet parum intellecta nobis: Neque enim idem est quippiam in se certum esse, & esse nobis intellectum: Nam de Scriptura quoque certi sumus, quod vera sit tametsi non fuerit nobis satis intellecta. Confut. Assert. Luther. fol.* 18. 19. Non potest certe censeri legitima Scripturæ interpretatio, quæ non est indicatio sensus genuini eorum verborum, quæ leguntur: Illegitima enim est, si sensus sit violenter aliunde illatus, non ipsis Scripturis intrinsecus & αὐτοφυὴς. *Non est glossis, sed textui attribuendum, quum ex conjunctione diversorum locorum Scripturæ sensus colligitur. Cajetanus de Primatis Rom. Eccl. tom.* 1. *cap.* 28.

XVI. Vertigo autem Disputationis Papisticæ hactenus confutatæ manifesta est ex eo, quod satagant ipsis Scripturarum Testimoniis confirmare, Infallibilitatem Ecclesiæ in dicendo Testimonio de veris Traditionibus. Profert illa ex Scripturis *Bellarminus lib.* 4. *cap.* 9. agens de *Criteriis seu Regulis, quibus deveniatur in cognitionem verarum Traditionum non Scriptarum* ne pro veris & certis obtrudantur incertæ & falsæ: quæ Criteria cuncta resolvuntur in unicum hoc πρῶτον ψεῦδος: Testimonium Ecclesiæ de Traditionibus Veris infallibile esse. Atque hic est Circulus vertiginosus; Ecclesiæ Fides Vera est, quamvis præter Scripturas: quia nititur veris Traditionibus; & Traditiones veræ sunt, quia nituntur vero Ecclesiæ Testimonio. Et alter iste: Scriptura divina est; quia nititur veræ Ecclesiæ Testimonio: Ecclesiæ Testimonium verum est, quia nititur vero Scripturę Testimonio.

XVII. Lubet etiam hanc μεθοδείαν τῆς πλάνης sequenti diagrammate oculis subjicere.

1. Certitudo Verbi Non Scripti:
2. Testimonium Ecclesiæ de Scriptura Sacra:
3. Certitudo Scripturæ Sacræ.

3. Certitudo Scripturę sacræ:
2. Testimonium Ecclesiæ de Verbo non Scripto.
1. Certitudo Verbi Nõ Scripti:

Juxta istud schema Papistæ Verbum Dei, quâ Scriptum, quâ Non scriptum, pilæ instar sursum ac deorsum agitant: Et modo pari pietatis affectu & reverentia Ecclesiâ se subjicit Scripturæ & Traditionibus, tanquam Canoni certo & ἀνυπτίςῳ modo rursum pari impietate suspendit utriusque Ecclesiæ certitudinem à suo testimonio: adeoque sibi subjicit Scripturam & Traditiones non scriptas: Sed hac fere hypocrisi, ut, quando juxta *Carranzam* Scriptura regulanda est per Ecclesiam, Ecclesia fingat se regulari per Verbum non scriptum, quod sit Scriptura in corde seu in scrinio pectoris: Quando autem expedit alio schemate τὴν Θέσιν Δ|αφυλάτειν, Ecclesia fingat se, si non regulari per Scripturas, saltem auctoritatem suam acceptam fere Scripturis Sacris tanquam ἀνυπτίςοις.

XVIII. Gangræna autem Theologiæ Papisticæ hęc est, Quod non tantum receptum est à veritate hac, quam agnovit *Petrus de Alliaco in 1. Sent. quæst. 1. Tum solum aliquid Theologice probari, quando ex dictis S. Scripturæ concluditur: Et principia Theologica esse ipsas sacri Canonis veritates, quoniam ad ipsas fit ultimata resolutio Theologici discursus: & ex eis primo singula conclusiones Theologicæ deducuntur.* Cujus veritatis vi, *Cajetanus* ipsam Papæ finalem determinationem & ultimam Fidei decisionem, fatetur esse *sub sacra Scriptura. De Primatu Roman. Eccles. tom. 1. c. 13.* Verum ne quidem in eo sibi constant, quod videri posset ex *Melchoris Cani* assertione apud illos indubitatum, *Duos illos locos Theologicos Auctoritatem Scripturæ Sacræ, & Auctoritatem Traditionum Christi & Apostolorum sine scripto, integerrime constituere numerum Principiorum Theologiæ, Loc. Theol.* lib. 12. cap. 3.

XIX. Desperatissima causæ desperatione, quando (ex hypothesi illa ipsa de principiis duobus, quorum alterum absque altero partialis tantum, conjunctum autem utrumque sit completus Theologiæ Canon) convincuntur, omnem determinationem & decisionem in causa Fidei & Morum, voce Ecclesiæ pronunciatam, debere esse instar conclusionis, quæ ex alterutro Principio pendet

pendet & derivatur: adeo ut vox Judicis Ecclesiæ non possit esse alio gradu, quam sub Scriptura vel Traditione, tanquam norma & Lege, cui Judex adstrictus est & obnoxius: Eo prolabuntur per erroris efficaciam, Ut Tria faciant Theologiæ Principia, quod pronunciant *Carranza*, vocans *Tres Regulas*, *Controv.* 3. *Ruardus Tapperus Orat. Theol.* 3. *Tria principia Theologiæ & Religionis Christianæ.*

XX. *Melchior Canus* quicquid dissimulet, se prodit hic suo indicio, quando Ecclesiam, quam, ex hypothesi de numero principiorum binario, non poterat vocare alio nomine quam candelabrum, supra quod posita utraque lucerna luceat: ipsam insuper *lucernam* vocat *super candelabrum positam, l.* 4. *c.* 3. Qui lucernas super candelabrum positas cumulat, ne ille tantum non ἀντλέξει cumulat numerum principiorum Theologiæ. Et si ex tribus principiis duo, Scriptura & Traditio non scripta, constituunt completum Canonem: necessario Ecclesia est tertium principium Canone prius & superius.

XXI. Ne quis existimet *Carranzam & Tapperum* crassius & indoctius causam agere, *Cano* a. oscitanter hoc excidisse; sciendum *Stapletonum, qui suo sæculo doctissimus est habitus*, tantundem dicere, *Operum Whitakeri tomo* 2. *pag.* 411. *&.* 481. 485. Distinguit ille inter *Principia quæ creduntur, & principium eorum principiorũ, quæ creduntur: Principia quæ creduntur ipsi sunt Verbum Dei scriptum & Verbum non scriptum Traditionum.* Principium utriusque illius principii ipsi est *Vox Ecclesiæ.* Est enim hęc ejus assertio conceptis Verbis: *Non sic est Principium Scriptura quin prius eo sit vox Ecclesiæ: Nam Scriptura est NB. unum ex iis, quæ creduntur: Vox Ecclesiæ est Regula omnium, quæ credantur: Item, Ecclesiæ Vox præter rationem NB. cum cæteris, quæ creduntur communem, Regula & Principium est.*

XXII. Huic sacrilegæ usurpationi Ecclesiæ supra Dei Verbum, Opponimus Vim veritatis erumpentem *Driedoni* & *Andradio*: Qui certitudinem fidei, qua Scripturis creditur, (quam à Verbo Interno Enthusiastico - Papistico discrevimus, Disp. 2. Thesi 16. & seq. & ostendimus non esse diversum à Scriptura Theologiæ Canonem) fundari fatentur non in Ecclesiæ testificatione, sed in Spiritus Sancti illuminatione interna, qua discun-

tur ea, quæ in Scripturis leguntur & per se lucida sunt, quamvis nobis obscura. *Omnis*, inquit Driedo, *vere Christianus ex dono Fidei credens ea, quæ Ecclesia credit non humano Spiritui vel Testimonio innititur, sed primæ veritati intus testificanti, & quæ Scriptura sacra & Ecclesia proponunt: dicente ipso Iohanne, Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se: Et mox: Nobis autem jam Christus non per os proprium, sed per Ecclesiam & Scripturam sacram proponit, quæ credere debemus. Ipse tamen est, qui intus per Spiritum fidei docet, ut quod Ecclesia & Scriptura sacra proponit, credamus. Driedo de Eccles. Scripturis lib. 2. fol. 68.*

Similiter fatetur *Andradius*; *Credendi actionem & fidem, quâ Scripturæ credimus & mysteria intelligimus, esse ex interna Spiritus impulsione & cœlesti munere atque afflatu. Defens. Fid. Trid. fol. 194. & 195.*

COROLLARIA.

PErperam & absque ulla justa causa, vel propter pauca ἐναντιοφανῆ, discipuli Lutheri *Hemmingius*, *Ekhardus*, *Balduinus*, aliique, vel septem vel saltem quatuor faciunt libros Apocryphos Novi Testamenti.

In Bibliorum Lutheri editione, Lutheri censura, ut Apocryphi notari videntur quatuor. 1. Epistola ad Hebræos. 2. 3. Epistolæ Iacobi & Iudæ. 4. Apocalypsis Johannis. Vide Editionem Witeberg. in 8. 1615.

Hemmingius in Canone ponit Epistolam ad Hebræos: extra Canonem ponit Epistolas, secundam Petri, secundam & tertiam Johannis, & Epistolas Iacobi & Judæ cum Apocalypsi. De Methodis lib. 2. edit. Lipsi. 1578. pag. 124. 125.

Eckhardus, *Whitakero* succenset, quod controv. 1. de Sacra Script. cap. 16. de Luthero aut qui Lutherum secuti sunt, respondet: Ii pro se respondeant, Ista res nihil ad nos pertinet, qui hac in re Lutherum nec sequimur nec defendimus, quique meliore ratione ducimur. Fascic. Controv. cap. 1. quæst. 4.

Balduinus in Refutatione Catechiſini Ariani, edita Witebergæ 1620. hoc quoque Cenſura notat; quod Auctor non diſtinguat inter libros Canonicos & Apocryphos Novi Teſtamenti. pag. 12. & 13.

DISPVTATIO V.

Quæ eſt I.

DE

Nulla Neceſſitate

TRADITIONUM NON SCRIPTARUM

PROPTER

Scripturæ S. Obſcuritatem.

1642. 27. Ianuarii.

THESIS I.

VIndicanda eſt in præſens ſcripturæ ſacræ perſpicuitas; & refellenda iſta, quam pontificii cauſantur obſcuritas, propter quam ad ſcripturæ veram & certam intelligentiam, neceſſariæ ſint traditiones Divinæ & Apoſtolicæ non ſcriptæ: Cui fini initio ſtatus controverſiæ explicandus eſt per quædam Præcognita, quorum hoc primum eſto: Non eſt negandum tradi in ſcripturis myſteria, altiſſima, difficillima, obſcuriſſima, ſi illorum τὸ ὅτι curioſe ultra ſcripturas inveſtigemus: V. G. de Trinitate, de Incarnatione Chriſti, de reſurrectione mortuorum & cæt. Attamen affirmamus, in iſtis quidem, & ſimilibus dogmatis, quæ neceſſaria ſunt ad perficiendam ſalutatem fidem perſpicuè non minus, quam certò in ſcripturis declarari τὸ ὅτι.

II. 2. Non negamus quoque in traditione iſtorum myſterio-

rum, quasdam scripturæ particulas esse obscuras: sed affirmamus obscuritatem illam sufficienter illustrari in ipsa scriptura, collatione instituta cum locis parallelis.

III. 3. Non negamus quin ad perfectiorem scripturæ intelligentiam, atque ex scriptura refutationem hæresium, requiratur sensuum in scriptura exercitatio, cum labore & sudore: & cognoscimus summoperè utiles esse discentibus, quin & docentibus, vivos & scriptos commentarios: verum affirmamus illa etiam, quæ multo labore ac sudore, id est, difficile discuntur, ex scripturis, clarè tandem sciri ac certò.

IV. 4. Haud gravatim concedimus occurrere interim nonnulla in scripturis, verè obscura, quæ à collatione nullam lucem accipere possunt. Verum illa sunt pauciss[illegible], & quæ à Theologis etiam summis ignorari possunt, absque ullo fidei detrimento. *Bene hic Driedo de Eccles. Scripturis lib. 2. fol. 70. Quod si Apostoli forsitan habuerunt omnium Scripturarum Propheticarum sensus, ipsi tamen illos in Scripturis nobis non tradiderunt, sed illa curaverunt tradere, quæ ad necessitatem fidei & morum Ecclesiæ spectant: quorum nihil est in uno loco Scripturæ obscure dictum, quod non alibi in eadem Scriptura planissime dicatur.*

V. 5. Denique non negamus etiam accidere Scripturæ obscuritatem propter humanæ ignorantiæ tenebras, in iis, quæ spiritualiter dijudicanda sunt: adeoque necessariam esse etiam illis, qui in Scripturis exercitatissimi sunt, illuminationem Spiritus S. Sed asserimus non-inesse illam obscuritatem Scripturis, nec ipsis lucem inferri per illam illuminationem: sed lucidum effici oculum, quo videri & legi debent ea, quæ in Scripturis continentur.

VI. His præcognitis verus inter nos & Pontificios status controversiæ de Scripturæ obscuritate, formari debet: expressione Dogmatum nonnullorum, quæ inter nos & Pontificios minime sunt controversa, sed quæ utrique habemus pro tam necessariis, ut merito antiquitus damnati sint ut hæretici contra sentientes; *qualis* (inquit *Driedo lib. 4. fol. 314.*) *est hæc sententia Tres Personæ, Pater, Filius & Spiritus S. sunt unus Deus*; itemque *Omnes articuli fidei contra hæreticos editi in Symbolo Niceno, & Symbolo quod inscribitur Athanasij. Hæc Driedo* (oblitus verborum quæ citavimus Thesi 4.)

negat

negat clare & evidenter posse inferri ex Scripturis, nisi secundum Patrum interpretationem, & antiquam Ecclesiæ Traditionem: Neque expresse in Scripturis significari, nec adeo evidenter pendere ex illis, ut ipsis Scripturis admissis cogatur quispiam non dissentire, quemadmodum ea, quæ leguntur in Apostolorum symbolo, quæ ex necessitate & evidenter ex eisdem Scripturis consequuntur intellectis propriè secundum propriam ipsarum significationem. In eandem sententiam M. *Crommerus de falsa Lutheri religione fol.* 78. recitat dogmata ista minime controversa apud nos, *Deum esse principii expertem & immortalem: Christum de Mariæ virginis sanguinem carnem sumpsisse, ac Deum simul & hominem natum esse: & in una persona duas naturas, duasque voluntates retinuisse:* denique in eodem censu ipsi est, *Christi ipsius Dei & hominis, & Spiritus S. adoratio & invocatio. Vnius Dei in tribus Personis una essentia: baptismus infantium: &c.* Similiter pronunciat *Carranza, controv.* 2. *Non esse hæreticos Novatianum, Sabellium, Arium, Macedonium, Fotinum, cum, reliqua colluvie sociorum suorum, quia Scripturis non credunt: sed quia non credunt Ecclesiæ & illius sententiæ.*

VII. Controvertitur ergo principaliter de istis & similibus minime inter nos & Pontificios controversis dogmatis; An in Scriptura sacra ea sit obscuritas, ut ex illa secundum genuinum literalem sensum intellecta, non possint diserte & perspicue colligi, si non αὐτοπαθέξει, saltem per manifestam & necessariam consequentiam, absque subsidio alterius Canonis seu Principii doctrinalis, Verbi scilicet non scripti; Audivimus negantes *Driedonem, Crommerum, Carranzam*; quibus accedit *Bellarminus* ista assertione, qua Scripturis per se solis relinquit probationem tantum conjecturalem; *Scriptura*, inquit, *explicata à Concilio firmiter & certo probant; id quod antea non firmiter probabant:* & mox: *Dico Augustinum ibi adferre conjecturas ex Scripturis: quæ post definitionem Concilii & exploratam Traditionem non scriptam, aliquid valent ad veritatem confirmandam: per se autem non sufficiunt. De Verbo Dei, lib.* 4. *cap.* 7. Nos contra affirmamus; & Pontificios, qui id negant in dogmatis jam nominatis, censemus, vel talpis cæciores esse: vel, quod magis credimus, insigniter contra conscientiam propriam prævacari in causa Dei contra hæriticos.

VIII. Quandoquidem autem veram consequentiæ ex Scripturis

pturis neceſſitatem nullam agnoſcimus, quæ non nititur Scripturis intellectis proprie & abſolute ſecundum genuinam ipſarum ſignificationem; Quod promiſcue *Driedo* de Dogmatis nonnullis inter nos & Pontificios non controverſis & controverſis negat; de controverſis ultro largimur; & pro Scripturæ detorſione & adulteratione habemus, illam neceſſitatem quandam conſequentiæ ex Scripturis, quæ fingitur, ſecundum Traditionem univerſalis Eccleſiæ, aut ſecundum interpretationem antiquæ Chriſtianorum ſcholæ, præter genuinam ipſius Scripturæ ſignificationem.

IX. Militat initio pro aſſertione orthodoxa, confirmatio illa qua ſoli Scripturæ in ſolidum aſſeruimus Auctoritatem Canonicam, ex illis teſtimoniis, quæ Scripturam commendant à Perſpicuitate & Lumine Sapientiæ, neceſſario ad accuratiſſimam boni à malo & veri à falſo diſcretionem in caſibus religioſis Diſp. III. Theſi 18. ex quibus primo loco vindicanda illa Pſal. 19. 9. 119. 105. 2. Pet. 1. 19. quibus Scriptura vocatur Lucerna, quæ præluceat pedibus & ſemitis fidelium, & quæ obſcuro loco lucem inferat: à gemina *Bellarmini* exceptione: Prior eſt, *Non agi de univerſis Scripturis, ſed tantum de Præceptis Dominicis*: Altera eſt, *Præcepta illa Dominica dici lucida, lucernam & lucem, non quod facile intelligantur, ſed quod intellecta cum fuerint mentem illuſtrent.* Reſpondemus de priori; Bilinguem eſſe Bellarminum, qui modo ait, modo negat: nam ibidem *de Verbo Dei lib. 3. cap. 2.* hæc ſunt ejus verba: *David enim nomine legis non intelligit decem illa præcepta ſolum, ſed omnes divinas Scripturas; & revera Pſal. 119. ſermo eſt de tota doctrina, quæ convertit animas: & Petrus loco citato expreſſe loquitur de libris Propheticis.*

X. Ad poſteriorem exceptionem, dicimus minime illam nos ſtringere: quia nihil ad Lucernæ illuſtrationem activam, augendam vel minuendam, facit, quod ad illam oculus plus minus caliget, quin cœcutiat ex morbo interno, lippitudine, aut viſus privatione: ſed hoc tantum requiritur, ut oculus videns ad lucernam facile cavere poſſit & vitare omnia offendicula, & homo facile poſſit ὀρθοποδεῖν & rectas facere ſemitas ſuas; qua propter neque aliud requiritur ad ſufficientem Scripturæ perſpicuitatem, quam ut, à ſanata per gratiam Spiritus S. intus agentem mente, intelle-

intellecta & credita, eam illustret, & facilitet sua luce exercitationem sensuum spiritualium in discretione boni & mali.

XI. *Greg. de Valentia* conatur elabi alio effugio: *Scripturam esse quidem Lucernam per se, semperque splendidissimam ac fulgentissimam: sed tanquam sub modio positam lucere non posse omnibus, qui in domo sunt, si unicuique privato ex æquo committatur ingenio proprio atque industria sua scrutanda: non autem communi alicui auctoritati infallibili interpretanda commendetur.* Vult ergo, Ut posita sit in illa autoritate Ecclesiæ Catholicæ, tanquam in candelabro; *Analysi Fidei Cathol. l. 5. c. 2.* Respond. 1. Si Auctoritas Eccl. Cathol. se habet ad Scripturam, ut lucernam per se semper splendidissimam, tanquam candelabrum, in quo posita sit lucerna, quod lubentes largimur; non est Auctoritas eo nomine Magistra fidei infallibilis, quod luce Verbi Dei non scripti illustret Scripturam; sed debet subjici lucernæ Scripturarum tanquam candelabrum per se omni luce destitutum: adeoque si se efferat supra lucernam, magisterii infallibilis affectatione, præpostere super imponit candelabrum lucernæ, ad illam occultandam, si non exstinguendam. 2. Deinde res ipsa loquitur contra Greg. de Valentia. Magis ex praxi Euangelicorum quam Pontificiorum lucere lucernam Scripturæ omnibus, qui in domo Dei sunt; quandoquidem asserimus singulos Ecclesiæ domesticos posse & debere ad Scripturæ lucernam accendere lumen fidei suæ, ubi illi negant illud fieri sufficienter posse, sed nec debere, nisi una cum lucerna Scripturæ, quasi in candelabro uno, luceat lucerna altera verbi non scripti; Nolunt enim eo prætextu impie, ut Scripturam lingua vernacula & oculis legant suis, qui in domo Dei sunt: aut ut Lucerna Scripturæ ipsa sua luce omnibus luceat, non confusa aut permixta luce verbi non scripti.

XII. Confirmant quoque Euangelici Scripturæ S. Perspicuitatem ex Mosis testimonio, affirmantis, Mandata Scripturæ non esse abscondita & remota à plebe Deut. 30. 11. 12. 13. Responsio *Bellarmini* prima est *ex illorum opinione, qui locum intelligunt non de facilitate intelligendi Scripturas, sed de facilitate implendi mandata Decalogi, cum adest Gratiæ auxilium: Quod*, inquit, *est contra omnes Lutheranos, qui docent impossibilia esse Dei mandata.* R. Atqui dato non concesso Pontificiorum postulato, de facilitate implendi

mandata Decalogi per Gratiæ auxilium; Consequens erit magis facilem esse eorum mandatorum intelligentiam, quæ necessario præit impletioni; quemadmodum in contextu connexa sunt duo ista, audire, atque opere implere, v. 12. audire & facere quod præceptum est, v. 13.

XIII. Altera Evasio, cui magis fidit *Bellarminus*, ista est, *Verba Mosis intelligenda esse de facilitate cognitionis, non quidem Scripturarum sanctarum, sed præceptorum tantum Decalogi: quæ cum sint naturalia facillime intelliguntur. Et Iudæi illi*, inquit, *præcipue facile poterant ea scire, qui Mosem explicantem audiverant, & confessi erant se percepisse omnia & promiserant se ea observaturos: Ideo subditur prope est sermo in ore tuo & in corde tuo, id est, In corde tuo, quia jam intellexisti, quid sit agendum: & in ore tuo, quia jam confessus es te intellexisse.* Respondemus, Mosem non præcise loquutum de præceptis Decalogi, sed de cæremoniarum quoque religione, in qua consistebat Vetus œconomia fœderis gratiæ: hoc liquet ex v. 10. Deinde verba Mosis minime esse restringenda ad illa inter Mosen & Iudæor. majores pacta & conventa liquet ex Apostoli Rom. x. qui locum Deuteron. interpretatur etiam de Euangelio Romanis prædicato, sub nova fœderis gratiæ œconomia: Ea propter merito facilitatem vindicamus toti Scripturæ N. & V. Testam.

XIV. Accedit locus 2. *Cor.* 4. 3. 4. *Euangelium non esse tectum nisi iis, quibus Satan oculos excœcavit. Bellarminus* conatur elabi, dicens, *Apostolum loqui non de intelligentia Scripturarum, sed de cognitione & fide in Christum, quem Apostoli prædicabant.* Respondemus Apostolos & Christum ipsum non prædicasse, cognitionem & fidem in Christum extra scripturas Luc. 24. Act. 18. 28. 26. 22. Quare ipso Bellarmino fatente *laudantur Berroeenses ad Scripturam examinantes prædicationem Apostolicam. Act.* 17.

XV. Audienda jam Pontificiorum argumenta contra Scripturæ S. perspicuitatem: Primum est illud *Bellarmini lib.* 3. *cap.* 1. *Scripturam ipsam de sua difficultate atque obscuritate testimonium perhibere Psal.* 119. 18. 34. 35. *Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam: Revela oculos meos: & considerabo mirabilia de Lege tua: Faciem tuam illumina super servum tuum & doce me justificationes tuas. Certe, inquit, David noverat totam Scripturam, quæ tunc erat, & noverat*

phrases

phraſes linguæ Hebraicæ, nec erat ſuperbus aut infidelis: &c. Reſpondemus, Precationes iſtas Davidis non arguere Scripturarum obſcuritatem, ſed myſteriorum altitudinem, & humanæ ignorantiæ tenebras, in iis, quæ ſpiritualiter dijudicanda ſunt 1. Cor. 2. 15. 16. Quæ tenebræ quia non ſimul & ſemel, ſed de die in diem auferuntur 2. Cor. 4. 16. non illico omnia alias perſpicue tradita, etiam perſpecta ſunt aut animadverſa vel ſatis radicata: adeoque nihil mirum ſi etiam illi, qui δύναμει ſunt in Scripturis egeant ut ἀκριβέστερον erudiantur, quemadmodum Apollos. Act. 18. 24. 25. 26. Vel à Deo ſibi flagitent, quod Petrus precatur omnibus credentibus, ut Deus velit ipſos perficere, roborare, fundare: ſed vel maxime ut habeant una cum intelligentia contextus Scripturæ, ipſarum rerum promiſſarum cognitionem experimentalem, quæ eſt Fides radicata.

XVI. Alterum argumentum pro Scripturæ S. obſcuritate petit *Bellarminus* ex loco 2. Pet. 3. 16. *ubi B. Petrus aſſerit in Epiſtolis Pauli eſſe quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant: ubi, inquit, notandum eſt Apoſtolum Petrum non dixiſſe, eſſe quædam difficilia indoctis & inſtabilibus, ut hæretici exponunt, ſed difficilia abſolute.* Præoccupat ſcilicet Bellarminus hac adnotatione, reſponſionem *Kemnicii*, qui in *Examine Concilii Tridentini*, hoc urget, *Petrum quidem loqui de Epiſtolis Pauli: ſed quod iſtis verbis dicit, non referendum eſſe ad Epiſtolas, ſed ad myſteria, de quibus Paulus in Epiſtolis ſcribit, quia loquitur in genere neutro,* λαλῶν ἐν αὐταῖς περὶ τούτων ἐν οἷς ἐστι δυσνοητά τινα. Eſt illa Kemnicii prior reſponſio, alteram mox audiemus: debemus autem illam ex Pontificiis ipſis *Gaignæo* Theologo Pariſienſi, qui dictavit. τὸ *in quibus referri non ad Epiſtolas: quia Græce eſt* ἐις οἷς, *& Epiſtolis eſt fœminium Græce.*

XVII. Altera *Kemnicii* reſponſio principalis, quæ non admodum eget priori iſta, petita eſt ex Emphaſi verbi στρεβλοῦσι, id eſt, detorquent, quod à torturis ſumptum eſt: Quam Kemnicio conatur extorquere *Greg. de Valentia Anal. Fidei Catholi. lib. 5. cap. 2.* hac cavilatione, D. *Petrus ea in Epiſtolis Pauli dicit eſſe intellectu difficilia, quorum ſignificationem ait depravari, ut aliud nobis loquan-*

tur & significent, quam res habet: illa autem non sunt res ipse significatæ à Paulo, sed loci & partes Scriptarum Epistolarum à Paulo: Igitur quæ D. Petrus dicit esse intellectu difficilia non sunt res significatæ, sed ipsius scripturæ Paulinæ loci & partes. Cavillationis ansa est, quod suæ observationi *Kemnicius ex Hilario* adjecerit, verba illa, *Vt illud nobis loquatur Scriptura, quod ante lectionem præsumpsimus intelligendum.* Nos malumus simpliciter hoc velle Petrum, facere illos indoctos & instabiles vim verbis Scripturæ, ut in simplici & satis aperta verborum significatione non acquiescant, quia non ferunt lucem veritatis, in quam propter mysteriorum altitudinem non possunt ἀπιστοῦσι 2. Cor. 3. 7. 13. quo nomine iidem dicuntur ἄθεσμοί nefarii. Atque hoc pacto locus Petri magis facit pro Scripturarum & Epistolarum Pauli perspicuitate, quam contra: docens scilicet ita tractari illas propter mysteria δυσνόητα, ut nefarie ab aperta satis sententia, in sensum minime genuinum verba torqueantur: Ne autem quis blasphemet cum *Ruardo Tapper* Scripturam ut nasum cereum non reclamare, sed quasi mutam silere & injuriam sustinere, denunciat Petrus illis, qui sic Scripturas torquent ipsos id facere ad suum ipsorum exitium.

DISP.

DISPVTATIO VI.
Quæ est II.
DE
NVLLA NECESSITATE
Traditionum non Scriptarum
PROPTER
Scripturæ S. Obscuritatem.

1642. 17. Februarii.

THESIS I.

TErtium testimonium quod opponitur perspicuitati S. Scripturæ, est illud 2. *Pet.* 1. 20. *Nullam Prophetiam Scripturæ esse ἰδίας ἐπιλύσεως*: Quod hoc schemate urget *Gregorius de Valentia Anal. Fid. Cathol. l.* 5. *c.* 6. *Omnis, inquit, Prophetia Scriptura: &c. Non dicit, Hæc aut illa tantum, sed absolute ac sine ulla exceptione: Omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit: Hæc igitur vis atque sententia hujus Apostolicæ monitionis est, Neminem privato suo labore, atque proprio studio, quacunque demum ratione, atque adeo etiam ne ex ipsa quidem Scriptura doctrinam Scripturæ certo atque infallibiter in controversis quæstionibus intelligere posse; sed opus esse ut discat ex aliqua auctoritate item divina; per quam ipse spiritus S. qui Scripturæ auctor est; sit etiam certissimus Scripturæ interpres; quemadmodum, ut ipse Apostolus subjungit non auctoritate humana, sed divina loquuti in Scripturis sunt sancti Dei homines.* Atque cum hac cautela vult *Gregorius* Petrum voluisse intelligi *id, quod dixerat Scripturam esse lucernam; ne quis hoc ita intelligeret, quasi illuminaret, ea etiam secundum propriam alicujus interpretationem, valeretque proinde ipsa sola ad terminandas fidei quæstiones, sine communi & certa alia regula.* Idem vult *Bellarminus*, ubi supra, ac probare satagit exemplis, *Discipulorum Christi, seu Christi Lucæ ultimo discipulis interpretantis Scripturas:* item *Eunuchi qui Act.* 8. *negat se posse intelligere Scripturam, nisi aliquis ostenderit ipsi.*

Reſpondemus ex præcognitis diſputatione ſuperiori poſitis, Omnino utiliſſimos eſſe ad Scripturæ intelligentiam & vivos & ſcriptos commentarios, etiam ſanctis piis & humilibus: Sed negamus ex verbis Petri probari poſſe eam Scripturarum obſcuritatem, quæ flagitet aliam communem & certam regulam Fidei præter ipſas Scripturas.

III. Primo quidem non neceſſe habemus admittere verſionem illam vulgatam, *Propria interpretatione non fit*; Nolumus quidem ſolicitare lectionem receptam & pro ἐπίγυσις legere ἐπήλυσις. Tamen non alienum eſt quod *Calvinus*, ἰδίαν ἐπίγυσιν accipit pro *privato impulſu vel inſtinctu*, quo Apoſtolus neget ſcriptam Prophetiam Scripturæ: ut nullus ſit ſermo de Scripturæ interpretatione: reperitur enim, ἐπίλυσις ita expoſitum apud *Suidam*, ut ſignificet ἔφοδον, hoc eſt, incurſum impetum, quanquam *Henr. Stephanus* cenſet in *Suida* pro ἐπίλυσις legendum, ἐπήλυσις. Quidquid ſit de H. Stephani conjectura: Quandoquidem *Suidas* etiam τὸ ἐπιλαμένου exponit συγχωρῆσις: atque ex hac analogia ἐπίλυσις ſaltem eſt συγχώρησις, *Conceſſio, Permiſſio.* Quidni per Synecdochem ſpeciei accipiamus & exponamus ἐπίλυσις, pro quavis voluntatis determinatione, tam effectiva, quam permiſſiva? quomodo vocabulum *Reſolutio*, quod exprimit Græcum ἐπίλυσις, Latino barbare familiare eſt Gallis, Italis, Angelis, Belgis, illo ſignificato.

IV. Enimvero, eſto ſignificet ἐπίλυσις, *interpretationem vel explicationem*; negamus tamen Petrum intelligi voluiſſe privatum laborem ac ſtudium eorum, qui ex mandato Chriſti ſcrutantur. Scripturas, quaſi nolit Deus hic privato labori benedicere, ſed vocarit ac vetarit illam interpretationem propriam, quæ fit ex ingenio & cerebro proprio non collatis & conſultis aliis locis, neque animadverſa Scripturarum analogia.

V. De privata autem interpretatione Scripturæ, ſic cenſemus: Quanquam ubi Eccleſia inſtituta eſt, & conſtituta eſt, & conſtitutum miniſterium publicum, ibi impiè negliguntur aut contemnuntur ſubſidia publica vivorum commentariorum: Non eſt tamen illud univerſaliter verum privata lectione aut meditatione omni-

omnino perveniri non posse ad illam Scripturarum intelligentiam, quæ ad salutem sufficiens est, quando vivi vel scripti commentarii haberi non possunt. Quia (juxta, ea quæ diximus Disp. præcedenti Thesi X I. de lucerna candelabro imposita,) Candelabrum se lucernę subjiciens utile quidem ministerium præstat omnibus, qui in domo sunt; in se tamen Lucerna non fit magis lucida candelabro imposita, quam manu gestata. Quid quod promissiones divinæ de reliquiis salvandis. Rom. 9. 27. 27. 28. 29. & de præsentia Christi in medio duorum aut trium, qui coacti erunt in nomine ejus, & de exauditione petitionis, in qua vel duo consenserint Matt. 18. v. 19. 20. fidem faciunt, etiam publicè remoto candelabro juxta illud Apoc. 2. 5. privatim tamen ad lucernam verbi Dei lampadas accendi posse, & reapse accendi auxilio gratiæ.

VI. Audiamus porrò rationem Pontificiorum unam atque alteram ex Scriptura ipsa, pro Necessitate Traditionum non scriptarum propter Scripturæ S. Obscuritatem. Sic itaque *Bellarminus de Verbo Dei lib. 4. cap. 18. Accedat postremo dignitas mysteriorum, quæ silentium requirunt; nec decet ut in Scripturis, quæ toti mundo leguntur, explicentur: Si enim ad videnda tremenda mysteria Missę non licet admittere ullos non Baptisatos: quomodo licebit eis eadem scripta tradere? Hinc Dominus seorsim discipulis interpretabatur Parabolas, quas populo loquutus erat. Luc. 8. & Apostolus ait 1. Cor. 2. Sapientiam loquimur inter perfectos: Et passim veteres cum de Sacramento Eucharistia loquuntur dicere solent: Norunt fideles, norunt initiati. Similiter lib. 3. cap. 1. Quod necessario fatendum est Scripturas esse obscurissimas: siquidem tradunt summa mysteria:* Inter Mysteria illic quoque meminit Sacramentorum.

VII. Sorex suo se prodit indicio: Vera ergo *αἰτία* quare pro Traditionibus non Scriptis dimicent Pontificii minime est illa, ut ad Verbi Scripti lucernam obscuriorem, accedat lucerna altera Verbi non scripti; quæ obscuritatem Scripturæ in tradendis summis & tremendis mysteriis discutiat atque illustret, atque sic efficiat, ut Scripturæ lucerna auctiori lumine luceat omnibus, qui in domo sunt. Et enim cui bono quæratur remedium isti Obscuritati? Si dignitas mysteriorum ista est, quod *silentium requirant, nec*

toti

toti mundo loquenda aut explicanda sint. At quis non videat veram *αἰτίαν* illam esse contradictionis Pontificiæ contra Scripturæ perspicuitatem? Quod mysteria in Scripturis explicata, sed minime ex ipsorum mente, velint credi fide implicita, hoc est, superstitione cœca, absque intelligentiæ luce: ita ut non possit ad omnes emanare veræ interpretationis Traditio: sed inter perfectos detineri in silentio. Si enim urgetur Necessitas Traditionum non scriptarum, propter Scripturæ S. Obscuritatem debebant hoc satagere, ut Mysteria omnia in Scriptura obscurius tradita, fierent Traditionum non scriptarum subsidio explicatiora & faciliora intellectu toti mundo: Non ut in iis Scripturæ lucerna, ex hypothesi obscurior, sub illo Silentii modio occultaretur & porrò exstingueretur.

VIII. Quidquid sit, ex ipsa illa *Bellarmini* hypothesi, Si quidem nulla est major Scripturæ Obscuritas, quam *in mysteriis, quæ non decet, ut toti mundo explicentur, sed quæ silentium requirunt:* non est illa quidem Obscuritas ex ulla Scripturæ intrinseca imperfectione aut insufficientia lucis necessariæ ad salutem: propter quam flagitari debeat juxta lucernam Scripturæ lucerna altera Interpretationis authenticæ.

IX. De altiori Sapientia illa quam *inter solos perfectos* loqui oporteat, altera est Quæstio tractanda sequenti Disputatione: Superest, quod *Bellarminus* subnectit: *Quod sint in Scripturis plurima, quæ prima fronte videntur contraria: sint verba & orationes ambiguæ: sint orationes imperfectæ: sint orationes præpostera: sint phrases propriæ Hebræorum: sint orationes figuratæ plurimæ, Tropi, Metaphoræ, Allegoriæ, Hyperbolæ, Ironiæ, & alia id genus sine ullo numero.* Respondemus; Tantum abest ut semper phrases propriæ Hebræorum, aut orationes figuratæ, obscuritatem pariant: ut sæpe significantius exprimant sententiam, & familiarius insinuent discentibus, per quandam Dei ad nos *συγκατάβασιν* Joh. 3. 12.

X. Deinde res ipsa loquitur, si qua oboritur in Scriptura obscuritas ex phrasibus Grammaticis, aut tropis & figuris Rhetoricis, illam non flagitare alium Canonem seu principium Theologicum, sed tantum judicium Logicum, Grammaticum, Rhetoricum. Adeoque rationes istæ cunctæ non arguunt ullam singularem

obscuri-

obscuritatem in Scripturis sacris, quæ non communiter reperiatur & in singulorum Patrum scriptis & commentariis & in Patrum consensu, item in rescriptis Pontificum, Conciliorum Canonibus & Decretis, & in corpore Juris Canonici.

XI. Ac speciatim non est, quod Pontificii Scripturis Sacris exprobrent ἐναντιοφανῆ, quæ prima fronte videntur contraria, cum scommatis istis, quæ audivimus Disp. II. de *Naso Cæro*, de *Ædificationis Lesbia plumbea regula*: Cum non stet intra ἐναντιοφανῆ, Patrum & Conciliorum ac Decretorum Juris Cononici concordia discors; sed occurranti plurima frontibus adversis pugnantia, quæ si conciliatio tenetur glossa corrumpit textum: nec conciliantur alia *æquitate*, quam quæ Aristoteli dicitur, *Ædificationis Lesbiæ plumbea regula*, quam profitentur *Censores Vniversitatis Duacensis in Iudicio de libro Bertrami Presbyteri*, quod exstat in *Indice Expurgatorio ad literam B. Cum*, inquiunt, *in Catholicis veteribus aliis plurimos feramus errores, extenuemus, excusemus, excogitato commente persæpe negemus, & commodum iis sensum affingamus, dum opponuntur in disputationibus aut conflictionibus cum adversariis.* Ista quidem *æquitas* in Scripturarum tractatione parum aboret à Sacrilegio: atque illic sub expugnationis prætextu evadit plagiariam.

XII. Ad responsionem datam Thesi X. regerit Greg. de Valentia. *Non Grammatica tantum, sed rerum inprimis Doctore opus est ad Scripturam intelligendam.* Respondemus porro: Res illæ quarum Doctore opus est ad Scripturam intelligendam, non possunt non esse res Scripturæ verbis significatæ: Non potest consequenter rerum ille Doctor docere alio Canone, quam ipso illo, quem Grammatice tractat Doctor Grammaticus; Neque cognitio rerum Theologicarum hic prior est Verborum Scripturæ significatione, sed ab illa in sui productione pendet, tanquam à causa exemplari organica. Ea propter ipsa quidem rerum cognitio postquam ingenerata est, quasi per lucis reflexionem, facit intelligentiam Scripturarum auctiorem & intensiorem; Attamen manet circumscripta Verborum significatione legitima, ut extra eam vagari non possit; Adeoque præpostere invertitur rerum ordo, quando ea lege postulatur Doctor rerum, ut ante non credatur Doctori Grammatico de Verborum significatione, quam rerum

Doctor rerum, ut ante non credatur Doctori Grammatico de Verborum significatione, quam rerum Doctori credideris ex alio Verbo, quam cujus significatio quæritur. Certe isthoc pacto non hoc agiturut, res primo innoteſcat ex Verborum ſignificatione; ſed ut ex rebus aliunde præcognitis poſtliminio innoteſcat Verborum ſignificatio.

XIII. Ea eſt vis veritatis de nulla Scripturæ in neceſſariis obſcuritate per ſe, tantum per accidens propter infirmitatem & vitium in hominis intellectu: ut habeamus confitentem adverſarium *Gregor. de Valent. Fatemur*, inquit, *igitur ante omnia, & concedimus adverſarii hominum vel infirmitate, vel etiam vitio accidere, ut Scriptura non intelligatur: Analyſi fid. Cath. lib. 5. cap. 2.* Idem. *Quod enim dicunt Sectarii id hominum culpa ac perverſitate, non Scripturæ vitio accidere, nos etiam fatemur cap. 4.*

XIV. At videndum quomodo idem *de Valentia*, ſatagat κατὰ τὸ βέλτιον in nos contorquere confeſſionem iſtam, inde tanquam fidiculis exprimere neceſſitatem alterius Verbi non ſcripti, *cap. 2. Sed*, inquit, *viciſſem ab ipſis poſtulamus, ut quia tolli hac in vita nequit illa infirmitas, & difficillimè vitari hoc vitium ab hominibus poteſt, nobiſcum etiam agnoſcant & fateantur Scripturam ſolam, quæ vix à paucis rectè intelligi poteſt, non eſſe communem illam fidelium omniũ regulam & magiſtram, à qua in quæſtionibus fidei doceri poſſe infallibiliter omnes oportet. Quæ n. Fidei regula communis hominibus ipſis eſt propoſita, eam prorſus oportet ex parte imprimis ipſorum hominum, eſſe cognitu facilem atque adeo perſpicuam. Siquidem tota eorum ad uſum accommodata eſſe debet. At Scripturam, ex parte ſaltem conditionis hominum, obſcuram & difficilem eſſe, certum eſt, ut ſint etiam impudentes ſectarii, ſi negent.* Reſp. Quandoquidem negant in hac vita illam infirmitatem tolli poſſe: eodem argumento, quo neceſſitatem Verbi non ſcripti urget, ejuſdem uſum in hac vita perimit. 2. Negamus ad Regulæ perfectionem abſolutè requiri illum actualem Regulæ fructum, ut qui per illam regulari debet, ſe actu illi ſubjiciat: ſufficit alterutrum, ut obtineatur vel ſubjectio illa debita, vel inobedientiæ & aberrationis elenchus. 2. Cor. 10. 5. 6. 3. Difficilis ille ſcripturæ uſus, quamdiu intellectus vitio & infirmitate laborat, non magis arguit neceſſitatem alterius verbi non ſcripti, quam oculorum maximæ lippientium vitium & infirmi-

infirmitas, propter quam nequeas in Solem ἀπινίσσειν; alium Solam flagitat. 4. Difficultas illa qua Regula non patitur se accommodari ad infirmitatem aut vitium, quod illi rei inest, quæ per illam regulanda est, nullam arguit Regulæ imperfectionem.

XV. Hic autem se prodit in Pontificiorum disputatione Spiritus vertiginis & contradictionis. Modo enim eo nomine Scripturam injuriâ depreciat: *Quod sit cerea, ejusque nasus cereus, qui nimis facile se accommodat utentium præjudiciis tanquam Lesbiæ ædificationis plumbea regula:* Modo urgent alterius regulæ & Canonis necessitatem, quod Scriptura non habeat illam plumbeæ regulæ ἐπιείκειαν. Quod tantum non verbis totidem disputat *Charronus Veritate 3. cap. 2. Scripturæ Collegam dari debere, & Collegas duos esse Scripturam & Ecclesiam, ut ubi Scriptura ἀκίνητος immota est, semperque est & manet, quod fuit ab initio, tanquam Lex, Ecclesia præstet Legislatoris ἐπιείκειαν, eo quod possit se ipsam de novo semper magis exprimere & explicare.*

XVI. Ad hæc, 5. Quandoquidem in disputatione hac per variam metaphoram æquipollent, *Canon* seu Regula fidei & morum, & *Via* qua incedendum est per fidem ad Vitam æternam. Act. 19. 9. Gal. 6. 16. Phil. 3. 16. dicemus, æquipollenter isti quam audivimus argumentationi Gr. de Valentia, Opus esse ut alia sit communis via, qua fidelibus eundum est, quam Arcta illa Via, qua nos ire jubet Christus, quia, ipso Christo teste, illa adeo non est accommodata ad conditionem humanæ infirmitatis & vitii, propter coarctationem istam, ut pauci sint, qui illam inveniant, Matt. 7. 13. 14. adeoque Justus vix salvetur. 1. Pet 4. 18.

PROBLEMATA

I.

CElebris Iesuita Petrus Cottonus (referente Jac. Aug. Thuano, ex judice quærendorum prolixo, manu ejus propria & lingua Latina exarato ad annum 1604. libro Histor. 132. pag.

edit. Rovenianæ 1136.) ex Energumena Hadriana, sive à Spiritu maligno, inter plura alia scisitatus est.

Quid se vellet Deus scire circa viam, ut abstineat à peccatis?

Quis evidentissimus Scripturæ locus ad probandum Purgatorium?

Qui sint VII. Spiritus ante thronum Dei?

Quid utilissimum ad conversionem omnium hæreticorum?

Si quid se scire velit Deus de tempore quo Calvini hæresis extinguetur?

Circa Genevæ plagiarium quid se scire velit Deus per ipsum Spiritum? [*Geneva plagiaria, liber est P. Cottoni scriptus contra versionem Bibliorum Genevensum utramque, qua utuntur Ecclesiæ Gallicanæ.*]

Quæritur, An juxta Concilii Tridentini decretum Pari pietatis affectu ac reverentia susceperit ac veneratus sit Propheticas & Apostolicas scriptas & sine Scripto Traditiones: An utrasque ut Obscuras & non Sufficientes in necessariis ad salutem dogmatis, missas fecerit: Quærens à Principe mendacii & Tenebrarum novam Lucernam seu Principium veritate Theologicæ. *Disquiri permittimus* ex Esai. 8. 19. 20. & 1. Tim. 4. 1.

II. Sitne Sufficiens cautela ista in Papatu, in Exorcismo ad Energumenos affectato, (contra curiositatem Sacerdotis vel Exorcistæ; qua peccavit Cottonus) Quæ exstat in Manuali seu Processionario Fratrum Regulam primitivam Ordinis B. Mariæ de monte Carmeli profitentium, qui ex calceati nuncupantur: edito Madriti 1591. cap. 11. §. 4. Fol. 59. verso. & 60. Sacerdos vel Exorcista.

Præterea cavere debet, ne sit velis, & curiosus investigator; non enim licet interrogare, nisi de iis tantum, quę ad oppressi liberationem quoquo modo pertinent. Poterit vero ex parte Christi interrogare Dæmonem, ipsum arctando ut dicat: Vtrum sint multi vel pauci? Quod sit nomen ejus & sociorum? Qua de causa sunt ingressi? Qua hora? Per quam Personam sint expellendi? Per quem Sanctum? Qui sint sui inimici in cœlo, & qui in inferno? Quibus verbis magis crucientur? Si sint aliquo pacto seu maleficio ibidem alligati? Quomodo illud maleficium dissolvi ac

destrui

destrui possit? Quis sit illo corpore Princeps illorum? Denique si talis persona sit vere vexata. Et similia. *Negamus.*

DISPVTATIO VII.
Quæ est I.

DE
Scripturæ S. Sufficientia,
ET
TRADITIONUM NON
Scriptarum nullitate.

1642. 3. Martii

THESIS I.

EVit προφασις Disputatio Papisticæ pro Necessitate Traditionum non Scriptarum gemina, propter Scripturæ S. 1. Incertitudinem. 2. Obscuritatem: Sequitur αἰτία causa vera, propter quam urgent Traditiones non scriptas; Ut scil. ipsis fas sit in fide & praxi, quod est præter, quin contra formam Scripturarum; ac consequenter quod nefas est, si nos oporteat solis Scripturis contentos esse, nihil hic dissimulat *Iodocus Ravensteyn Professor Lovan. confut. confess. Antverp. fol.* 12. NON *enim*, inquit, HIS CONTENTI SVMVS, *quorum Apostolus aut Euangelium mentionem fecit; sed & ante & post, alia quædam dicimus, velut magnum robur ad mysterium habentia, ex doctrina scripta non prodita assumta*: expressit Latine, quæ leguntur Græce editione operum *Basilii Magni libro de Spiritu S. cap.* 27. Quæ esse mala fide Basilio infarta fidem faciunt sequentia ex ipso Basilio excerpta, *Edit. Basil. Latina.* 1566. *Græca* 1551. *Manifesta est elapsio à fide & superbiæ crimen, aut reprobare quid ex his, quæ Scripta sunt, aut superinducere quid ex non scri-*

ptis. Lat. pag. 461. *Gr.* 394. *Idem. In Asceticis seu Moralium summis. Quod oportet omne verbum aut rem confirmare testimonio Sacræ Scripturæ, certitudinem quidem ac perfectionem bonorum, ad confessionem vero malorum. Summa* 26. *cap.* 1. *Lat. pag.* 478. Gr. Idem *in Asceticis, Omne quod extra divinitus inspiratam Scripturam, non ex fide est, peccatum est, Summa* 8. *cap.* 22. *Lat.* 512. *Gr.* 437.

II. Idem *Ravestein* non veritus est suis verbis dicere *fol.* 12. *Verbo scripto addendam esse Catholicam & Ecclesiasticam Traditionem. & fol.* 13. *Regulam & amussim veritatis circa Religionis dogmata non tam scriptum verbum, quam Traditionem à majoribus acceptam esse.* Est illo impudentior *Carranza*, cui si credimus, *Ecclesia visa est aliquando facere contra Scripturas & aliquando præter Scripturas,* (loquitur de Ecclesia Apostolica) *Ergo, inquit, ipsa est regula eorum, quæ traduntur in Scripturis. Et mox: Ergo credimus Ecclesiæ contra formam Scripturarum:* rursum: *Ecclesia determinavit multa, quæ non habentur in Scripturis expresse:* & mox: *Item in Ecclesia sunt & aliæ, quæ nec expresse nec obscure habentur in Scripturis: &c. Controv.* 2. Non multo verecundius M. *Canus lib.* 2. *cap.* 18. *Sunt qui respondeant Ecclesiæ auctoritatem tantam esse, ut quædam etiam de Scripturis sacris immutarit. &c. Hoc autem responsum hanc quidem habet viam, quæ deducit ad convenientiam conservationemque Ecclesiasticæ auctoritatis, quam si sequemur nunquam aberrabimus: sequemurque & id quod certum ac tutum est: & id, quod ad fidelium consolationem accommodatum, id quod vehemens forte. &c.* Idem *lib.* 3. *c.* 3. *Fund.* 3. *Tertium Fundamentum. Multa pertinere ad Christianorum doctrinam ac fidem, quæ nec aperte nec obscure in sacris literis continentur.* Idem *lib.* 12. *cap.* 7. *Sexta præceptio: Quodcunque dogma Fidei vel Ecclesia habuerit, vel Concilium auctoritate Pontificis roboratum, vel etiam summus ipse Pontifex fidelibus præscripserit, vel certe sancti omnes concordissime constantissimeque tenuerint; ita nobis illud pro Catholica veritate habendum est, ut contrariam sententiam hæreticam sentiamus, quamvis nec aperte nec obscure in Scriptura sacra contineatur. &c.*

III. Plerique tamen Pontificii hic prætextibus agunt; ac nolunt videri quidquam credere aut facere velle contra formam Scripturarum, adeoque expresse & explicite hoc tantum asserunt. *Non omnia in Scripturis haberi explicite vel expresse, quæ ad salutem necessaria*

cessaria sunt, atque ea propter opus esse præter Scripturam S. altero Verbo non scripto. Quod prima fronte coincidit cum prætensa necessitate Traditionum non scriptarum propter Scripturæ S. Obscuritatem: Sed plus habet assertio ista in recessu: quod produnt auctores terminorum explicatione. V.G. quando dicunt, *Tacite aliquid in Scripturis sacris inveniri*, id *Driedo* explicat in hunc modum; *Quod non sic immediate ex Scripturis sacris secundum Traditionem Ecclesiæ intellectis ex necessitate consequitur: sed vel indicatur magis quam explicatur: vel quia invenitur per universam custoditum Ecclesiæ, ortum esse creditur ab Apostolis, quorum doctrinas Scriptura sacra in omnibus commendat: de Eccles. Script. fol. 315. & mox fol. 316. In Scripturis ergo sacris quidquid est utile in religione Christiana commendatur, & quidquid noxium damnatur, sive tacite sive expresse: quia illic traduntur concilia & præcepta de audienda Ecclesia Apostolica, & de præpositis audiendis.* Istis gemina habet *Crommerus de falsa Luter. relig. l. 2. f. 82.* Ergo: Non censent illi quidem propter solam Scripturæ S. obscuritatem, sed propter illam quoque imperfectionem necessarias esse Traditiones non Scriptas, quod non sit in Scriptura S. plenus & sufficiens τύπος διδαχῆς seu doctrinæ norma omnium & singulorum dogmatum necessariorum, à quo pendet illorum hyporypposis Ecclesiastica: Sed volunt quædam dogmata esse ita ἄγραφα ut per nullam Scripturæ interpretationem discantur, sed tantum Verbo non scripto confirmentur: *quamvis* (ut loquitur *Andradius*) *nullis possint sacrarum literarum sententiis confirmari, vel testimoniis demonstrari. Def. Fid. Trid. fol. 154. 159. Tanti enim* (inquit idem *fol. 88.*) *faciunt Ecclesiæ Majestatem, ut quæ illius fulta sunt judicio & auctoritate, sine ullis Scripturæ S. testimoniis tanquam Spiritus S. voces observent & venerentur.*

IV. Audiendum autem quænam sint dogmata illa, quæ apud illos sunt in hoc censu, quæ quidem Pontificii contra nostram fidem volunt esse necessaria ad salutem, ut contrarium sentire sit hæresis, quamvis ex Scripturis demonstrari non possint. *Sunt autem hujusmodi* (inquit *Driedo*) *Veneratio & Invocatio Sanctorum martyrum, Solenne jejunium, à Carnibus & cæteris cibis abstinentia, Suffragia vivorum pro defunctis, Voluntaria vota in castitate, Deoque dicata virginitate, Purgatorius ignis post mortem, Sacramenta Confirmationis,*

Confessio-

Confessionis, Sacri ordinis, Vnctionis, Corpus Christi sub specie panis & vini, Missæ sacrificium, cæteraque officia Ecclesiastica, Sacerdotum Cœlibatus lib. 4. fol. 283. Accipimus ut Confessionem vi veritatis expressam, quod ibidem *Driedo, Si in his contemnamus Traditionem, non erit nobis nullum scutum, quo doctrinam fidei, quæ nunc est defendere valeamus*: Miscet perperam alia nonnulla dogmata, quæ solide ex Scripturis demonstrantur. Vere porro *Iod. Raveslein* libro supra citato *fol. 13. 14. Nihil traditum in Scriptura Apostolica, de Crucis signaculo, Eucharistia ostensa ad adorandum, Chrismatis usu, Exorcismo & Exsufflatione, Abrenunciatione Diaboli in Baptismo.* Vere *Canus*: *Nec aperte nec obscure in Sacris literis contineri, Sanctorum Martyrum auxilium precibus implorandum: Imagines venerandas esse; In sacrificio Eucharistiæ simul cum corpore sanguinem esse Sacerdotibus conficiendum. lib. 3. cap. 3. fund. 3.* Nos hæc quidem jam nominata dogmata ἄγραφα fatemur, sed eo nomine rejicimus tanquam vel superstitiosa vel idololatrica ad Verbum Dei additamenta.

V. Confundunt hic alia quædam ἄγραφα, in quibus necessitatem quidem ad salutem, quam urgent nullam agnoscimus; de quibus tamen & nos veneramur Traditionis antiquitatem. Tale dogma ἄγραφον, quod passim obtendunt, est *Opinio Mariæ post natum Iesum Virginitate perpetua.* Sed non constant sibi Pontificii: nam juxta *Iudicem Bibliorum Iob. Harlemii in litera M. Mariæ perpetua Virginitas significatur* XIV. Scripturæ locis: Quod si statuatur, quo schemate urgetur in istius dogmatis gratiam Verbum non Scriptum? An ad interpretationem Scripturæ, quod illa hac parte Obscura sit? Atqui superiori disputatione evincimus, sic non opus esse Verbo ἀγράφῳ, sed Scripturarum collatione: Deinde hoc dogma Scripturis additum, parit ἐναντιοφανὲς, atque adeo, ex ipsorum Pontificiorum hypothesibus, non lucem inferit, sed aliquam obscuritatis speciem, etsi tanta non sit, quin à Doctore Grammatico tolli possit, si id flagitaret necessitas. Enimvero nos cum Pontificiis aliis censemus esse ἄγραφον omnino; atque hoc ex hypothesi largimur: Siquidem (quod perneganus) id præter Scriptura necessario credendum esse, opus fore alio verbo non scripto.

XI.

VI. Reliquæ sunt inter Dogmata ἄγραφα Constitutiones Ecclesiasticæ, quæ in circumstantiis cultus, divinitus instituti, & qui ex Scriptura supponitur, aliquid sanciunt: Atqui res ipsa loquitur Circumstantias illas, utpote sitas in rebus per se Adiaphoris, non esse paris necessitatis cum ipso cultu religioso: Adeoque peccari si quis vel superstitio se illa dogmatiset: vel propter illa impie detrahat alicui dogmati scripto: Viroque nomine merito explodimus, ut maximam partem superstitiosas & impias, Cæremoniarum Pontificiarum quisquilias, quas in suis illi Ritualibus & Cæremonialibus libris venditant Titulo Traditionum Ecclesiasticarum, nihilo meliores Judaicis illis Traditionibus, quæ Verbo Dei scripto damnatæ sunt & proscriptæ. Esai. 29. 13. Matt. 15. 9. Gal. 4. 9. 10. 11. Col. 2. 20. 21. 22. 23. 1. Tim. 1. 4. 5. 6. 7. 1. Pet. 1. 18. Habemus hæc confitentem hyperaspistem *Cassandri, Defens. libel. de Officio pii viri pag.* 152. *Non inficiatur auctor* (Cassander) *homines aliquando imperitos & superstitiosos Ecclesiastica constitutione ad Tyrannidem & oppressionem & laqueum conscientiarum esse abusos.* Illis hic dictum esto illud *Adriani VI. Pontif. Quotlibet. Quæst.* 3. *Meminerint illius Androculi: Legibus ipsis Lege opus est, quæ eas corrigat: quemadmodum & marini pisces salso mari educati, adhuc sale egent, quo sapidi fiant aut à corruptione præserventur: Quod maxime verum est de Legibus & statutis humanis, quas utique necesse est ad normam divinæ Legis corrigere: ne tandem locum in nobis obtineat, quod Pharisæis improperavit Christus, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me: sine causa colunt me, docentes mandata & doctrinas hominum, subaudi, non ad meam doctrinam vel legem correctas & moderatas Matt.* 15. *Etiam nisi sic correctæ fuerint & moderatæ, nihil humanarum Traditionum Lex esse poterit, neque certe Lex dici meretur.*

VII. Sic ergo formato & exposito Controversiæ statu: Negamus admittendas ullas quocunque Titulo Traditiones non Scriptas, quæ non habent sui juris & veritatis ex Verbo Dei Scripto demonstrationem; Easque nomine Verbi non Scripti Verbo Dei Scripto superadditas damnari credimus & proscribi oraculis & Anathemate divina, Deut. 42. &, 12. 32. Gal. 1. 8. 9. Apoc. 22. 18. 19. Necessitatis aut πεφάσεν Scripturæ scilicet non sufficientem Perfectionem refullunt loca Joh. 20. 30. 31. 2. Tim. 3. 15.

16. 17. Quæ oracula breviter vincanda à Pontificiorum Evasionibus.

VIII. Deut. 4. 2. & 12. 32. excipit *Bellarminus I. non agi de Verbo scripto, sed Tradito viva voce. II. Veram expositionem ejus loci esse, Non quod Deus vult dicere: Non servabitis aliud, quam id quod vobis præcipio: sed in hoc, quod præcipio nihil mutabitis, addendo vel minuendo: sed integre facietis ut jubeo & non aliter: Alioqui*, inquit, *peccassent Prophetæ & Apostoli; qui tam multa postea addiderunt*: Coincidunt fere illa, quæ idem respondet ad locum Apoc. 22. 18. 19. *Ioannem ibi prohibere corruptionem libri illius, non autem ne alii libri scribantur, aut alia dogmata tradantur: alioqui ipse secum pugnasset, qui juxta Kemnicium scripsit Euangelium post Apocalypsin.* Ad locum Gal. 1. 8. 9. similiter regerit: *Apostolus ipse multa alia postea docuit, & post hanc Epistolam scripsit Iohannes Apocalypsin & Euangelium suum.*

Resp. I. Erat saltem cum Mosis Deuteromium scriberet Scriptū reliquum Mosis Pentateuchum; Si ergo mens Bellarmini est *Mosē loqui de solo Verbo scripto, sed de omni verbo sive scripto sive traduo*, quod verbis illis Bell. mox respondet de Apostolo *Gal.* 1. Dicimus, quemadmodum Apostoli nihil prædicabant quod non aut continebatur Verbo Dei ante scripto Act. 26. 22. aut porro ipsi scripturi erant: Sic Moses de nullo Verbo aut Legis non scriptæ doctrina Cabalistica loquitur, quam non ex ore Dei acceptam aut scripserat jam ante, aut in Deuteronomio porro scripturus erat. Conferatur Ex. 24. 7. cum Deut. 31. 24. II. Negavit Deus humano arbitrio & potestati ordinariæ in Ecclesia facultatem adjiciendi ad Scripturas Canonicas; sed usque ad Apostolorum excessum sibi reservavit libertatem illam, auctiorem faciendi Canonem scriptum: Peccassent itaque Prophetæ & Apostoli si ad Canonem olim Pentateucho Mosis plene constitutum ac propositum, adjecissent quidquam privato arbitrio: Non peccarunt autem Deo immediate & extra ordinem ipsos ad scribendum deducente ac dirigente, & per illos adjiciente ad Mosaicam Scripturam ampliorem: per quam Canon Mosaicus esse θεοπνευστος ut initio scriptus, sic clarius expositus & suis circumstantiis auctior: ac tandem ultimo auctario ex Euangel. & Apost. scriptis completus. III. Oraculis ergo & anathematis istis propter omnem ἐθελοθρησκείαν, prohibetur

betur non tantum corruptio libri singularis, sed unâ edicitur toti Eccl. ne quis authenticæ Scripturæ traditæ vel tradendæ ab illis à Deo προκεχειροτονημένοις designatis testibus: vel viva voce vel scripto adjiciat dogmata apocrypha.

IX. Tertia Bellarmini Evasio principalior est ad locum *Gal. 1. 8. 9. Quod per illud (Prater) Apostolus intelligat Contra, & proinde non prohibeat nova dogmata & præcepta: modo non sint contraria & aliena.* Id probat ex alio loco, ubi Apostolus sic utitur voce propter: *Nam Rom. ultimo, Observate, inquit, eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam accepistis faciunt; In utroque autem loco eadem est vox Græca* παρά. Respondemus: Vox Græca παρά media est & generalior, significans & *juxta* & *contra*, seu tam Appositionem quam Oppositionem. Quamvis itaque admitteremus ut παρά hic esse *contra*, sicut Rom. 16. 17. quatenus quod adjicitur ad Scripturas est contra generalem Scripturarum obsignationem, seu mandatum generale, Ne quid adjiciatur: nihil tamen cogit ita accipere, quasi nihil vetetur, modo non sit contra dogmata singularia, quibus adjicitur. Conferatur illud Rom. 1. 25. παρὰ τὴν κτίσαντα: Præter Creatorem, exponendum, quia alias eximerentur numero Idololatrarum, qui cum Deo Creaturas colunt religiose. Quid quod Etymologia qua Latinum *Par* est ex παρά, q. d. juxta, pariter, evincit pugnare cum voce παρά ab Apostolo adhibita in hoc argumento, *Parem pietatis affectum*, qui mandato *Concilii Tridentini* exhibetur *tam non scriptis quam Scriptis Traditionibus*: Concludimus ergo feriri Anathemate utrosque, tam qui pari pietatis affectu suscipiunt & Non scriptas & scriptas Traditiones; quam qui Scripturas missas faciunt, & quod *Carranza* non erubuit profiteri, *Ecclesia credunt contra formam Scripturarum.*

X. Ad locum Joh. 20. 30. 31. Excipit *Bellarminus* 1. *Inepte quæ de solis miraculis dicuntur transferri ad omnia dogmata fidei, & morum præcepta.* 2. *Iohannem non loqui nisi de rebus à se scriptis, quæ si sufficerent superflua forent omnes aliæ Scripturæ; quia dicit, In libro hoc. 3. Præter dicta & facta Christi, etiamsi illa scripta sint sufficienter, multa sunt alia necessaria, alioqui omnes historiæ & documenta Test. V. & ipsa Acta Apost. & Epist. Petri, Pauli, Iohannis, Iacobi, & Iudæ superva-*

canea eßent. 4. In Euangelio continentur sufficienter omnia, non quidem in particulari, sed in universali, quia Euangelium monet, ut de rebus dubiis Ecclesiam consulamus.

Resp. 1. Non potest de solis miraculis intelligi Johannes, seorsim à dogmatis fidei & morum; quia seorsim miracula non sufficiunt, ut credamus & credendo vitam habeamus: neque seorsim scripta sunt, sed tradita una cum doctrina, ut signa doctrinam subsequentia: Marc. 16. 20. 2. Impie superfluum vocatur in Scripturarum syntagmate, quod ultra præcisam sufficientiam à pluribus etiam abundanter scribitur. 3. Sufficientia non vindicatur uni Johannis Euangelio, sed per Synecdochen toti librorum syntagmati; Ut Johannes scribens ostendere voluerit, ad finem usque mundi nullos alios libros Canonicos esse exspectandos; ac suo hoc libro Canonem Scripturarum fore completum: neque ad obtinendam vitam æternam necessarium fore aliud Canonis auctarium aut supplementum.

CORNELIUS JANSSENIUS,
Episcopus Gandavensis, in Commentario in Concordiam Euangelicam, ad Joh. 20. 30. 31. pagina operis ultima.

Scripserat Iohannes post alios tres Euangelistas: & ea fere scripsit, quæ alii prætermiserant. & mox; *Scripserunt autem & maxime ex multis Euangelistæ, quæ ad Religionem ac fidem & mores vtiliora erat magisque necessaria, quibus qui non credit neque pluribus fidem habiturus esse: Qui vero credit, alia ei non sunt necessaria: proinde & nos* HIS CONTENTI *diligenter his, quæ ab ipsis scripta sunt, attendamus, gratias agentes Deo, qui per hoc quatuor istorum ad nos cognitionem derivari fecit.*

DISP.

DISPUTATIO VIII.

Quæ est II.

DE

Scripturæ S. Sufficientia,

ET

TRADITIONUM NON Scriptarum nullitate.

1642. 10. Martii.

THESIS I.

D locum 2. Tim. 3. 15. 16. 17. Bellarminus excipit. 1. *Quod Scriptura sufficienter instruat & perficiat hominem Dei: quia multa expresse continet, & quæ non continet, ostendit unde sint petenda.* 2. Ne hanc quidem sufficientiam Scripturæ eo loco tribui; *quia Omnis Scriptura non totum corpus scripturarum, sed etiam singulos libros significat, quibus singulis illa sufficientia non convenit: Et scopus Pauli est loqui de parte Scripturæ Testamento veteri.* 3. *Vtilis est non significare Sufficiens est, sed prodest ac juvat.* 4. *Colligi ex aliis locis Scripturam solam non sufficere: ut ex illo* 1. Cor. 11. *Cætera cum venero disponam. &* 2. *Thess.* 2. *Tenere Traditiones, sive per sermonem sive per Epistolam, & ex hoc ipso loco, quia laudes has tribuit, cuilibet Operi Canonico, non autem sufficit, quodlibet opus Canonicum, quia tunc alia essent superflua.*

Resp. I. Contradictionem implicat Sufficienter instrui & perfici hominem Dei ex Scripturis, & Scripturas ostendere, quædam aliunde petenda esse, quæ in ipsis non contineantur. Negat certe se sufficientem magistram, si fatetur præter se alia Magistra opus esse. Meræ sunt præstigiæ, quando asseritur, Dogmata particularia sufficienter Euangelio contineri, ut universali; quæ juxta Verbum non scriptum credenda obtruduntur, sine ulla demonstratione ex aliquo Scripturæ testimonio. Debebant saltem juxta illam assertionem exstare in Scripturis argumenta & medii termini, ex

quibus per præmissas Syllogistice flueret conclusio aliqua dogmatica, quemadmodum sub universali particulare ita inest, ut inde elici possit Logico artificio. 2. Vix quidquam dici potuit clarius, pro sufficientia magisterii Scripturarum, quam quod versu 15. dicitur, δυνάμενα σε σοφίσαι εἰς σωτηρίαν; quæ te possunt sapientem reddere ad salutem per Fidem in Jesum Christum. Quod elogium, esto, tributum sit eo loco nominatim libris Veteris Testamenti: ergo magis convenit Canoni librorum sacrorum, postquam ultimo auctario suo completus est.

II. 3. Esto, *Utilis est*, per se non significet, *sufficiens est*, attamen ex eo demonstratur sufficientia, quod enumeratione facta usuum omnium necessariorum: Dentur ergo alii usus necessarii præter Doctrinam, Redargutionem, Correctionem, Institutionem, quæ est in Justitia, Sapientiam ad salutem per Fidem in Jesum Christum, perfectam instructionem viri Dei ad omne opus bonum. 4. Nimis autem desultorie *Bellarminus*, id elogium vult attributum esse, modo parti isti, quæ olim totum Canonem constituebat, quæ *Vetus Testamentum* vocatur; modo ejus *singulis libris seorsim*. 5. Et nimis futile est quod ex voce *Omnis* πᾶσα id conatur exprimere, cum satis sæpe utraque aliud significare non possit, quam ὅλη tota, Matt. 8. 32. 34. Eph. 4. 16. Act. 2. 27. & occurrant hæc apud Vulgatum Latinum interpretem passim, testibus Concordantiis, Omnis plebs, Omnis domus, Omnis civitas, Omnis Ecclesia, Omne Concilium, Omne prætorium. Quidni ergo Omnis Scriptura sit Totum Scripturæ corpus? in qua tota sufficienter insit tota Regula Fidei & morum. Loca 1. Cor. 11. & 2. Thess. 2. aliaque ex quibus Pontificii conantur exprimere contrarium, alia Disputatione, cum bono Deo, vindicabuntur.

III. Ad loca quibus diximus *Disput. VII. Thesi VI.* Verbo Dei damnatas & proscriptas esse Traditiones non scriptas, Esaj. 29. Matt. 15. Gal. 4. Col. 2. 1. Tim. 1. 1. Pet. 1. Excipit *Bellarminus, Christum & Apostolos non reprehendere Traditiones, quas acceperant Judæi, à Mose & Prophetis: quarum una erat de ipsis libris Canonicis, qui essent veri & qui non essent: sed Traditiones quas acceperant à quibusdam recentioribus, quarum aliquæ perniciosæ erant & contra Scripturas.* De una illa Traditione, qui libri Canonici sint veri, qui falsi, diximus

Disp.

Disp. IV. Thes. 12. 13. 14. Hoc loco disquirere licet, Qua fronte Traditionem illam ex hypothesi divinam à Mose & Prophetis acceptam, à Christo & Apostolis servatam, Pontificii suæ Ecclesiæ constitutione loco moveant, adjectione ad Hebræorum Canonem V. T. *integrorum librorum, & partium, prout in veteri vulgata Latina editione habentur*, subjicientes Anathemati omnes, qui illos pro sacris & Canonicis non susceperint. *Concil. Trid. Sess.* 4.

IV. Deinde flagitamus Criteria, ex hypothesi, summe necessaria, per quæ discerni queant *Traditiones præter Scripturam necessaria & utiles*, ab utrisque illis malæ notæ Traditionibus, & illæ rursus ad invicem: scilicet, Quænam censeri debeant *Inanes præter Scripturas*? quænam *perniciosæ & contra Scripturas*? Etenim ne quidem Hypothesis seu postulatum illud Pontificiorum; quod non possit Ecclesia cudere Traditiones *contra* Scripturas, hoc præstabit, ut non cudat Ecclesia Traditiones inanes *præter* Scripturas.

V. Quid quod universim desideramus Criteria, per quæ certi queamus esse de Traditionum non scriptarum Veritate, ne pro Veris obtrudantur falsæ; dictat quidem *Bellarminus Criteria quinque numero lib.* 4. *cap.* 9. sed quarum Nullitates mox docebimus. I. *Quando universa Ecclesia aliquid, tanquam Fidei dogma amplectitur, quod non invenitur in divinis literis.* II. *Quando univ. Eccl. aliquid servat, quod nemo constituere potest, nisi Deus, quod tamen nusquam inveniatur scriptum.* III. *Id quod in Eccl. univ. & omnibus retro temporibus observatum est.* IV. *Cum omnes Doct. Eccl. communi consensu docent aliquid ex Apost. Tradit. descendere sive in Concilio generali congregati, sive scribentes seorsim in libris, vel saltem aliquot Patres magni nominis expresse id asserunt, & cæteri non contradicunt, cum tamen ejus rei meminerint.* V. *Quod pro Traditione Apost. habetur in illis Ecclesiis, in quibus est integra & continuata successio ab Apostolis.* Breviter *vel solius Romanæ Eccl. testimonium.* Quinque hæ regulæ Bellarm. nituntur eadem illa ratione universæ, quam ipse speciatim advocat ad primam & secundam. *Quia Ecclesia non potest errare in credendo, sed nec in operando, præsertim in ritu & in cultu divino.* Atqui hæc est Nullitas istarum regularum prima & princeps, quod in certum probant per æque incertum: atque ab ipsa Fide & praxi Ecclesiæ mutuantur Regulæ Fidei & praxios certitudinem: *Vide Disp. IV. Thes.* 16. 17.

VI.

VI. II. Altera quatuor primorum Criteriorum Nullitas est. Quod omnino in usum deduci non possunt. I. Defectu authenticæ historiæ Ecclesiasticæ post Apostolorum Acta. II. Quia non est unde vel probabiliter constet de Catholico Doctorum omnium post Apostolos, nedum universæ Ecclesiæ consensu; Non per decreta & Canones universalis Concilii: Neque ex Patrum scriptis, quia non omnes scripserunt, & multorum scripta perierunt, neque ad nos pervenerunt, & fatetur *Bellarminus*, etiam *vix inveniri universalem consensum in singulis dogmatis, si debeant omnes pennus Patres, qui scripserunt, expresse aliquid dicere.* III. Tertia autem est in quatuor istis nullitas. Quod etiamsi hactenus possent deduci in usum, ut habeatur Doctorum omnium seu Eccl. repræsentativæ consensus, si Apostoli secernantur, non propterea quia consensus est, erit consensus in veritate: Neque, si opiniones docentium non amplectantur discipuli, effici potest consensus Eccl. Vniversalis. IV. Quarta nullitas est; quod desperationem de eruendo consensu Patrum arguit quarti criterii ultimum illud tema: *Vel si saltem aliquot Patres magni nomnis. &c.* Si Canonem partialem Fidei & cultus fundamus in magno docentium nomine, quod nihil aliud est, quam humanum axioma, nonnunquam ortum ex præpostera personarum admiratione Judæ. 16. peccamus contra præceptum Jacobi cap. 2. 1.

VII. V. Nullitas quinta peculiaris quinti criterii est, quod laboret gemina falsa hypothesi. I. In Ecclesia Romana & quidem sola esse Successionem ab Apostolis integram & continuatam. II. Successioni personali connexam esse necessario successionem veræ doctrinæ. VI. Nullitas sexta universalis est: quod cuncta hæc Criteria tangunt Traditiones divinas & Apostolicas, neglecta Classe tertia Traditionum Ecclesiasticarum, quas veras à falsis discerni necessarium omnino est: quandoquidem juxta Bellarminum necesse est illas cum aliqua saltem portione Verbi scripti suscipere pari pietatis affectu & reverentia: vide *Disp. IV. Thesi* 1.

VIII. VII. Esto autem nobis hæc peculiaris *Traditionum Ecclesiasticarum Nullitas* in Theologiæ Canone, quod illarum nullum afferatur Criterium, quo veræ à falsis discernantur: & quod non tantum in ista Criteriorum methodo hic plane negligantur: sed

non

non semel ab ipsis Pontificiis jugulentur, quando laborant de stabiliendis Tradit. non scriptis Divinis & Apostolicis: *Ideo credimus quidquid credimus, quia Deus id per Apostolos & Prophetas revelavit. Bellarm.* 3. c. 10. Idem. *ex Eph.* 2. concludit. *Igitur illa omnia, quæ Ecclesia fide tenet tradita sunt ab Apostolis aut Prophetis, aut scripto aut verbo.* Idem ad eundem locum; *Quia non novis revelationibus nunc regitur Ecclesia: sed in iis permanet, quæ tradiderunt illi, qui ministri fuerunt sermonis. de Rom. Pontif. l.* 1. *cap.* 11. Bellarmino præiverat *Canus* his verbis: *Nec concilia, nec Sedis Apostolicæ Pontifex, nec sancti Scripturarum interpretes novas fidelibus revelationes edunt: sed quas ab Apostolis accepit Ecclesia aut posteris integras & illibatas tradunt, aut illas exprimunt & interpretantur: aut consequentia & connexa colligunt, adversa & repugnantia manifestant.* Manifeste à Bellarmino & Cano ista assertione, jugulantur hactenus Traditiones istæ omnes, quæ non sunt Divinæ & Apostolicæ, sed (ut *Canus* loquitur *lib.* 3. *cap. ult.*) *quæ à posteris Ecclesiæ præfectis prodierunt*, ut saltem non ut manis, adeoque non sint dicendæ Verbum Dei, numerandæ in Principiis Theologiæ veris & gernequæ Regula & Canon Fidei & morum.

IX. In loco a. Apostoli *Eph.* 2. *ubi dicitur Ecclesia ædificata supra fundamentum Prophetarum & Apostolorum*: nihil est, quod probet testimonium Ecclesiæ de Traditione divina aut Apostolica sine scripto, infallibile esse; Quia dato non concesso per Fundamentum Prophetarum & Apostolorum significari tam sine scripto quam scriptam Traditionem, tamen consequens esset ex ipso loco, non pendere ab Ecclesiæ testimonio verarum Traditionum certitudinem, quæ hic quæritur; quia Ecclesia ipsa & consequenter ejus veritas ex hypothesi superstruitur Traditionis Propheticæ & Apostolicæ Veritatis ut fundamento, non contra.

X. Deinde locus ille Apostoli etiam intellectus de Traditione Apostolorum & Prophetarum non scripta, alia insuper ratione magis officit causæ Traditionum Pontificiarum, quam illam promovet; Quia agnoscimus lubentes, olim, ante constitutum initio, completum post liminio Canonem Scripturæ qualiter eum nunc habemus, Ecclesiam fundatam esse, non minus Traditione scripta seu Prophetarum & Apost. viva prædicatione, quam

Verbo scripto. Veruntamen in ea, quæ nunc est Ecclesia affirmamus cessare, una cum cessatione reliquorum miraculorum, Spiritum illum extraordinarium, quo acti olim loquebantur sancti Dei homines; quandoquidem non jaciuntur jam ut olim fundamenta Ecclesiæ, sed Ecclesia jam, porro superædificatur fundamentis olim jactis. Non flagitat autem ista subsequens Ecclesiæ ædificatio illam πολυμερῆ καὶ πολύτροπον Verbi Dei œconomiam & dispensationem, qua Deo visum est uti in prima Ecclesiæ fundatione; non magis quam extraordinarios sermonis ministros, Prophetas, Apostolos & Euangelistas, aut extraordinaria miracula. Atque hæc est in ea, quæ nunc est Ecclesia I. Nullitas Traditionis non scriptæ divinæ & Apostolicæ.

XI. 11. Altera nullitas in ea, quæ nunc est Ecclesia, ista est; quod cessante prima illa, extraordinaria œconomia divina cessarunt media illa, quibus, absque periculo *oblivionis, negligentiæ, imperitiæ, & perversitatis*, Traditiones sine scripto potuerint conservari & propagari: Quod evidens est ex inductione *quatuor causarum adjuvantium præter divinam providentiam quas Bellarminus* hoc nomine commmendat *lib. 4. cap. 12.* quod *per illas potuerint conservari à Christo usque ad nos per annos M. D. pariter atque olim conservatæ fuerunt Traditiones ab Adamo usque ad Mosem per duo annorum milia.*

XII. 1. *Scriptura in monimentis Veterum, & in libris Ecclesiasticis*; Atqui ex hypothesibus Pontificiorum non potest stari illi scripturæ humanæ, nisi post magnam & revera ἀδύνατον conquisitionem *omnium scriptorum & Patrum, qui sunt in orbe, non horum modo, sed & eorum, qui per continuas successiones ab Apostolis ad nos usque fidem propagaverunt*: ex *consensu* enim ejusmodi *Catholico* volunt ut eruatur latens in corde Ecclesiæ Scriptura, quam *Costerus in Enchiridio pag.* 43. commendat supra *Scripturam in membranis* Apostolicam.

XIII. 2. *Usus continuus; quidni enim potuerit conservari usu continuo Traditio non scripta? quo etiam absque scripta Grammatica conservantur linguæ vulgares.*

R. Non conservantur linguæ vulgares absq; omni permixtione & confusione cum linguis peregrinis, quin intrinseca idiomatis com-

commutatione, juxta illud: Verba valent usu sicut nummi. &

Multa renascentur quæ jam cecidere; cadentque,
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi.

Quod ipse *Bellarminus* testatur *lib. 2. cap. 15.* atque tam hyperbolice urget, ut hoc argumento satagat extorquere è manibus Translationes Scripturæ, sive earum lectionem Ecclesiasticam in lingua vulgari: *Si*, inquit, *oporteret lingua vulgari sacras Scripturas publice legere, oporteret etiam singulis ætatibus mutare translationes: Nam linguæ vulgares, singulis sæculis magna ex parte mutantur, ut Horatius in Arte poetica, & experientia ipsa docet.*

XIV. 3. *Monumenta quædam externa, quæ ad longissimum tempus durant, Templa, Altaria, Sacri fontes, Cruces, Imagines & similia lapidea monimenta.*

R. Omnia illa sculptilia monimenta Vanitas sunt & Opus seductionum. Jere. 10. 14. Et Doctor mendacii, Hab. 2. 18.

XV. 4. *Hæreses, quatenus earum occasione singulis ætatibus exstiterunt homines docti, qui ut hæreticis resisterent, diligenter investigarunt doctrinam Ecclesiæ & Traditiones antiquas, magna diligentia eas posteris commendarunt.*

R. Atqui est hæresium antiperistasis quę per se minime est causa conservans veras Traditiones, sed corrumpens; per accidens autem excitans causam conservantem, ponitam primo loco, qua hæresi profligantur, videliet Scripturas polemicas. Non est ergo hæc causa 4. adjuvans, sed eos tantum acuens causam conservantem, ex hypothesi primam.

XVI. Frustra autem est Bellarminus, quando istas quatuor facit causas adjuvantes providentiæ divinæ tubordinatas, per quam scilicet impossibile fuerit Traditiones sine scripto non conservari. Hoc enim est, modum præscribere divinæ providentiæ, absque ulla præeunte voluntatis divinæ revelatione, & petere principium. Quis ambigat quin per providentiam Dei potuerint à Christo usque ad nos propagari & conservari sine scripto Traditiones, quemadmodum propagatæ & conservatæ fuere ab Adamo ad Mosem? Sed merito jure indignum censemus augusta & glorioſa illa Novi fœderis œconomia; si divinam aliquam con-

ſervationem Traditionum, quæ ex hypotheſi ſunt Verbum Dei, tribuamus humanis iſtis cauſis adjuvantibus, quæ ſcilicet ordinaria tantum Dei providentia gubernantur; deſtituatur autem divina inſpiratione; ubi conſtat ab Adamo ad Moſem Traditiones ſine ſcripto conſervatas non ordinaria gubernatione Providentiæ divinæ, ſed iteratis in dies inſpirationibus Prophetarum extraordinariis, quos Deus indeſinenter mittebat atque excitabat immediate.

XVII. III. Tertia Nullitas eſt; Quod nihil ad ſalutem neceſſarium olim ſine ſcripto tradiderint Chriſtus & Apoſtoli, quod non tandem in Scripturis conſignatum ſit. Quod hic ſufficiet confirmaſſe porro verbis *Melch. Cani lib. 3. cap. 7.* ubi de Chriſti & Apoſtolorum Traditionibus ſic pronunciat; *Nec Traditiones hujus modi divinarum Scripturarum ſunt additamenta, ſed complementa ſunt potius, & earum quaſi commmentaria. & mox; At non ſunt iſta, ut diximus Scripturæ additiones, ſed interpretationes.* Idem *lib. 2. cap. 16. Si in ſubitis concionibus Spiritus ſanctus Apoſtolorum linguas attemperabat, quid in ſcriptis? quæ futura erant æterna.* Poſtremis iſtis verbis, velit nolit, neceſſe eſt hoc largiatur, nihil divinitus per Spiritum S. deſtinatum & conſecratum fuiſſe æternæ memoriæ, præter ſcriptos Apoſtolorum libros; ac de concionibus Apoſtolorum, quippe ſubitis & tranſitoriis, nihil permaneas fuiſſe præter id, quod ſcriptis æternis mandarunt acti à Spiritu S.

DISP.

DISPVTATIO IX.
quæ est
DE
DISPENSATIONE
Contra Scripturas Anti-Ghristiana.

1643. 2. Martij.

THESIS I.

Stensa est à nobis *Disputatione III. & IV.* effrons illa Papistarum impietas, latens in mysterio *partitionis Traditionum Scriptarum & non scriptarum, in Divinas, Apostolicas & Ecclesiasticas*: qua Scripturas aliquas detrudunt & deprimunt in infimum gradum auctoritatis, ut neque Apost. dici mereantur, sed tantum Ecclesiast. quamvis ab Apostolis ipsis scriptæ sint. Ad mysterii illius crypsin *Bell. l. 3. c. 7.* obscurius de istis loquitur, Apostolos scriptores *Prælatorum* appellatione includens: quando confuse de utrisque tam scriptis quam non scriptis Traditionibus Ecclesiasticis, loquens, illa dicit esse *consuetudines quasdam antiquas vel à populis inchoatas, quæ paulatim tacito consensu populorum vim Legis obtinuerunt*: & mox seorsim nominat *Decreta & Constitutiones Ecclesia scriptas*: quæ quidem non possunt intelligi ab aliis scriptæ, quam qui scriptores sunt Traditionum Divinarum & Apostolicarum.

II. Prodit autem causam ob quam, seorsim à Divinis & Apostolicis Traditionibus, has infimæ auctoritatis Traditiones seu decreta & constitutiones Ecclesiasticas fingant in Scripturis Apostolorum. *Andradius Defens. Fid. Trid. fol. 166. Vnde*, inquit, *etiam liquet minime eos errasse, qui dicunt Romanos Pontifices posse nonnunquam in legibus dispensare à Paulo primisque quatuor Conciliis, ad Ecclesiam exornandam, moresque componendos, pro temporum necessitate edictis: qualis est illa, quæ interdicit, ut Digamos creari ne liceat Episcopos: Nam non fuerint Christi voce rogatæ; sed N. B. hominum prudentia & auctoritate lata priori jam libro demonstravimus, illius ditioni*

Carranza pronunciat Controv. 2.) non ſolum non inferiorem, non ſolum parem, ſed quodammodo ſuperiorem & notiorem Eccleſiæ auctoritatem auctoritate Scripturarum: Uſus erat *Carranza* paulo ante hac argumentatione: *Quarto*, inquit, *Eccleſia viſa eſt aliquando facere contra Scripturas, aliquando præter Scripturas: Ergo ipſa eſt regula eorum, quæ traduntur in Scripturis*: & mox, *Ergo credimus Eccleſiæ contra formam Scripturarum.*

IV. Ne ſcilicet Anti-Chriſtiana audiat praxis diſpenſationis, ſeu Legiſlationis verius, contra formam Scripturarum: juxta jam memoratam partitionem, ſi *Canum* & *Andradium* audiamus, ſunt quædam ipſorum Apoſtolorum præcepta, in ſacris etiam literis ſcripta, (quantumvis ex peculiariſſima Spiritus S. directione Apoſtoli errare non potuerint, in iis condendis;) quæ tamen proprie cenſeri debent humana & Eccleſiaſt. quæ alia auctoritate Eccleſiaſt. licuerit refigere, eorumque vinculo Eccleſiam ſolvere. Quod quando facit Pontifex ſummus pie ſcilicet diſpenſat contra Apoſt. in iis, quæ ſuæ ditioni ſubſunt; ac cenſetur mutare tantum Leges, non Chriſti voce rogatas, ſed hominum prudentia & auctoritate latas; At hæc pudenda eſſe σόφα φάρμακα, (præter adſertam à nobis *Diſp. III.* Scripturarum uniformiter divinam auctoritatem,) loquitur praxis ipſa; V. G. *Copula Sacerdotalis nec Legali, nec Euangelica, vel Apoſtolica auctoritate prohibetur: Eccleſiaſtica tamen Lege interdicitur*: Verba ſunt *Decreti Gratiani parte 2. Cauſa 26. quæſt. 2. Can. Sors non eſt.* Item in *Concilio Conſtantienſi Seſſ. 13.* & in *Concilio Tridentino Seſſ. 5. Cap. 4.* Contra inſtitutionem & exemplum ipſius Chriſti; ſancitur ſub pœna excommunicationis, & trino Anthemate munitur novitia *conſuetudo communicandi populo Sacramentum, ſub una non ſub utraque ſpecie panis & vini.* Et *Bellarminus de Rom. Pontifice lib. 1. cap. 13.* explicans poteſtatem clavium aſſerit Pontifici, *Diſpenſationem in Lege, in Votis, Iuramentis, & Similibus obligationibus*, quæ nullo ſchemate ad Eccleſiaſticas Conſtitutiones referri poſſunt, ſed abſolute juris divini ſunt.

V. Interim *Bellarminus de Pontif. Rom. lib. 5. cap. 5.* ne hoc nomine Papa audiat Anti-Chriſtus; proteſtatione hac utitur, *Docemus nos uno ore Chriſti doctrinam & cultus non poſſe mutari*: Contra objicitur à multis Theologis, nominatim *Ameſio Bellarm. enervat.*

de

de Anti-Christo cap. 5. ex ipso Bellarmino excerptum illud; *Vt si Papa præciperet vitia vel prohiberet virtutes, teneretur Ecclesia credere vitia esse bona & virtutes malas, nisi vellet contra conscientiam peccare:* ac existimatur non posse apertius dici, esse in Potestate Papæ mutare doctrinam Christi. Nos, pace virorum bonorum, arbitramur illo quidem excerpto, non liquere id quod exprobratur: Quamvis enim illic Bellarminus disputet ex hypothesi Anti-Christiana, de Papæ in conscientias imperio irrefragabili, cui qui se eximat, peccet contra conscientiam; Tamen ex falsa illa hypothesi, urget ejusmodi infallibilitatem Papæ, ut non possit vitia præcipere & virtutes prohibere: sc. quia alias Ecclesia quæ debet stare imperio Papæ, tenetur credere etiam Papæ præcipienti vitia, & prohibenti virtutes, vitia esse bona & virtutes mala: Quod absurdum jam metuendum, scilicet, non est, per Papæ in judicio infallibilitatem. Mentem Bellarmini illic loquentis expressit in *Colloquio Ratisbon. sess.* 9. contra *Hunnium* disputans *Tannerus*, hoc pacto: *Si ministerium Verbi est absolute fallibile & nihilominus habet publicam Auctoritatem: tum sequitur, quod tota Ecclesia visibilis ministerii divinitus institui possit, quandoque penitus ad interium redigi: nec solum in errorem labi, sed trahi quoque.*

VI. Enimvero quanquam isthic loci non dicat *Bellarminus*, Esse in potestate Papæ mutare doctrinam Christi, sed videri velit illam tamquam absurdam abominari. Est tamen ubi id *Bellarminus* revera asserit: non tantum *lib.* 3. *Anti Christo. cap.* 14. disputans, *Papam posse dispensare in præceptis positivis Apostolorum. Non tamen hoc esse contra Apostolum, sed juxta Apostolum, quia Apostolica potestas, qua Apostolus pro tempore aliquid in Ecclesia statuit, futura erat in successoribus, qua possent illi ipsi eadem moderari vel mutare, prout Ecclesiæ expediret:* Sed apertius idem asserit libello *de Excusatione Barclaii. cap.* 31. hac Prosopopeia Dialogistica: Populus] *Christus cum claves regni cœlestis Petro tradidit, non dedit ei potestatem faciendi de peccato non peccatum.* Pontifex] *Nescis quid loquaris, siquidem in bono sensu dedit Christus Petro potestatem faciendi de peccato non peccatum, & de non peccato peccatum.* [Ἐν mox σόφον φάρμακον] *Verum est tamen, Claves Petri ad id non se extendere ut possit summus Pontifex declarare non esse peccatum, quod est peccatum, aut esse peccatum,*

quod

quod peccatum non est: id enim esset docere malum bonum, & bonum malum, quod longissimus abest, & semper abfuit, & aberit à doctrina illius, qui Ecclesiæ præest, qua est columna & firmamentum veritatis. Hactenus *Bellarminus.*

VII. Ergo, si Bellarminum audimus, Bonus ille sensus, quo Christus dedit potestatem: Petro faciendi de peccato non peccatum, & de non peccato peccatum, non patitur quidem, ut Pontifex declaret peccatum esse non peccatum, in sensu composito: sed non repugnat, ut idem declaret in sensu diviso, id est, suppositâ mutatione doctrinæ & præcepti per Potestatem Papæ datam; qua jam non est peccatum quod modo erat peccatum. Cautum est scilicet Ecclesiæ datis Petro clavibus, ne Papæ lingua, præcurrens mentem & voluntatem mutandi doctrinam virtutum & vitiorum, mentiatur. Non mentitur autem nec fallitur aut fallit Pontifex, si usus potestatis Apostolicæ exercitio, ad veteris præcepti antiquationem, pronunciet jam peccatum esse, quod olim Apostoli pronunciarunt non esse peccatum, vel contra. Atque hæc est bella illa Judicis visibilis Ecclesiastici infallibilitas: quod scilicet Pontifex dicto factum nunquam prævertat in doctrinæ Apostolicæ de peccato ἀθέτησιν & antiquatione: de facto autem sit ipse *Exlex ὁ ἄνομος* 2. *Thess.* 2. 1.

VIII. Retecto hactenus isthoc ἀνόμῳ Exlege Anti Christo, supereſt, ut vindicemus illa Scripturæ testimonia, quæ huic impietati prætexuntur, quando nominati jam *Carranza*, *Canus*, & *Andradius*, in ejus societatem conantur trahere Veterem Ecclesiam Apostolicam, quasi ipsa jam olim refixerit Leges, & decreta Apostolorum scripta. *I. Carranza: In Scripturis traditur exercendus Baptismus sub hac forma: Ego te abluo in nomine Patris & Filii & Spiritus S. &c. tamen Apostoli baptisabant in nomine Iesu Christi. Ipse Carranza* nodum solvit. *Quod magis credo*, inquit, *simul baptisarunt in nomine Patris & Filii & Spiritus S. ut nunquam omiserint verba Christi in usu hujus Sacramenti.* Cohibet quidem *Carranza* assensum suum: sed interim credendum aliis propinat quodlib. Si jam quodlibet licet hic credere, fenestra aperta est isti impietati, ut dispensari possit, non tantum contra Apost. sed (Apostolorum exemplo, scil.) contra Christum ipsam: Nam formula Baptismi, de quo sermo est,

Traditio fuit ab ipso Christo accepta, quæ proinde censeri debet (ex Bellar. methodo ipsa) Traditio divina in primo & summo auctoritatis gradu. *Canus* paulo secus urget, (non ut *Caranza*, Abrogationem istius Traditionis divinæ per consuetudinem ab Apostolis introductam:) sed consuetudinis istius Apostolicæ Abrogationem, qua scilicet posterior Ecclesia in usum revocavit Traditionem divinam: numerat enim usum Apostolicum de Baptismo in nomine Jesu inter censuetudines temporarias. Sed illum quoque nodum solvit ipse, ut mox audiemus.

IX. II. *Carranza: In Scripturis mandatur cavendum à Suffocato & Sanguine: & tamen per Ecclesiam abrogatum est illud mandatum.* Canus timidius. *Lex illa Apostolica*, inquit, *de abstinendo à sanguine & Suffocato, per Ecclesiæ potestatem abrogari potuit: scilicet ea etiam ratione (ut alia non esset) quod propria esset mandatum hominum.* Resp. Impietate non caret, quod Legem Apostolicam *Canus* dicit propie fuisse mandatum humanum. Hoc loco *Carranza* respondemus: *Aliam fuisse abrogationis rationem*, quam per Ecclesiæ potestatem: eamque *Canus* ipse agnoscit *doctam & veram*, his verbis; *Scripturæ præcepta quædam temporaria erat, id est, ad tempus, ex loci, temporis, personarum, aliarumve rerum & causarum ratione servanda: Atque hujusmodi ipsa ex se in præfinito tempore antiquabantur, nulla etiam Ecclesia interveniente auctoritate. Quod enim pro necessitate temporis statuum est, cessante necessitate debet cessare pariter ..... Ejus generis*, inquit, *fuit Sabbatismus, & reliqua omnia, quæ proprie ad Legem veterem pertinebant, Talis etiam Lex illa fuit de immolatu, sanguine, & suffocato Act. 15. Talis quoque usus Apostolicus de Baptismo in nomine Iesu.*

X. In isthac Cani responsione posterius illud de usu Apostolico Baptismi in nomine Jesu impertinens est. quia nolit ipse *Canus*, usum illum qualis supponitur, quo scilicet Apostoli neglexerint formulam Baptismi à Christo præscriptam, dicere Præceptum Scripturæ temporarium: Citra impietatem autem vocare non poterit Consuetudinem temporariam, pro necessitate temporis observatam præter & contra Traditionem divinam Christi. Hoc unum bene habet, quod ex hypothesi agnoscit; si vel Apostolorum auctoritate usurpata fuit consuetudo Anti Christiana, illam

ex

ex se antiquatam fuisse, nulla etiam interveniente nova auctoritate Ecclesiæ, quæ par fuerit Apostolicæ: non minus quam ex se antiquatæ fuere Legis Veteris cæremoniæ mortuæ.

XI. Enimvero si vera & docta est, ut est revera, ratio abrogationis istius mandati Apostolici, qua vetabatur usus suffocati & sanguinis: quod illud proprie pertinuerit ad Legem Veterem: perimitur ratio altera, quod tanquam constitutio sau mandatum proprie humanum & Ecclesiasticum, alia humana & Ecclesiastica constitutione aut consuetudine sit abrogatum. Respondendum ergo 1. Non fuisse mandatum illud Novum, nove editum Apostolica auctoritate, sed Antiquum: ad cujus observationem manserit Veteris legis obligatio, usque ad illam temporis oportunitatem, qua illi esset valedicendum, Quod ne temere & intempestive fieret, antequam satis datum esset Judæorum infirmitati, Apostolica Synodus decreto suo interceserit. 2. Post autem, cessante illo interim, tempore oportuniori, Antiquum illud mandatum, una cum reliquis mandatis cæremonialibus Veteris Legis, ex se antiquatum fuit, non Ecclesiastica auctoritate, sed Scripturæ Novi T. edictis, ex quibus discenda erat decreti Apostolici Μάγοια: dicente Christo: *Non quod ingredituns polluit hominem. Matt.* 15. 11. & Paulo Apostolo, *Non est regnum Dei esca & potus: Rom.* 14. 17. &, *Quidquid in macello venditur, edite nihil interrogantes propter conscientiam, Domini enim est terra & plenitudo ejus* 1. *Cor* 10. 25. *Ne quis vos damnet ob cibum &c. Colos.* 2. 16.

III. *Carranza: Traditione Ecclesiastica observatio Sabbati mutata est in Dominicam.* Resp. 1. Bene jam monuit *Canus*, Sabbatismum proprie ad Legem Veterem pertinere, quæ ipsa ex se in præfinito tempore antiquanda fuit, nulla etiam interveniente Ecclesiæ auctoritate. 2. Sabbatismi Judaici abrogatio expressa etiam est in Scriptura; Colos. 2. 16 3 Diei Dominicæ usum similiter expressum habemus in Scripturis; nam Primus hebdomadis dies traditur consecratus & cœtilus Ecclesiasticis & publicæ Eleemosynarum collectæ. 1. Cor. 16. 2. & sanctificatus congregatione Ecclesiæ ad Dei verbum audiendum & ad communionem Eucharistiæ Act. 20. 7. Quin etiam nomen *Diei Dominica*, quo hodie utimur, à Johanne expressum. Apoc. 1. 10.

XIII. IV. *Canus* urget, *Legem Pauli de non ordinandis Bigamis Episcopis abrogatam*, Pontificis scilicet contra Paulum dispensatione. R. Si Cano largiamur factum, incumbet illi probatio, qua doceat non esse impium factum nec characterem AntiChristi. Enimvero si rem penitius introspicias: est isthæc impia sententia, sed cui non subest impium factum. Nam quod illi putant demum licere, Pontifice dispensante contra Paulum, videlicet ut ordinetur Episcopus, qui celebravit secundas nuptias priore uxore mortua; hoc absolute licet, nec unquam Pauli præcepto fuit prohibitum: Præter mentem Pauli est loci 1. Tim. 3. 2. interpretatio ista, Qui unius tantum uxoris vir *fuit*: genuina autem est ista præsenti tempore, Qui actu unius uxoris vir *est*.

DISPVTATIO X.

quæ est altera

DE

DISPENSATIONE

Contra Scripturas Anti-Christiana.

1644 20. Januarii.

THESIS I.

Andradius pro dispensatione contra Scripturas tanquam licita urget, *Legem, quæ de orando capito aperto à Paulo data est. 2. Cor. 1. 11. haud diis à posteris observatam.*

R. Siquidem tantum de orandi ritu loqui voluit *Andradius*: forte hoc tanget Judæos in Judæa versantes, vel Ægyptios, aut Arabes, qui alio gestu & habitu in civili consuetudine cultum & reverentiam erga superiores testantur; At non tangit saltem Occidentales Europæos Christianos, qui pene omnes Deum orant, eique supplicant aperto capite & genu flexo, adoque τὸ ῥητὸν Legis istius Pauli de orando aperto capite observant etiamnum.

II. Si

II. Si spectat *Andradius* Prophetandi ritum, quem Apostolus eadem Lege complexus est: ne iste quidem omnino exolevit: Ac sunt inter Europæos Christianos tam Pontificios quam Reformtos, qui τὸ ῥητὸν hujus Canonis sequuntur, eique mordicus adhærant; videlicet, qui conciones habent aperto capite. Alii autem etiamsi τὸ ῥητὸν non sequuntur, negant tamen se recedere à reverentia istius Canonis; sed sequi τὴν διάνοιαν: quam censent hanc esse; Quod deceat eos qui Verbum Dei audiendum proponunt ad obedientiam fidei, ut eo gestu & habitu loquantur, quo in civili consuetudine uti solent illi, qui cum auctoritate alios alloquuntur; atque hoc existimant liquere ex versu 10. 1. Cor. 11. ubi Paulus velamen capitis habere vocat ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς; per ἐξουσίαν scilicet intelligens symbolum, quo mulier testatur se sub viro esse ὑποξύσιον sub potestate constitutam.

III. Et revera si mutata consuetudine & moribus civilibus nefas esset servata τὴν διάνοιαν negligere τὸ ῥητὸν Scripturarum, ubi proponuntur præcepta moralia cum applicatione decori civilis juxta consuetudinem aut mores gentium, donec scilicet interveniat Ecclesiæ auctoritatas, quę illud jubeat negligere vel erit, V. G. in usum revocanda, ubivis Gentium inter Europæos Christianos, *Pedum lotio, exemplo sectæ cujusdam Anabaptisticæ, quæ ab illo ritu denominationem accepit.* Vel dicendum erit Præceptum illud Christi, *vos debetis alii aliorum Pedes lavare Iob.* 13. 14. abrogatum per Ecclesiasticam contra Scripturas Dispensationem. Atque hoc exemplum si in mentem venisset *Andradio*, quando Apostolorum Ecclesiasticas leges subjicit ditioni Pontificis Romani, non opus habuisset eo confugere; Quod hoc Pontifici liceat, eo nomine, *Quod non fuerint Christi voce rogata, sed hominum prudentia & auctoritate lata.* Nam hæc Lex de pedum lotione quamvis Christi voce rogata tamen non obligat jam Christianos κατὰ τὸ ῥητὸν.

IV. Enimvero *Dispensatio* illa (quam Pontifici asserit *Bellarminus in Lege, in votis & in juramentis obligationibus* titulo *potestatis clavium*;) sicut exemplo omni Ecclesiæ Apostolicæ destituitur; (quod hactenus evicimus vindicatis iis Scripturæ locis, quæ isti impietati

prætexuntur) ita porro Anti-Christiana esse convincitur ipsorum Pontificiorum, qui magis ingenue loquuti sunt, confessione; qui hic audiendi; *Cajetanus* equidem *in Summula de peccatis* Dispensationem ipsam peccatis accenset: *Dispensatio*, inquit, *non debet esse levis, & absque causa rationabili: &c. & mox asserit Peccatum mortale esse dispensationem in voto seu juramento, quia ex jure divino obligant.* Nec est, inquit, *tutus in conscientia quoad Deum qui dispensatur in istis, sine rationabili causa, etiam à Papa, Motu proprio, & certa scientia, & plenitudine potestatis: quia Papa non habet potestatem in destructionem, sed in ædificationem corporis Christi.* Consentiunt cum *Cajetano, Sylvester Prierias, in summa*; Item *Iacobus de Gruffiis Decis. aut. lib. 2. cap. 30. §. 42. &c.* Ingenua quoque est confessio *Ruardi Tapperi Orat. Theol. 10. Agnoscimus ipsi*, inquit, *& ingenue confitemur gemimus & deploramus, in corpore Ecclesiæ à planta pedis usque verticem capitis, non esse sanitatem, & corrupta esse omnia, præsertim in statu Ecclesiastico, omnesque sua, quæ sunt quærere, & studere avaritiæ; atque per dispensationes super beneficiorum pluralitate, & super aliis plurimis, NB. super quibus nec ipse Christus dispensare posset, &c. omnia esse venalia: sub prætextu tamen, nescio cujus causæ rationabilis. quæ ex more nullo facto examine prætenditur, & bullis inseritur semper. multamque propterea in capitibus Eccle. damnabilem esse Hypocrisin: Et mox. sunt tam notoriæ hæc vitia, ut multum cæcutiat, qui ea non videt, & insanus sit, qui vel excusare conatur.*

V. Enimvero vindicanda sunt Scripturæ testimonia illa, ex quibus Pontificii conantur exsculpere, *Iudicium Romani Pontificis Infallibile, etiam in Dispensatione contra Scripturas*; Sunt illa potissimum duo *Matth. 16. & 18.* quorum in priori sermo est *de clavibus regni cœlorum*: Utrumque urget *Bellarminus lib. 3. cap. 5. 1. Matth. 16. Tibi dabo claves regni cœlorum &c. Per istas*, inquit, *Claves, non solum intelligitur potestas solvendi à peccatis; sed etiam ab omnibus aliis vinculis & impedimentis, quæ nisi tollantur non potest intrari in regnum cœlorum*: Vult itaque *per auctoritatem visibilem in Ecclesia. Nodos omnes, seu legum dispensando, seu peccatorum & pœnarum relaxando, seu dogmatum & controversiarum explicando solvi posse.*

VI. Explicat se ipse *Bellarminus fusius, de Rom. Pontif. lib. 1. cap. 13. Solvere dicitur, qui remittit peccata, qui liberat à pœna, qui dispen-*

sat

sat in lege, in votis, juramentis, & similibus obligationibus. Cum ergo dicitur Petro generaliter, Quidquid solveris: &c. datur ei potestas præcipiendi, puniendi, dispensandi, remittendi: proinde sit Iudex & Princeps omnium, qui sunt in Ecclesia. Respondemus. Quis sit sensus literalis promissionis Christi, docet ipse *Bellarminus de Pontif. Rom. lib. 1. cap. 12. Expressit*, inquit, *Dominus claviam actiones persolvere & ligare, non per claudere & aperire, ut intelligeremus esse omnes istas metaphoricas loquutiones, & tum demum cœlum hominibus aperiri, cum homines solvuntur peccatis, quæ ingressum in cœlum prohibent.* Si tum demum cœlum aperitur cum homines solvuntur à peccatis, non pertinet ad sensum promissionis Christi germanum & genuinum, in generalior extensio ad omnium nodorum solutionem.

VII. Deinde: Nulla est omnino in testimonio illo promissio Infallibilitatis, quę vindicari possit, cuicunque potestatis illius exercitio, quæ in clavium nomine fundatur, præter sensum literalem: cum non sit ex vi promissionis Christi Infallibilis potestas judiciaria Ecclesiæ visibilis, in illo sui exercitio, de quo sermo est in litera. Est enim omnis Ecclesiastica absolutio à peccatis, *Iudicium in quæstione facti, in qualibus judiciis, Non est absurdum Pontificem posse errare*, ipsa *Bellarmini* confessione; *de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 5.*

VIII. II. *Alterum testimonium est Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit, tibi velut Ethnicus & Publicanus: Est autem*, inquit, *Bellarminus, hoc loco observandum, hic quidem Dominum loqui de injuriis, quas unus ab aliquo patitur, sed à majori intelligendum etiam esse de injuriis, quæ fiunt in totam Ecclesiam & Deum, qualis est hæresis*: & mox. *Si is, qui Ecclesiam, id est, pastores non audit, debet esse ut Ethnicus & Publicanus sequitur pastorum esse ultimum judicium.* R. Missis illis quæ lano sensu facile largiemur, ubi in sequentibus formandus erit status controversiæ de Necessitate judicio judicis Ecclesiastici in his terris visibilis, & de judicio secundum homines postremo & ultimo: Dicemus nihil Pontificios ex hoc loco ullis fidiculis posse exprimere, pro judicii (quod Scripturis adeo non sit adstrictum, ut etiam dispenset contra ipsas Scripturas) infallibilitate. Quandoquidem ut procedat argumentū per consequentiam à minori ad majus, seu ut *Bellarminus* loquitur *à majori*; ante omnia vindicando est Infallibili-

fallibilitas, judiciis de quibus ἀυτολέξει sermo est: Atqui sermo est ipso *Bellarmino* fatente *de particularibus illis judiciis injuriarum, quas unus ab aliquo patitur*: Nolunt autem Pontificii Infallibilitatem quam urgent extendi ad parricularia judicia injuriarum: sed tantum ad alia illa, de quibus ἀυτολέξει sermo non est.

IX. Deinde nec judicium illud quod illo testimonio significatur, est judicium Ecclesiæ Universalis seu Catholicæ œcumenicum: sed pertinet primo ad singulas Ecclesias vel Eccelsiarum cœtus aut Synodos penes, quas est *potestas excommunicandi*: Ad potestatis autem excommunicandi exercitium non requiritur infallibilitas, teste *Bellarmino de Conciliis, lib. 2. cap. 10.* ubi ille loquens, *de Conciliis Provincialibus vel Diœcesanis, & de Inquisitoribus. Etsi*, inquit, *hoc judicium non sit infallibile, tamen sufficit ad excommunicandum.*

X. Breviter ergo, Si in neutro testimonio sensus literalis verborum accipi potest de aliquo infallibili Ecclesiæ visibilis judicio; perperam istorum testimoniorum παραφάσει, asseritur Ecclesiæ judicium infallibile, non tantum, quando *secundum Scripturas pronunciat*, sed etiam quando *contra Scripturas dispensat in Lege, in Votis, in juramentis.*

XI. Damnamus autem merito Dispensationes illas, ut non fallibiles tantum, sed penitus fallaces & Anti Christianas. Quia istas à se procul habuit Christus in terris versans verus Summus Pontifex Ecclesiæ, protestatus verbis: Ne existimate me venisse, ut dissolvam legem aut Prophetas, non veni, ut dissolvam, sed ut impleam. Matth. 5. 17. Et contra omnem in lege dispensationem, præscripsit mox versu 19. Quisquis igitur solverit unum ex mandatis hisce minimis, & ita docuerit homines: minimus vocabitur in regno cœlorum.

XII. Reliquum est, ut vindicemus (ad *Bellarmini* pro Dispensatione contra Scripturas assertionem notatam *Disputatione IX. Thesi. 6.*) Testimonium ex 1. *Tim.* 3. 15. quod verbis istis insinuat: *Docere malum bonum, & bonum malum, id longissime abest, & semper abfuit, & aberit à doctrina illius, qui Ecclesiæ præest, quæ est columna & firmamentum veritatis.* Est ille omnium Papistarum Achilles pro infallibilitate judicis Ecclesiastici in his terris: Ut, si hic

si hic *Bellarmin.* audimus, *Papa etiam dispensans in præceptis positivis Apostolorum, & faciens de peccato non peccatum & de non peccato peccatum: tamen non doceat malum bonum & bonum malum esse.* Et quemadmodum pro illa dispensatione contra Scripturas Anti-Christiana, loco illic indicato, sic alibi, disputans de Criteriis verarum Traditionum non scriptarum, testimonio eodem abutitur *Bellarminus*, ut probet, *Ecclesiam universam errare non posse: de verbo Dei lib. 4. cap. 9. item de Ecclesia lib. 3. cap. 14.*

XIII. Sunt, qui respondent. Verba illa, quæ communiter leguntur in fine versus 15. στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, rectius per aliam interpunctionem versuum ita legenda esse, ut faciant initium versus sequentis 16. Ut Apostolus non dixerit Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis: sed illud pietatis mysterium, quod pronunciat sine controversia magnum esse, idem esse columnam & firmamentum veritatis. Certe illa prout recepta est singulorum thematum incisio & intercisio authentica non est, quamvis non temere vellicanda.

XIV. Verum non est necessum ad responsionem illam confugere; Manente vulgata interpunctione, nihil efficitur, pro Exlegis judicii sive Papæ sive Ecclesiæ infallibilitate. Etenim 1. Sermo est non de Ecclesia universa, sed de particulari Ecclesia, Ephesinam Ecclesiam errare & falli potuisse, testata est sequentium temporum experientia. 2. Posset autem sic Encomium illud Ephesinæ Ecclesiæ accipi, ut dicatur Columna fundata & exstructa à Veritate, qui est ipse Christus Joh. 14. 6. juxta illud, Sapientia ædificavit sibi domum excisis columnis septem. Proverb. 9. 1. Quod oportune applicari potuit ad septem Ecclesias Asiaticas in Apocalypsi. maxime cum septem istarum Ecclesiarum Asiaticarum prima memoretur Ecclesia Ephesina Apoc. 1. 11. & 2. 1.

XV. 3. Verum simplicissime respondetur, Dici Ecclesiam quamvis particularem, secundum Scripturæ analogiam, *Columnam & Firmamentum Veritatis*, per Metaphoram sumptam à Columnis ejusmodi, ad quas Magistratuum aut principum edicta in tabulis appendi solent, & proponi omnibus cognoscenda. Encomium ergo illud Ecclesiæ tribui non propter aliquam fundationem veritatis talem qua illa suum axioma & certitudinem ac stabilitatem

accipiat ab Ecclesia; sed propter officium, quod ab Ecclesia impendi debet propagationi veritatis. Gemina illi metaphoræ esse potest metaphora à Candelabro sumta, quod basis & firmamentum est suppositum Lucernæ, cui tamen non ministret lucem ullam: Sic fuere septem aurea candelabra, septem Ecclesiæ Asiaticæ Apoc. 1. 20. & ἀναλόγως quævis vera Eccclesia visibilis, quantisper subjecta manet lucernæ Scripturarum. *Vide Disput. de Canone V Thesi.* 11.

COROLLARIA.

An omnes tam Laici, quam Clerici dicti debent & possint utiliter legere Scripturam S. A.

An Scriptura S. sit principaliter tantum authentica in lingua originali Hebræa V. T. & Græca N. T. A.

An idiota in Translationibus vernaculis habeant sufficienter Verbum Dei Canonicum, ad Communem fidem & Salutem. A.

An vero Græca V. T. quæ censetur esse LXX. sit autoentica & an hodie incorrupta. N.

An versio Latina vulgata quæ dicitur Hieronymi in Veteri & N. T. sit authentica, & an incorrupta. N.

An Bibliorum V. T. Codices Hebraici sint corrupti aut mendosi. Neg:

An variæ lectiones codicum, quâ Hebæorum quâ Græcorum, detrimentum aliquod creent veritati Scripturarum, quæ ad Canonem Theologiæ necessaria est. N.

DISPUTATIO XI.

Quæ est

DE

Judicio Controversiarum Secundum Canonem.

1644. 27. Januarji.

THESIS I.

CONnexa est & implexa controversiæ Cardinali *de Canone Theologiæ* seu regula Fidei & Morum, quam hactenus tractavimus, controversia *de Iudice Controversiarum Fidei & Religionis, & Iudicio secundum Canonem seu regulam & normam Verbi Dei*: Quæritur enim, *An sit in his terris Iudex aliquis Ecclesiasticus infallibilis? & quis sit?* Ut autem rite formetur status controversiæ cognoscendæ sunt initio hypotheses aliquæ, quas censemus non facere Elenchum; quamvis Pontificii, nominatim *Gregorius de Valentia*, illas sibi magno conatu probandas sumant, tanquam controversas; Sunt autem istæ apud *Gr. de Val. Analysi Fid. Cathol. lib. 3. & 4.*

1. *Dubitandum non est quin aliqua exstet Auctoritas ad judicandum de Fidei controversiis infallibilis: per quam in omni determinata quæstione cognoscere fideles omnes commode possint, quæ sit Christi verissima sententia & doctrina.*

2. *Auctoritas illa quæ exstat ad judicandum de fidei controversiis omnibus infallibilis, non est tantum divina, neque tantum humana; sed humana divinitus inspirata.*

Non facere elenchum has hypotheses ipse cogitur fateri *lib. 4. cap. 2. Quia neque nos volumus Deum per se ipsum singulos docere rectam fidem, sine ullo prorsus humano ministerio, vel sine omni medio; sed per Scripturam sacram, quæ ipsa continetur humana auctoritate divinitus inspirata.* Certe hypotheses istæ non determinant quæstionem, ut magis intelligi debeat *de auctoritate personali judicis secundum* Canonem judicantis, quam *de ipso Iudicii Canone.* Erat hic determinate

loquendum de Persona Judicis, qui secundum Canonem jus dicat: Hic n. supposita auctoritate Canonis divinitus inspirata, quæritur de auctoritate docentium in Ecclesia: *Debeatne penes, si non singulos, saltem in aliqua illorum Cathedra publica visibili esse aliqua Auctoritas Fidei magistra, prætoria & infallibilis, qua stare aut cadere necesse sit in judicio controversiarum Fidei & religionis.*

Nos negamus ista prætoria & infallibili auctoritate judicis aut magistri visibilis in Ecclesia opus esse: Ac credimus sufficienter divinitus prospectum esse constitutioni & directioni ac gubernationi Ecclesiæ, per Auctoritatem & potestatem ministerialem, quæ Spiritui S. Judici summo & magistro invisibili, ut θεοδίδακτοι inservit, per patefactionem veritatis ad omnem conscientiam hominum in conspectu Dei, 2. Cor. 4. 2. sequens Scripturam S. tanquam verissimam, certissimam & infallibilem omnis judicii normam, cui ipsa subjicitur.

IV. Pontificiorum antithesis hæc est, quam statuunt *Colloquutores Ratisbonenses Sess. IX. Oportere eandem rationem esse in Ecclesia, quæ est in Republica bene ordinata; ideoque pariter in Ecclesia, ut in Republica politica requiri præter Scripturam S. aliquem judicem visibilem, qui præstet tria hæc: quæ scilicet per se præstare Scriptura non potest. scilicet, qui 1. audiat utriusque partis argumenta, quando exoritur controversiæ. 2. qui sententiam ferat explicando sensum legis. 3. qui compellat transgressores ad obediendum.* Respondemus ad argumentationis, quæ ista Antithesi continetur propositionem majorem, per inficiationem; Non esse exigendas rationes Ecclesiæ bene ordinatæ, ad ordinationem Reipublicæ politicæ: utrobique par exercitium visibile auctoritatis: Est enim Ecclesia regnum Christi invisibile spirituale Joh. 18. in quo res geritur armis spiritualibus. 2. Cor. 10. 3. 4. 5. 6. Neque est alius Magister aut Doctor Ecclesiæ constitutus, qui Fidem imperare possit conscientiis aut obedientiam fidei, præter Christum, & Spiritum ejus, Matt. 23. 8. 9. 10. 2. Cor. 1. 24. & 4. 6. 7.

V. Deinde, Dato non concesso, quod ad formam judiciorum Politicorum debeant exerceri Ecclesiastica judicia, cum auctoritate prætoria: tamen negamus consequentiam illam *à potestate prætoria judicii, ad judicii infallibilitatem*, de qua hic instituta est disputa-

sputatio: Non enim magis sequetur fore, ut judex Ecclesiasticus sit infallibilis, quam ex auctoritate prætoria consequens est, judices politicos semper judicare secundum veritatem.

VI. Argumentationem, quam videre potuerunt hactenus invalidam esse, *Colloquutores* jam dicti muniunt isthoc Achile: Deductione nimirum illa ad absurdum quam artigimus *Disput. IX. Thes.* 5. super qua se explicat *Tannerus*, cum verba ejus *Hunnius* accepisset in illam sententiam, quam extra deductionem ad absurdum per se fuerunt: *Fit mihi*, inquit, *injuria &c. Non enim dixi, quod in Ecclesia etiam summo Pontifici erranti debeat mos geri: sed dixi hoc tamen sequi; quod si in dubio Magistratus ille potest errare, & nihilominus habet publicam auctoritatem, populum quoque induci posse in errorem, quia in dubio populus debet stare sententiæ sui Magistratus in omni politia.* Respondemus; Omne robur hujus deductionis prætensæ ad absurdum, situm esse in ista petitione principii: Quod absolute standum sit judicio Ecclesiæ absque judicii examine ad Scripturæ legem & normam, cœca quadam obedientia. Atqui cœca ejusmodi obedientia, non est obedientia fidei; nec λογικὴ λατρεία seu cultus rationalis. Fidei enim obedientia exerceri non potest absque ἐπικρίσει privati judicii Rom. 12. 1. & 16. 25. 26. & 1. Cor. 10. 15.

VII. Enimvero tametsi, etiam nostra assertione, partes litigantes *in controversiis quæ sunt facti*, circa charitatem & mutua inter fideles officia stare debeant absolute Ecclesiæ decisioni; quamvis non videant sibi exacte jus redditum: Tamen res ipsas loquitur (neque contradicunt Pontificii) *judicium Ecclesiæ falli posse & fallere.* Nec eo pacto ulla postulatur cæca obedientia, (etiam ubi nullum est periculum de salute animæ) quæ necessario in errorem trahat illum, qui injuste causa cadit: sed exigitur tantum intensa illa charitas, & reverentia, qua etiam sciens videns condones de tuo jure, seu fratri litiganti injuste, seu Ecclesiæ erranti in judicio, quantum flagitat publica tranquillitas & occasio fratrem lucrandi.

VIII. Multo ergo minus postulari debet cœca obedientia *in judicio de controversia juris, in Fide aut Moribus*: Si enim illa hic postulatur tum revera periculum illud metuendum est à ministerio judi-

cis fallibilis, ut Ecclesia tota in errorem trahatur, & ad interitum redigatur. Interim causa nulla est, cur periculum illud metuatur per debitam obedientiam, ex ordine divinitus instituto: Quia omnibus exposita est & præ manibus norma judicii Ecclesiastici publica infallibilis: præter aut contra quam nulla exigi debet fidei obedientia, & si exigitur, debet negari. Periculum ergo, illud quod metuitur, non à nobis, sed à Pontificiis ipsis creatur, per imperii istius in conscientias usurpationem.

IX. Breviter, sunt inter nos & Pontificios extra controversiam, præter duas hypotheses *Gr. de Valentia Thesi I.* indicatas, etiam duo ista: 1. *Debere esse in Ecclesia visibili judices vivos & visibiles, qui controversiarum τὰ καθ' ἕκαστα cognoscant & fungantur officio interpretum Legis divinæ, Tit. 1. 20. Non tantum privatas injurias, sed controversias quoque de dogmatis fidei & morum, referendas esse ad Ecclesiam examinandas & judicandas; ut habeatur Ecclesiæ judicium, exemplo fidelium Antiochenorum Act. 15.* Damus quoque tertium illud: *Esse necessario ad terminandas lites & controversias aliquod in Ecclesia judicium, secundum homines postremum & ultimum, à quo appellari non possit ad alium judicem, ipsum etiam hominem.* Sed controvertitur *Iudici infallibilitas.* Quam frustra excusulpere satagentem *Bellarminum ex locis. Matt. 16. & 18.* audivimus Disputatione proxime antecedente: Et quæ sit istius assertionis Pontificiæ, *de Summo visibili judice controversiarum infallibili*, impietas, abunde jam liquet ex *Disputationibus. IV. IX. & X.*

X. Hic jam expugnandum nobis præsidium illud commune fere Pontificiorum omnium, situm in isthoc Ecclesiæ privilegio, quod potissimum urgent ex testimonio *Matth. 16. 18. ubi de Ecclesia dictum est à Domino, Portæ inferi non prævalebunt adversus eam:* ex quo inferunt, *Quod ex promissione divina non possit tota penitus ad interitum redigi, adeoque nec universam errare errorem exitialem. Bellarm. lib. 4. cap. 9.* Fatemur autem etiam nos, *hoc Ecclesiæ promissum esse verbis Christi, fore ut nunquam erret errorem exitialem, quo tota penitus ad interitum redigatur.* Sed etiam inter ipsos Pontificios manifestum est divortium sententiarum de Ecclesia, cui vendicandum sit privilegium illud à Christo promissum. Atque hæc est *origo Controversiæ de Ecclesia.* In qua quæstio principalis est, *de distinctione inter*

ter Ecclesiam visibilem & invisibilem: Sitne illa hic admittenda & præmittenda Ecclesiæ definitioni: An vero absque hac distinctione univocum sit Nomen & definitio Ecclesiæ, quod Pontificii affirmant: Nos contra censemus, non admissa nec præmissa illa distinctione, Nomen & definitionem Ecclesiæ esse æquivoca.

XI. Non proponit bona fide statum controversiæ *Bellarminus*, quando asserit, *nos duas Ecclesias fingere: Vnam veram, quæ non sit visibilis nisi oculis fidei: alteram externam, quæ nomine tantum est Ecclesia: illam constare ex solis justis prædestinatis: in hac bonos & malos inveniri: Bell. de Eccl. lib. 3. cap. 2.* Nec meliori fide idem ibidem facit divortium sententiarum, inter 1. *Wiclevi & Hussi sententiam.* 2. *Confessionem Augustanam.* 3. *Calvinum.* quibus tribus optime hic convenit, quamvis forte aliqua varietate verborum se explicent. *Hussus in libro de unitate Ecclesiæ* manifeste se explicat, se Prædistinatos non ante accensere Ecclesiæ, quam sunt justi & sancti: nam statim ab initio vocat *Ecclesiam ovium, Ecclesiam sanctorum, Ecclesiam justorum, & ex sententia Augustini* concludit, *Quod unica est sancta universalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum universitas N. B. à primo justo inclusive usque ad ultimum futurum salvandum inclusive: & claudit omnes salvandos.* Dixerat ante, *Quod duo justi congregati in nomine Christi sunt cum Christo capite particularis sancta Ecclesia, similiter tres, quatuor, & sic ulterius usque ad numerum omnium prædestinatorum inclusive: atque sic particularem Ecclesiam quamvis partem esse ad universalem.* Manifestum ergo est *Hussum* non fingere duas Ecclesias, sed agnoscere unam Ecclesiam universalem aggregatam, ex particularibus justis viatoribus, qui in particularibus Ecclesiis convocantur & congregatur, ac sunt in Ecclesia & re & nomine: in qua alii sunt nomine tantum. *Vide Hussum cap. 1. 2. 3.* Convenis ergo ipsi in eo cum *Melanchthone, Peccatores non pertinere ad Ecclesiam nisi nominem*: & cum *Calvino* in hac sententia, *Ecclesiam constare ex solis justis prædestinatis.*

XII. De Communi ergo illorum trium sententia, Est una & eadem Ecclesia, quam credimus *invisibilem esse*: *primo* quoad essentiam internam, quæ consideratur in unione spirituali & mystica cum Christo capite: *deinde* tantisper quoque invisibilem fore, quoad totam sui collectionem ἐπὶ τὸ αὐτὸ, donec Christus die ultimi

judicii

judicii discreverit oves ab hœdis. Quam eandem credimus *fieri visibilem*, aliquibus sui partibus visibiliter congregatis per prædicationem verbi, quoad modum existendi externum, & partialem collectionem ἐπὶ τὸ αὐτὸ qua mali etiam & reprobi admiscentur justis prædestinatis.

XIII. Jam ergo verus status controversiæ liquet iste, *An Ecclesiæ, qua visibilis est seu partiali visibili ejus congregationi facta à Christo promissio illi, quod portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: An vero facta sit Ecclesiæ quatenus est invisibile & mysticum corpus Christi, cujus vera membra sunt soli Justi Prædestinati & salvandi: Pontificii communiter affirmant prius, Nos posterius. Et facit pro nobis apertissime ex Pontificiis ipsis, *Ioh. Ferus in Matthæum cap. 16. edit. Antverp. 1570. fol. 285. 286. 287. Cum dicit Portæ inferi non prævalebunt, omnem potestatem Satanæ significat*: & mox, *Portæ inferi nihil aliud sunt, quam omnes Diaboli machinæ, munitiones, artes, robur; qualia sunt mundi potentia, sapientia, divitiæ, minæ; vel etiam peccatum, mors damnatio: Hæc, inquam, inferorum potestas est, quæ nihil prævalere potest contra Ecclesiam*: & mox: *Non loquitur de Ecclesia, boni sint sicut communiter accipitur Ecclesia, pro his qui Christiani dicuntur, sive mali, &c. sed loquitur de Ecclesia secundum spiritum, qua solos NB. electos complectitur. Demum non hoc vult, quod fideles in externis tentationibus semper superiores futuri sint, cum plerumque contrarium videamus evenire: sed loquitur de pugna spirituali, qua singulorum est, cum peccato & morte.* Hactenus *Ferus*.

XIV. Non potest everti hæc expositio, stante hypothesi jam posita qua distinguitur inter *Ecclesiam invisibilem, quæ solos electos, & visibilem Eleceſiam, in qua electis admisti sunt reprobi*: Quam hypothesin, quamvis *Bellarminus* velit eversam; quando *hæreticam sententiam* nominat istam, *Ecclesiam esse sanctorum congregationem qui vere credunt & obediunt Deo, sive constare ex solis istis*: & censura notat *Phil. Melanchthonem, quod non dicat Ecclesiam constare ex malis & bonis, sed dicat malos admisceri Ecclesia, Bell. de Eccles. lib. 3. cap. 2.* Tamen confirmat eandem præter *Ferum* etiam *Melchior Canus. lib. 4. cap. 2. Certe*, inquit, *nervosius qui Ecclesiam finiunt, illi non dubitant eam fidelium tantum numero constari: & mox docet, Ecclesiam dupliciter posse dici; & quidem primum eam quam fidelium omnium ab initio mundi*

usque

usque in finem congregatio conficit, quomodo D. Thomas de Ecclesia loquitur 3. p. quæst. 8. Art. 3. &c. Quin ipse *Bellarminus* hypothesi illi fundamentum substernit *de Eccl. lib. 3. cap. 9. Omnia privilegia, inquit, quæ sunt à Deo concessa Ecclesiæ universæ, propter solos sanctos concessa esse (ex mente Augustini) id est, in utilitatem & commodum eorum, qui salutem æternam consequuntur.* & mox; *Sunt quædam (Ecclesiæ) membra mortua & arida, quæ solum adhærent reliquis externa conjunctione. de Eccles. lib. 3. cap. 10.* Fatetur idem, *Verissime dici posse Ecclesiam fidelium, id est, eorum, qui veram fidem in corde habent, unam esse. Ecclesia enim præcipue,* inquit, *& ex intentione fideles tantum colligit, cum autem* NB. *admiscentur aliqua ficti, & qui vere non credunt, id accidit præter intentionem Ecclesiæ: Si enim eos nosse posset, nunquam admitteret aut casu admissos continuo excluderet.*

XV. Stat ergo hypothesis, & ex illa hypothesi responsio de privilegio, quod istis verbis expressum est *Matt. 16. 18. Porta inferi non prævalebunt adversus eam*: concessum quidem illud esse Ecclesiæ universæ, sed non propter mortua illa & arida ejus membra, quæ solum adhærent reliquis externa conjunctione, iisque admiscentur præter intentionem Ecclesiæ: verum propter illos tantum, qui interna unione cum capite Christo constituunt invisibile mysticum corpus Christi. At hinc porro consequens est privilegium illud non constare solum, nec semper, externo & visibili triumpho in his terris, quo non nunquam gaudet Ecclesia in certaminibus adversus persequutores aut hæreticos, quando illi arcentur à Cathedra Ecclesiæ, ne illam vel invadant vel pessundent.

XVI. Quid ergo; Citra hoc accessorium situm est principaliter Privilegium promissum Ecclesiæ in eo, quod singuli fidelibus πλέως sperandum est & certo exspectandum: fore ut ipsi semper, in quibuscunque certaminibus, etiam publicis, vel maxime grassante persequutione & vastante Cathedras, vel grassantibus hæresibus, & hæreticorum factione occupante Cathedras, tamen reportent τὸ πλέον τῆς πίστως ipsorum, salutem animarum, vigilante pro ipsis divina Providentia, ne vincantur à seductione. Matt. 24. 24. 1. Pet. 1. 9. 13.

XVII. Hoc pacto Christus revera præstat Ecclesiæ, ut universa non erret errorem exitialem: etiamsi enim errarent, in hæ-

reſes exitiales abrepti omnes illi, quos Eccleſia, ſi noſſe poſſet, nunquam admitteret, aut caſu admiſſos continuo excluderet, non accidet tamen exitium illud neque exitialis error illis, quâ Doctoribus, quâ diſcipulis, quos Eccleſia præcipue & ex intentione tantum colligit; qui veram fidem habent in corde. Quod etiam agnovit *P. de Alliaco in Quæſtione de Reſumpta*, adoptans aliquorum reſponſiones, quæ nituntur illa Hypotheſi: *Fieri poſſe, ut tota multitudo Clericorum contra fidem erret, & ut omnes clerici hæreticentur, aut nulli remaneant*: de quo caſu ſic arbitratur: *Licet*, inquit, *temerarium eſſet aſſerere talem caſum de facto aliquando evenire, tamen eſſet etiam temerarium hujus caſus poteſtatem negare. &c.*

XVIII. Privilegium ergo, quale à Chriſto Eccleſiæ promiſſum ſit *Matt.* 16. 18. jam conſtat: Ac liquet in iſta quam audivimus Chriſti promiſſione ne χὺ quidem eſſe, quod faciat pro illa privilegii ampliatione, qua (ſcilicet ad abundantiorem cautelam, ne Eccleſia erret errorem exitialem;) promiſſionem de non errando habeant, præter illos, qui viva ſunt Eccleſiæ membra, illi, qui Judices ſedent in Cathedra Eccleſiæ, ſive ipſi boni ſint ſive mali. Quod dum Pontificii ſatagunt confirmare, ludunt nova æquivocatione in voce Eccleſiæ, quæ quando nominatur *Eccleſia univerſa militans in terris*, vel complectitur una cum Docentibus Diſcipulos, vel accipitur ſeorſim pro univerſitate Docentium, quæ vocatur *Eccleſia repræſentativa*, in qua auctoritas reſidet judicii publici. vide *Bellarm. de Eccl. milit. lib.* 3. *cap.* 3. *& Canum lib.* 4. *cap.* 4. *& lib.* 5. *cap. ult.*

XIX. In poſtrema iſta acceptione (ad quam illi perperam rapiunt, quod commune eſſe debebat docentibus & diſcentibus,) rurſus ſubeſt alia æquivocatio: Quando enim ipſis lubet, nomine Univerſalis Eccleſiæ repræſentativæ intelligunt *horum temporum tantum Eccleſiam*, & quidem *vel ſolam Romanam*, quæ revera particularis tantum eſt Curia Romani Pontificis, ſed uſurpat nomen univerſalis regiminis Hierarchici in rectores aliarum particularium Eccleſiarum per univerſum terrarum orbem, vel etiam *quamlibet Diœceſin dicunt Catholicam, quæ cum Romana Eccleſia communionem habet. Bellarm. de notis Eccleſiæ lib.* 4. *cap.* 7.

XX. Quando autem paulo ſanius loquuntur, intelligunt nomine

mine Universalis Ecclesiæ *Ecclesiam, quæ succedit à tempore Petri usque ad hæc tempora, & sic comprehendit Petrum & alios Apostolos ac Evangelistas, & sanctos omnes, à quibus in Ecclesia susceptum est Evangelium, & publicata doctrina Christi.* Posteriori hac acceptione Universalis Ecclesiæ P. *Alliaco in Quæstione de Resumpta* explicat dictum illud πολυθρύλλητον Augustini de auctoritate Ecclesiæ, qua motus crediderat Evangelio. Et siquidem verba *Bellarmini* non habent illam significationem, ubi agens de Criteriis verarum Traditionum, asserit *Ecclesiam universam non posse errare, de verbo Dei lib. 4. cap. 9.* certe nihil dicit & ludit in æquivocatione jam indicata.

XXI. Fatemur nos quidem ultro, Quando sub Ecclesia universali comprehenditur Petrus aliique Apostoli ac Evangelistæ: ut Ecclesia Catholica repræsentativa amplectatur analogice omnium temporum, omnium locorum, & nationum Judices Ecclesiasticos, quemadmodum fatente *Bellarmino* loco jam citato de notis Ecclesiæ, *Ecclesia vere Catholica non solum debet amplecti omnia tempora, sed etiam omnia loca, omnes nationes, omnia hominum genera.* Fatemur, inquam, non posse errare illam universam Ecclesiam repræsentativam in judicio Controversiarum de Fide & Moribus: Sed eo ipso efficaciter concludimus, non posse illud privilegium tribui posteriorum temporum & locorum Ecclesiis, seorsim à Prophetis, Apostolis & Evangelistis. Atque ex his jam præcognitis de Judicio controversiarum secundum Canonem in Ecclesiæ visibili cathedra, incisi sunt nervi Disputationis Pontificiæ, *de infallibilitate Cathedræ Petri*, quam fingunt post Petri excessum, quæ illa est Helena in cujus gratiam, disputant etiam pro *Infallibilitate Cathedræ Veteris Mosaicæ*, ut illi à fortiori omne istud infallibilitatis privilegium vindicent.

XXII. Quæ autem reliqua est nobis disputatio de Cathedra judicii Ecclesiastici visibilis, in Ecclesia quidem Novi Testamenti post excessum Apostoli Petri. Est *de Non Ente* saltem *de Individuo vago*, quia inspirationem infallibilem quam asserunt, quibus personis Cathedræ sessoribus asserant, Papistæ certant & adhuc sub judice lis est. Alii enim infallibile illud διάκρισιν, judicium, partiuntur inter Concilium & Papam; alii illud asserunt Concilio seu Presbyteris & Episcopis in Concilio congregatis, ut Papam etiam

Concilio subjiciant: alii Papæ uni videntur illud asserere supra Concilium, & sunt istæ *in Papatu controversiæ indecisæ.* 1. *An Concilium sine Pontifice vel ante confirmationem Pontificis errare possit in judicio de controversiis fidei & morum?* 2. *An Pontifex fieri possit ipse hæreticus?* Nos ad prius problema respondemus post Synodum Hierosolymitanam ab Apostolis celebratam, ab Apostolorum excessu, qui primi fuere sedores Cathedræ visibilis in Ecclesia N. T. nullum fuisse Concilium celebratum, ac nullum sedisse usquam, vel Apostolorum reliquorum, vel Petri in Cathedra successorem Episcopum, cum privilegio infallibilitatis in judicio. Ad posterius autem dicimus, contra experientiam luctari Papistas illos & contra propriam conscientiam, qui id negant de *Liberio* & *Marcellino*, quorum *illum Arianæ pravitati subscripsisse; hunc idolis sacrificasse* constat: ut ingenua magis sit illorum confessio, qui cum *Iob. Gerson.* volunt *id perrarum quidem esse, tamen fieri ut summus Pontifex labatur in hæresin:* qui id pronunciavit *sermone facto coram Alexandro Papa*, & utroque illo exemplo confirmavit.

XXIII. Rursum Determinatio ipsa illorum, qui cum *Gersone* pronunciant infallibile judicium penes concilium generale esse, fallit inani quadam distinctione illa: *Quod in materiis fidei terminandis error non cadit in generali Concilio, ex speciali assistentia Spiritus S. & Christi regentis Ecclesiam, nec permittentis errare, in his, ad quæ humana investigatio pervenire non potest: Secus in his, quæ vel facti sunt, vel humana ratione terminari possunt.* Illico enim ipse *Gerson* Thesin suam vocans ad hypothesin Schismatis inter duos Anti-Papas, ut utrumque subjiciat concilio, tanquam judici infallibili. ista subnectit, *Nunc autem schisma præsens, quanquam in his, quæ facti sunt plurimum hæreat, ejus nihilominus terminatio tam perplexa cernitur, tamque difficilis, ut supra hominum vires ingenia inventiones & consilia videatur: Ubi vero deest humanum, potest & debet absque temeritate divinum auxilium, etiam miraculosum exspectari.* Qua exceptione asseritur concilio generali judicaturo de schismate, *opitulationis divinæ assistentia specialis*, non tantum in judicio *de materiis fidei*, quod distinctio præ se fert: sed etiam *de iis, quæ facti sunt*, per quandam scilicet æquivalentiam, si eorum terminatio nimis perplexa sit & difficilis.

XXIV. Atqui data illa æquivalentia; ut tam flagitet judicium

um infallibile Ecclesiæ in concilio congregatæ, terminatio illa schismatis, (per definitionem an alteruter, & uter, sit verus Papa, vicarius scilicet Ecclesiæ sponsus,) quam determinatio controversiæ de Fide. Mirari licet, sui oblitum *Gersonem*, qui eodem *Sermone de Circumcisione Consideratione 3. de Pace* dixerat ista. *Ea quæ dissentionem afferunt in præsenti schismate, sunt talia, quæ in facto maxime consistunt, in quibus errare sine periculo salutis potest non solum ista vel illa, sed etiam in talibus Ecclesiæ fallere dicitur & falli; sicut dum N. B. multo tempore feminum pro Papa coluit.*

XXV. Audiant obiter Papistæ, *Cancellarium Parisiensem testem veritatis de Iohanna Papissa*, cui nos tutius fidem habemus, quam contradicentibus hodie Iesuitis: ad præsens autem institutum accipimus, quod ex illa experientia affirmat *Gerson*, in quæstione facti illa, sedeatne in Cathedra Romanæ Ecclesiæ Vir Dei, verus Petri successor, an *Sexum mentita virilem fœmina*; (adeoque an habeat ex hypothesi Ecclesia verum in terris visibile Caput, an ementitum) fallere & falli posse Ecclesiam: Verum miramur, quomodo hæc quæstio de vero an ementito & sexum virilem mentito *Ecclesiæ capite & sponso vicario* sedente in Cathedra Petri; non per eandem illam æquivalentiam accensetur controversiis de Fide, quoad necessitatem determinationis per opitulationem divinæ assistentiæ specialem: quam audivimus illum supponere circa terminationem schismatis perplexam & difficilem.

DISPUTATIO XII.

Quæ est
De Iudicio Controversiarum
IN VETERI
CATHEDRA MOSIS.

1644. 3. Februarii.

THESIS I.

Peræ precium est excutere in præsens Papistarum disputationem pro Veteris Cathedræ Mosaicæ Infallibilitate in judicio controversiarum; Infallibilitatis tradux fingitur in Chimærica Cathedra Petri. Pugnant autem pro illa partim ex Novi, partim ex Veteris Testamenti Scripturis: Ex novo quidem Testamento obtendunt Christi ipsius testimonium *Matth. cap. 23. 2. 3. Super Cathedram Mosis sedent Scribæ & Pharisæi: quæcunque dixerint vobis servate & facite: secundum opera eorum nolite facere. Docere voluit Christus, inquit Bellarminus, Non obstante mala vita Prælatorum sequendam esse eorum doctrinam. Quod Dominus de Cathedra Mosis dicit, intelligitur à fortiori de Cathedra Petri. De Verbo Dei lib. 3. cap. 5.*

II. Respondemus, I. Cathedram Mosis rectissime dici posse (quod respondet Doctiss. Camero) Cathedram, in qua explicatur Moses metonymice acceptus, id est, doctrina Mosis: Jam, hac acceptione suppositâ, Sedere in Cathedra Mosis, non significat successionem personalem, qua Scribæ & Pharisæi successerunt Mosi sessione sua; sed lectionem & interpretationem ac traditionem legis & Doctrinæ Mosaïcæ ex Mose ipso ad mentem Mosis, de qua lectione Mosis vide Act. 15. 21. & 2. Cor. 3. 15. II. Quamvis Cathedram Mosis intelligamus, in qua primus sederit Moses, ut Magister & Doctor, Rabbinorum sequentium prædecessor: denominatione tamen illa à Mose significatur Mosem ipsum audiendum esse ex ore Scribarum & Pharisæorum: ac facienda omnia,

quæ-

quæcunque illi ex Moſe, ſeu à Moſe accepta, tradiderint & edixerint. Adeoque non aſſeruerit Chriſtus Scribis & Phariſæis, poſt Moſem occupantibus Cathedram, Auctoritatem Moſaicæ parem, infallibilem; ſed indicarit potius ex Moſe petendam regulam & Canonem doctrinæ ipſorum; cui ſi conformia dixerint audiendi ſint; ſi contradixerint, ab iis cavendum ſit; quemadmodum exſerte Chriſtus juſſerat diſcipulos ſuos cavere à fermento, id eſt, doctrina Phariſæorum Matt. 16. 12.

III. Habemus hic confitentes Papiſtarum primipilos. *Hadrianus VI. Pontifex Quotlib. 6. fol.* 118. laudat verborum Chriſti hanc gloſſam, qua ad regulam Moſis adſtringitur Phariſæorum Doctrina: *Quæcunque juxta Cathedram docuerint. Cornelius Ianſenius Epiſcopus Gandavenſis in Concordia ſua caput.* 120. in verbis Chriſti notat illationem illam. *Omnia ergo, &c. Ergo, hoc eſt, quia ſuper Cathedram, id eſt, in Cathedra Moſis ſedent? ideo ſervate quæ dixerint vobis: ut ſignificetur, non eſſe illis obediendum, ſi quid male præcipiant aut doceant: nam ſi eis eſt obediendum, quoniam in Cathedra ſedent Moſis, non eſt ergo obediendum, quando contra eam Cathedram aliquid vel docent vel præcipiunt.* Maldonatus proponit *ad hunc locum illud ἐναντιοφανὲς. Quomodo jubeat Chriſtus omnia, quæ Scribæ & Phariſæi docuerint facere; cum eorum ſæpe doctrinam reprehendat, & cap. 16. 12. juſſerit diſcipulos ſuos cavere à fermento, id eſt, doctrina Phariſæorum; & hoc ipſo capite, verſu 16. & 17. falſam eorum doctrinam coarguat: &c. Quisdubitat,* inquit, *illa ipſa falſa, quæ docebant, in Cathedra ipſa, ſi in Cathedra ſedebant, aut in Synagoga & Schola Moſis docuiſſe.* Tandem concludit in hanc ſententiam: *Cum jubet ſervare ac facere, quæ Scribæ & Phariſæum in Cathedra Moſis ſedent, dicunt, non de ipſorum, ſed de Legis ac Moſis doctrina loquitur: perinde enim eſt ac ſi dicat, Omnia quæ Lex & Moſes vobis dixerint, Scribis & Phariſæis recitantibus, ſervate ac facite: ſecundum autem opera eorum nolite facere, ut Hilarius & Hieronymus videntur intellexiſſe.* Hactenus *Maldonatus.*

IV. Reliqua ſunt teſtimonia ex Veteri Teſtamento apud *Bellarm. de verbo Dei libr. 3. c. 4.* I. Primentum eſt *Ex. 18. Vbi legitur Moſes, ante conſtitutos minores Magiſtratus, ſedisſe tanquam princeps & caput illius Eccleſiæ: & illis etiam conſtitutis tamen ſibi reſervaſſe dubia circa religionem: nimirum ut intelligeremus unum eſſe debere commune tribu-*

tribunal, à quo omnes petant divina Legis interpretationem, & cui omnes simpliciter acquiescant. Respondent nonnulli Mosem fuisse Principem politicum, non Pontificem aut Sacerdotem; cum Aaron esset Pontifex summus: qua responsione hoc volunt; Tribunali illud commune, cui omnes simpliciter acquiescere debuerint, civile & politicum fuisse, non Ecclesiasticum: itaque non facere auctoritatem illam Mosis ad præsentem quæstionem, ubi quæritur auctoritas summa infallibilis judicis Ecclesiastici.

V. Excipit Bellarminus, *Mosem omnino fuisse Pontificem; & quidem summum, Aarone Majorem: Quod Moses, inquit, fuerit Sacerdos testatur David; cum ait Psal. 98. Moses & Aaron in Sacerdotibus ejus.* Respondent Orthodoxi ad locum Psalmi 68. de voce *Cohen* id quod Vatablus adnotavit in Psalterio minori forma excuso à *Rob. Steph. 1556. Sed* כהנים *non tantum Sacerdotes significat; sed etiam Levitas quoslibet: deinde primarios homines, qui præsunt populo: ideo hic Sacerdotes pro Ecclesiæ proceribus accipi potest. Quod idem docet Pagninus in Lexico his verbis: & Nomen Toar* כהן *Sacerdos, Dux, Princeps. 2. Sam. 20. 26. Et etiam Hira Iairitha erat* כהן *Servitor (ac consiliarius) ipsi David. Sacerdos: Targum* רב *Princeps aut Magnus. Rab: David in ommentariis & in libro radicum, Magnus atque Consiliarius. Et non potest exponi Sacerdos, inquit R. David. Quia Sacerdos non erat ipsius duntaxat David, sed universi Israel. Et mox. 2. Sam. 8. 18. & filii David* כהנים *Principes erant: & sic habes 1. Paral. 18. 17. Et filii David Principes ad manum Regis* הראשונים ליד המלך &c.

VI. Nostra ἐπιχρισις hæc est: Frustra esse Bellarminum; Si neget Mosem fuisse Principem Politicum; quia Scriptura ipsa pronunciat Mosem in populo illo fuisse Regem Deut. 33. 5. Atque omnino fallitur & Bellarminus si respexit locum Ex. 4. 15. 16. ubi Moses constituitur Deus Aaronis, & Aaronos Mosi: quando asserit Mosem fuisse Pontificem summum Aarone majorem. Quia illo loco non inauguratur Aaron Sacerdotio, sub Mose, tanquam summo Pontifice; sed Mosi tanquam designato Regi datur Aaron futurus Orator in extraordinaria legatione divina ad Pharaonem.

VII. Largimur tamen nos Bellarmino non inviti ex Ps. 98. Mosem etiam Sacerdotem fuisse; quin aliquando Aaronem sub

Mose

Mose constitutum fuisse etiam in Sacerdotio. Ut quamvis proba sit illa observatio de voce Cohen: (quia etiam filiis Davidis tribuitur in Tribu Juda, de qua teste Paulo, nullus Altari præsto fuit Hebr. 7. 13.) non tamen necesse sit in persona Mosis ad illam significationem confugere: quam quidem flagitant sequentia tempora, quando aliquis ex alia, quam Levitica tribu dicitur Cohen: sed quæ intempestiva fuit ante τάξιν Aaron, seu ordinem illum per Mosem ipsum mox instituendum; quo Aaron (seorsim à Mose populi Israëlitici Rege,) titulo Cohen, præficeretur eidem populo in iis, quæ apud Deum agenda essent: quemadmodum, ante ordinem illum constitutum, & electam tribum unam, quæ seorsim à negotiis regni curaret negotia Jehovæ, quicunque vocabantur in populo aliquo nomine isto כהנים absque aliquo periculo creduntur fuisse, exemplo Melchisedeci, & Duces seu Reges, & Sacerdotes. Quidni enim idem sentiamus de Mose? qui & Levita erat, & manifeste, antequam tribus Levi secerneretur ad sacerdotium in Aarone, cum veteri ritu sacrificarent primogeniti, legitur cum Aarone fuisse ἱερομνήμων sacrificii Paschalis: Quæ præfectura sacerdotalis non anteceſſit uni Aaroni, quam ille per sacram unctionem inauguratus est ordinarius summus Sacerdos collatumque filiis ipsius jus succedendi Exo. 40. & Levit. 8. mense primo die ineuntis anni secundi à migrata Ægypto. Tantisper ergo saltem negandum non est tribunal illud, pro quo Moses sedit summus judex controversiarum, etiam Ecclesiasticum fuisse.

VIII. Enimvero ne quidem post inauguratum summo Sacerdotio Aaronem, desiit Moses esse controversiarum etiam de Religione judex in populo Dei? utpote Reipublicæ utriusque Politicæ & Ecclesiasticæ fundator, ac legislator & magnus Propheta. Sed nihil inde efficitur; nec procedit argumentum à personali Mosis privilegio, ad privilegium Cathedræ, in qua post mortem sonaret doctrina Mosis: fore scilicet in Cathedra illa omnibus perpetuo temporibus commune & perpetuum ejusmodi visibile tribunal Ecclesiæ, à quo petere licuerit exortæ aliqua controversia vivum infallibile oraculum veritatis.

IX. II. Secundum ex Veteri Testatnento testimonium habetur *Deuter. XVII. 8.----12. ubi Lex generalis fertur, qua remitturtur*

tuntur dubitantes ad judicem vivum summum Sacerdotem. Resp. 1. Remittuntur dubitantes ad summum Sacerdotem hac lege, ut judicio standum sit cum approbatione judicii, si docuerint juxta legem. Suppeditat hanc responsionem vulgatus Latinus interpres, qui sic habet: Et facies, quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus & docuerint te juxta legem ejus. Et utitur hac responsione P. *de Alliaco in quæstione de Resumpta. Dicitur, quod illa Auctoritas intelligenda est in illis judiciis Sacerdotum Leviticorum, in quibus non errabant contra legem, sed si contigisset eos errare, sicut possibile fuit, tunc ab eorum judicio & sententia fuisset declinandum.*

X. *Bellarm.* conatur enervare hanc responsionem, hac evasione, *illud, Et docuerint te, &c. non esse nisi in editione vulgata, quam Luberani non recipiunt.* Sed non elabitur: quia licet omnino Lutheranis Pontificios confutare ex editione, quæ Pontificiis est authentica. Deinde, minime decet Bellarminum evasio ista; quandoquidem oportebat ipsum meminisse, quod statim in initio magni operis controversiarum *de Verbo Dei lib. 1. c. 2.* usus esset iisdem verbis ex testimonio isto, contra Libertinos, ut nobiscum probaret. *Mosem aperte docuisse controversias in populo Dei ex Lege Domini dijudicandas: atque remisisse dubitantes ad Scripturas.* Prævaricatur ergo hic in causa Scripturarum contra Libertinos, quando responsionem istam premit hoc absurdo: *Quod tunc fuissent homines magis dubii & perplexi, quam antea, nec opus fuisset ire ad Sacerdum, si ipsi potuissent ex Lege Domini per se judicare causam suam:* ipse enim authoritate hujus testimonii, quod contra Libertinos primum in acie collocat, demonstrabat, *Sacram Scripturam esse regulam credendi certissimam tutissimamque.*

XI. Quod porro contra disputat ab altero absurdo; *Imo tunc non Sacerdos fuisset judex, sed ipsi, quippe qui de sententia Sacerdotis judicaturi erant.* Futile est, nec alia responsione indiget, quam isthac ipsius *Bellarmini. lib. 1. de Pontif. Rom. cap. 6.* qua respondet ad locum *Ambrosii, in Epist. 32. qui agens de judicio fidei, Ille populus, inquit, judicat: item Auxentius, inquit, vestrum refugit examen. Quod vero,* inquit Bellarminus, *ad Ambrosium attinet, loquitur eo loco S. Ambrosius de judicio privato, quo quisque statuit quid sequendum sit; non de publico judicio, quod autoritatem habet cæteros obligandi: Id quod ex*

verbis

verbis ejusdem Ambrosii perspici potest: sic enim ait ibidem: Veniant plane, si qui sunt ad Ecclesiam, audiant cum populo: non ut quisque judex residеat, sed unusquisque de suo affectu habeat examen, & eligat quod sequatur.

XII. 2. Responsio altera est, Manifestum esse in hoc testimonio sermonem de jure vitæ & necis, ac de politicis judiciis in controversiis facti, de quibus judiciis habemus confitentem Bellarminum: *Non esse absurdum Pontificem errare in præceptis & judiciis particularibus: neque est erroneum dicere Pontificem in aliis legibus, quæ non versantur in rebus necessariis ad salutem, vel per se bonis aut malis, posse errare; nimirum superfluam legem condendo, vel minus discretam: &c.* Quare largimus quidem judicia illa in loco tabernaculi, vivo Mose, habuisse infallibilitatem ex præsenti oraculo. Verum deficiente isto infallibili oraculo, non potuit esse judicium infallibile: quamvis in rebus civilibus illi standum aut cadendum fuit: Quemadmodum judicio omnis Magistratus, qui habet summum jus vitæ aut necis, standum & cadendum est, quamvis sit injustissimum, sicut Christo standum & cadendum fuit judicio Pilati.

XIII. Excipit *Bellarminus*, quod *Occasio hujus Legis fuit, propter eos, qui serviebant Diis alienis, ut patet ex initio capitis. Servire autem Diis alienis, contra Religionem est.* Resp. Ex eodem initio capitis patet, etiamsi occasio fuerit defectio à religione vera ad cultum idololatricum: tamen quæstionem dari judicibus non de jure, facto: vers. 4. in quo quia falli poterant à testibus falsis & mendacibus, ne hoc nimis proclive sit cavetur divinitus, ne quis occidatur uno dicente testimonium, vers. 6. Præsupponitur ergo jus evidentissimum, sed factum sæpe dubium, ac probandum testibus, in quo proinde datur appellatio à judice inferiori ad superiorem, ne exequutio judicii præcipitetur: tamen ne quidem à superiori judice judicatur infallibiliter.

XIV. 2. Tertium ex Veteri Testamento argumentum priori affine, ac partim quoquo nixum testimonio superiori Deuter. 17. nectit Bellarminus pro infallibili judicio summi Pontificis *de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 3. Quia Veteri Testamento, quod fuit figura Novi Exo. 28. jubet Dominus in Rationali Pontificis summi poni Doctrinam & Veritatem, Hebraice Vrim & Tummim, secundum LXX. δήλωσιν*

καὶ ἀλήθειαν. *Cur autem scriberetur in pectore summi Sacerdotis Doctrina & Veritas, explicatur Deuter. 17. Et signo ergo & verbo Dominus promisit in pectore summi Sacerdotis habitaturam doctrinam & veritatem: & proinde eum non erraturum, cum populum docuerit: &c.* Respondemus, Nequaquam Deuter. 17. Dominum verbo promisisse id, quod vult Bellarminus, jam demonstravimus. Ex signo absque verbo nihil effici potest, præsertim ex ejusmodi signo, de quo, ut ipse *Bellarminus* observat, *Nondum convenit inter Hebræos, nec etiam inter Christianos, quid fuerit.*

XV. Quam parum ipse Bellarminus fidat huic argumento, ipse prodit, quando *Augustini conjecturam tanquam probabiliorem* amplectens, ut illam tueatur, se opponit omnibus doctoribus Grammaticis, tanquam *Iudæis & Iudaïsantibus*: atque ipse pro radice אור *Lux* obtrudit *radicem* ירה *docuit*; *pro* תמם *perfecit* אתן *reddidit*, contra omnem analogiam Hebraïcam. Quidquid autem fuerint Urim & Tummim: Responsum quidem per Urim & Tummim semper erat sine errore; sed non semper præsto erat, per doctrinam & veritatem habitantem in pectore sacerdotis: adeo ut quandoque, frustra sacerdoti adhibitio pectorali, tacendum esset, si fallere & falli nollet: quemadmodum accidit Saule scisciante 1. Sam. 28. 6.

XVI. Erat ergo in illo Urim & Tummim extraordinarius χρεματισμὸς pertinens ad œconomiam μυστηρίῳ καὶ μυστροπον Verbi Dei in populo Veteri: sicut somnia & visiones Propheticæ, quibus apud Samuelem accensetur: quæ œconomia quamvis longo tempore haberet etiam hunc χρηματισμὸν & reliquos: non tamen præstabat inhabitantem in pectoribus vel Sacerdotis vel Prophetarum veritatem, ita ut periculum nullum esset, ne illi mentirentur oracula. Deinde nominatim χρηματισμὸς de quo agimus, defecit, ut porro consuli nunquam potuerit juxta legem Num. 27. 21. post primi Templi desolationem Esr. 2. 63. & Nehem. 2. 65.

XVII. Quod autem caput est; Quamdiu duravit ille χρηματισμὸς per Urim & Tummim in pectorali sacerdotis: Sacerdos summus Leviticus in eo non gessit typum Papæ, qui, scilicet, in N. T. habiturus esset *Iura omnia in scrinio sui pectoris*, quod de Papa Anti-Christiana prædicant Papistæ *VI. Decretal. lib 1. Tit. 2. Andra-*

dradius Def. Fid. Trid. fol. 165: Sed gessit typum veri summi sacerdotis Christi, in quo uno placuit Patri ut, omnis plenitudo habitaret. Col. 1. 19.

XVIII. IV. Supersunt apud *Bellarminum de Verbo Dei l.* 3. *c.* 4. testimonia sequentia. Eccl. 12. 11. *Verba sapientum sunt sicut clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore uno: His amplius fili mi ne requiras:* Hinc contendit, *Non fuisse ulterius inquirendum, sed atquiescendum penitus, quando sententia data fuit à summo Pastore, adjuncto præsertim consilio sapientum.* R. Sufficit si, ad hunc locum respondeamus verbis Hieronymi; *Facit hic locus adversus eos, qui alium Legis veteris alium Euangelii existimant Deum: quod unus Pastor Concilium prudentium instruxerit: Prudentes autem sunt tam Prophetæ quam Apostoli.* Pro Hieronymo facit locus Joh. 10. 16. Ubi Christus Dominus vocatur unus Pastor. Hujus unius Pastoris Domini nostri sententiæ acquiescendum, nec ulterius inquirendum esse plena manu largimur. Nullis autem fidiculis hic aliquis expresserit Infallibilitatem judicis visibilis sedentis in Cathedra Mosis: ubi sermo est de Scriptoribus sacris, & Domino Christo, qui spiritu suo illos afflavit.

XIX. V. Conjungit porro *Bellarminus* duo ista testimonia *Aggæi* 2. 11. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum, interroga Sacerdotes Legem,* & *Malach.* 2. 7. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam & Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. Ex quibus verbis, inquit, intelligere est, non esse privatorum hominum judicare de sententia Legis Domini; sed sacerdotis, qui cum sit Angelus, id est, nuncius Dei, ad eum pertinet ex officio explicare sententiam Dei;* Respondemus 1. in loco Aggæi non esse sermonem de instituendo communi tribunali nec præceptum universale, quo ad illud tribunal omnes remittantur: Sed instituitur Prophetæ jussu Dialogus cum Sacerdotibus, super casu aliquo pollutionis cæremonialis, in quo absque operosa disquisitione, obvia cuivis responsio in promptu erat: quam responsionem per Anagogem Propheta convertit ad scopum propositum, de populi pollutionibus spiritualibus, ob quas Deo erat abominabiles.

XX. 2. In loco Malachiæ non fit Sacerdotibus promissio ulla Infallibilitatis; sed in memoriam revocatur officium, cum ex-

postulatione de prævaricatione in officio, inde ab initio capitis & verbis etiam illis, quæ immediate subnectuntur, versu 8. *Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege: &c.* Facit ergo locus ad probandum, posse Sacerdotes falli & falle & prævaricari in officii functione.

XXI. Ultimo loco subjicit Bellarminus testimonium *ex 2. Paral. 19. ubi Rex Iosaphas distinguit officium Pontificis ab officio Regis, & soli Pontifici tribuit judicium de dubiis legis.* R. Locus ille 2. Paral. 19. probat tantum distinctionem officii Pontificis ab officio Regis: quam nos minime negamus: lubenter enim soli Pontifici V. T. asserimus præeminentiam illam in judicio de dubiis legis, ut de illis ex officio pronunciet. Sed probanda erat, quod minime sit, judicii Infallibilitas. Absque illa infallibilitate esse potest, quod tamen auctoritatem habet cæteros obligandi, per patefactionem veritatis ad conscientiam, ad quam necessaria est conspiratio judicii publici ex officio, & judicii privati, quo sive Reges sive subditi Laici, quisque statuunt, quid sibi sequendum, & quid sua, qua pollent auctoritate, muniendum sit: Quod privatum judicium supra audivimus, admittentem ipsum Bellarminum, Thesi. 11.

XXII. Enimvero in tota hac disputatione, qua præfracte illud tueri satagunt Papistæ, fuisse infallibile judicium, quod à Pontifice V. T. pronunciabatur ex Cathedra, contra experientiam luctantur: Quod contra illos tribus exemplis demonstrant Colloquutores Ratisbonenses Euangelici: *Colloq. Ratisb. Sess. 2.* Probant enim, *in doctrina & religione errasse, 1. Aaronem, cum erexit vitulum aureum Exo. 32. 2. Uriam, quando removit aram Domini, & in ejus locum aliam constituit ad typum Altaris Damasceni 2. Reg. 16. 3. Caiapham, quando Christum condemnavit.*

XXIII. Colloquutores Pontificii de Aarone respondent. 1. *Aaron non tanquam Iudex, non tanquam summus Sacerdos, nec ex Cathedra decrevit: cum ex toto illius capitis contextu pateat Aaronem insolentia tumultuantis populi compulsum id salummodo permisisse: 2. Et esto, quod etiam ipsemet Aaron ab insolente populo coactus vitulum adorasset, minime tamen sequetur eum definivisse. 3. Et quidquid exterius fecerit, interim tamen à fide non defecit, & idcirco non probatur illum eam idololatriam actu perpetrasse. 4. Etiamsi Aaron mente in idololatriam incidisset,*

tamen

tamen non propterea summus Pontificatus defecisset: quia Moses fuit superior: Etiamsi ergo peccaßet Aaron, non sequeretur tamen, ut Pontificem peccaße. Resp. Verum duas priores evasiones non patitur contextus, in quo exserte hæc affirmantur de Aarone; Fecit vitulum conflatilem, vers. 4. ædificavit altare coram eo, & clamavit Aaron & dixit, Cras solennitas Domini est, vers. 5. Et oportunum hic est, nec à vero alienum, quod Latinus interpres Vulgatus transtulit verba ויקרא אהרן neglecto Aaronis nomine, *Et præconis voce clamavit.* Et quod idem versu tertio pro Hebraica veritate, quæ sic habet: Et abruperunt omnis populus inaures aureas, &c. hæc posuit, *Fecitque populus, quæ jusserat.* Ut secundum Pontificios authentice hoc constet. Quamvis Aaron peccarit populi tumultuantis insolentia compulsus, situm tamen fuisse peccatum ejus in exercitio illius potestatis, qua publice jubere mandare, & edicere poterat, & revera jussit, mandavit & edixit publice idoli fabricam, & idololatriæ solennitatem, atque sic non permisit tantum populi peccatum, sed juvit ac promovit.

XXIV. Ad secundam Evasionem speciatim dicimus, Illum, qui in Cathedra sedet longe efficacius docere cultum idololatricum, si populo in idololatriam ruenti ipse se adjungat, ac illi præeat facto ipso, una cum populo idolum adorans, quam si populo minime idololatræ dictet sola definitione dogmatica, Idolum esse adorandum. Deinde evasio ista, Coactum adorasse, minime tamen definivisse, nulla est, si hypothesin suam tueri velit *Bellarminus*, quæ exstat *de Verbo Dei lib. 4. cap. 9. Ecclesia universa non solum non potest errare in credendo, sed nec in operando; ac præsertim in ritu & cultu divino.*

XXV. Tertia quoque evasio nulla est, si standum est illi Ecclesiæ definitioni juxta quam *non requiritur ulla interna virtus, sed tantum externa professio fidei & Sacramentorum communio, quæ sensu ipso percipitur*: quod urget *Bellarminus de Ecclesia militante lib. 3. cap. 2.* Si enim absque interna virtute aliquis de Ecclesia est, tantum externa fidei professione & Sacramentorum communione, quæ sensu ipso percipitur; non requiritur certe ad defectionem à vera Ecclesia quidquam aliud, quam derelictio externæ professionis & communionis Sacramentorum, quæ sensu percipitur; & sensibilis

sibilis ac palpabilis defectio est ab Ecclesia, si ad derelictionem illam accedit contraria operatio in ritu & cultu divino, quæ sensu percipitur.

XXVI. De quarta evasione sic censemus: Quamvis jam antelargiti simus hypothesin istam, donec Aaron summo Sacerdotio ordinario inunctus & inauguratus fuit, Mosem etiam in Sacerdotali præfectura Aarone superiorem fuisse, adeo ut Aaron ante initia Levitici sacerdotii fuerit Sacerdos sub Mose: Tamen dicimus in μοσχοποιΐᾳ illa, ac Aarone hortatu populi occupatam fuisse Mosis Cathedram, tanquam si jam vacaret, Mose nunquam reversure: dicebant enim versu 1. Mosi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit: Aaron itaque ut Pontifex peccavit.

DISPUTATIO XIII.

Quæ est altera

DE

Iudicio Controversiarum

IN

CATHEDRA MOSIS.

1644. 17. Februarii.

THESIS I.

II. DE Uria Sacerdote respondent *Colloquutores Ratisbonenses Pontificii* fere eadem, quæ de Aarone. 1. *Illum non definiviße cultum idololatricum tenendum & ab omnibus observandum esse; sed potius in facto, quam in Doctrina errasse.* 2. *Quod si ipse Urias idololatra factus est, non tantum exterius, sed etiam mente; dicimus illum excidisse ab illa Potificiæ potestate, eo modo, quo nunc Catholici Doctores docent Pontifices nostros, si hæresim incidant, ipso facto desinere esse Pontifice.* Hactenus illi.

Ref-

Respondemus nos; Sedens in Cathedra Urias in Templo Dei, posuit scandalum populo Dei; ut, vel cultu sacrificiorum abstinendum, vel in operando sacris, peccandum esset. Non potuit ergo se efficacius præbere doctorem & ducem seductionis ad idololatriam: Locum ergo hic habent, quæ dicta fuerunt à nobis de Aarone.

II. Deinde hic meminisse oportet, quod audivimus supra *Disput. IIX. Thesi 14. Bellarminum* commendantem etiam *Altaria, inter monumenta illa externa, quæ ad longissimum tempus durant, quibus divina providentia etiam hodie utatur, ut causis adjuvantibus, ad conservandam & propagandam Traditionem verbi Dei sine scripto:* Ex illa hypothesi consequens est, Uriam remoto Altari Dei & alio substituto, veræ Traditionis veri cultus Dei conservandæ & propagandæ monumento externo sublato, substituisse monumentum conservandæ & propagandæ Traditioni adulterinæ cultus adulterini.

III. Quando autem ex hypothesi dicunt, Uriam excidisse à Pontificia potestate, eo modo, quo Pontifices, si in hæresin incidant, ipso facto desinunt esse Pontifices, nihil dicunt, nisi dicis causa. Quidquid enim sentiant aliqui Doctores; illi, qui hodie inter Pontificios prædominantur, cum Bellarmino faciunt, qui pronunciat *opinionem illorum, qui sentiunt Pontificem etiam ut Pontificem posse esse hæreticum & docere hæresin, si absque generali Concilio definiat, & de facto aliquando accidisse, etiamsi ab Ecclesia tollerentur, qui illa sententiam sequuntur, tamen videri omnino erroneam & hæresi proximam, Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 2.* Asserit itaque idem, *Probabilem saltem esse opinionem Alberti Pighii, Pontificem non posse ullo modo esse hæreticum, nec docere publice hæresin.*

IV. Quid quod ludunt Pontificii in phrasi ista, *ipso facto*, qua abutuntur sic, ut si quem ex hypothesi dixerint ipso facto desinere esse Pontificem, nihil ultra intelligant, quam *posse eum ab Ecclesia judicari & puniri*, quæ est periphrasis *Bellarm. de Rom. Pontif. lib. 2. c. 30.* Atqui si ipso facto plus est, quam ipso jure, pontifex desinet esse Pontifex quando ab Ecclesia judicari & puniri jure potest: ipso autem facto non desinit esse Pontifex, donec Ecclesia ipsum actu judicet & puniat. Procedit ergo argumentum nostrum de Uriæ defectione ad cultum idololatricum, quoniam non desiit ipso facto

esse Pontifex: sed impune populum seduxit, non judicatus nec punitus ab Ecclesia, neque coactus Cathedram alteri crede, cum jure sic puniri potuisset. 2. Reg. 16.

V. III. De Caipha argumentum, quod urgent Colloquutores Euangelici, sic olim proposuit *Canus lib. 4. c. 1. Pontifices & Pharisæi collegerunt Concilium, cujus sententia impia fuit, ut Iohannis XI. capite legitur: non ergo semper Synodi sacerdotalis judicium probandum est: sicut enim Principes Sacerdotum & omne Concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum Matt. 26. & omnes principes Sacerdotum & Seniores populi adversus Iesum concilium inierunt Matt. 27. ita & Episcopi ac Pontifices nostri contrariam Iesu Christo sententiam ferre possunt.*

VI. Quid ad hæc *Canus lib. 4. cap. ult. Sacerdotum veterum acta quidem*, inquit, *Christo adversa fuerunt: at sententia hominum, alioqui pessimorum, non solum verissima, sed Reip. etiam utilissima fuit: Quin divinum oraculum fuisse, Iohannes Euangelista testatur. Cum enim post longam variamque Concilii deliberationem Caiphas, qui ut summus Pontifex Concilio præsidebat, sententiam illam, cui omnes ferme consenserunt, dixisset? expedit nobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat; mox Euangelista subjecit. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit. &c.*

Respondemus Cano: Sententiam illam Propheticam verborum Caiphæ, (quæ ut Spiritus Sancti sententia postliminio demum post mortem & resurrectionem Christi per Johannem patefacta est Ecclesiæ Christianæ,) negamus ullo schemate dici posse sententiam Caïphæ & aliorum pessimorum hominum, eamque non solum verissimam, sed Reip. utilissimam. Caïphæ & omnium, qui ipsi consenserunt, sententia non fuit alia, quam illa quam ipse intellexit. ex se impia & consultori Caïphæ & Concilio totique illi populo, quem ille à Romanis servatum volebat, contrario eventu Θηλάτῳ excidio quod Templo & urbi supervenit perniciosissima.

VII. Quod autem Mors Christi utilissima fuerit reliquiis salvandis populi judaïci, & gentibus? id plane fuit per accidens, præter sententiam Caïphæ & pessimorum hominum, quæ in Concilio prævaluit, sic ut in omnes ferme consenserint, dissenserunt enim soli Nicodemus & Josephus. Agnovit hoc *Toletus in Iob. XI. Annot.*

not. 17. Attende Caiphæ sententiam in eo, quem ipse conceperat sensu, iniquam fuisse & falsam quidem, quia innocentem nec licet nec expedit occidere pro temporali Reipublicæ salute. rursus, quia expediens & utilis illis ista occisio non fuit juxta eorum sensum; nam temporalem populi conservationem intendebat, cui occisio Christi fuit potius contraria, cum propter eam vastati sint & eversi: Iniquam, quia contra justitiam est innocentem occidere, peccavitque gravissime Caiphas cum omnibus consentientibus, talemque sententiam probantibus. De qua prædictum est Psal. 40. Verbum iniquum constituerunt adversum me &c. Bene etiam *Iansenius in Concordiam cap. 203. Hinc discendum quomodo Deus mala in bonum convertat, impiisque hominum voluntatibus dictis & factis bene utatur: Scelestus enim hic Pontifex his verbis ad iniquam innocentis occisionem commovere voluit, ac significare, melius esse, ut unus ille moriatur, quam propter ipsum omnis populus perdatur à Romanis &c.*

VIII. Concludimus ergo, Arcanam quidem verborum inspirationem, quibus Caiphas usus est in dicenda sententia à Spiritu S. interceſſisse, sed non effecisse, ut diceret ille sententiam verissimam & utilissimam: sint talis fuisset dicta sententia, peccallet Josephus Arimathæensis non consentiens in sententiam Caiphæ, qui eo nomine laudem meruit viri boni & justi Luc. 23. 50. 51. Dicimus n. ex vero, Spiritum S. ne quidem istis verbis per os Caiphæ ex Cathedra illa voluisse docere aliquam veram & utilem sententiam: sed demum postliminio, (post patratum parricidium, ex impia conspiratione fere omnium in sententiam Caiphæ, & post Christum à mortuis suscitatum,) voluit Apostolos Caiphæ verbis uti ad docendum salutis nostræ mysterium; nempe ut ne Caiphas suæ perniciosissimæ sententiæ dictione pertrahens reliquos Senatus assessores in societatem sceleris, videatur prævaluisse supra Dei consilium, sed intelligatur hoc tantum fecisse, quod manus & consilium Dei prius definiverat faciendum; quin hoc tantum dixisse, quod, ut tunc serviebat exprimendis cogitationibus ipsius malis, sic postliminio serviret exprimendis Dei cogitationibus, quas ipse fræna laxans ipsorum impietati, fovebat in bonum, ad conservationem Ecclesiæ per mortem Filii sui.

IX. Confugiunt *Colloquutores Ratisbonenses Papistæ* ad alterius responsionis sacram anchoram: *Nihil facere ad rem quod Caiphas erra-*

rarit, cum habuerit superiorem Iudicem, nempe Christum summum Sacerdotum, cui nihil potuit derogari: affirmant itaque; Quod potestas summa Iudiciaria non fuerit tunc penes Sacerdotem Aaronicum, sed penes Christum, ille utique superiorem: atque adeo hoc exemplo Caiphæ nullo modo demonstrari posse, quod summus Sacerdos etiam Aaronicus, retenta summa judiciaria sua potestate in terris, in definitionibus fidei errarit. Respondemus, Ipsis Colloquutoribus fatentibus, *Potestas Cathedræ Mosaicæ non fuit penitus abrogata usque ad mortem Christi.* Fuit ergo Caïphas saltem ad mortem Christi, legitimus Judex summus ordinarius. Controversia est a. hic de Cathedra ordinarii Judicii Ecclesiastici, in qua certum est Christum nunquam sedisse, sedisse a. tunc Caïpham Anti-Christum, qui ex Cathedra illa Christum condemnavit; qua condemnatione Christi ex Cathedra Mosaïca impleta fuit prædictio Prophetica, qua prænunciatum fuerat Christum lapidem angularem Ecclesiæ reprobandum ab ædificantibus Psal. 118. 22. Appellant ut Judices illi, qui Christum in suo concilio condemnarunt ÆDIFICANTES ab illa, quam habuerunt judiciaria potestate, cujus judiciariæ potestatis abusus, & prævaricatio in ejus exercitio, illa appellatione illis exprobratur: quod non fieret, si antequam Christum condemnarunt illa potestate & Cathedra jam exciderant.

X. *Bellarminus* similiter ut Colloquutores isti hic confugit ad responsionem istam: *Pontifices & Concilia Iudæorum non potuisse errare, antequam Christus veniret, sed eo præsente potuisse: imo fuisse prædictum erraturos Iudæos & Christum negaturos Esai. 6. Dan. 9. & alibi. Bell. lib. 2. de Concilijs cap. 8. Idem de Eccles. milit. lib. 3. cap. 17. Sacerdotes & Pontifices non habuisse privilegium non errandi in docendo populo, nisi usque ad tempora Christi. Christo a.* inquit, *præsente, parum oberat illorum error: Imo hoc videtur prædictum per Hieremiam cap. 18. cum ait, Peribit lex à Sacerdote, verbum à Prophetæ, consilium à sapiente. &c.* Resp. Atqui quod affirmat Christo præsente & docente parum obfuisse illorum errorem, pugnat cum experientia, quæ testatur, totum populum à sacerdotibus seductum clamasse ad Pilatum, crucifige eum. Marc. 15.

XI. Hanc experientiam dilute nimis diluit Bellarminus, cum respondet, populum illum, qui clamavit, Crucifige, non fuisse omnes

nes Judæos, sed aliquos tantum & forte minorem partem. Constat n. capita illa quasi ter mille, qui die Pentecoste Baptizati sunt; qui numerus mox excrevit ad capita virorum, quasi quinquies mille Act. 2. & 4. compellatos fuisse & convictos de trucidato Christo & liberato Barnaba: ut non aliæ fuerint primitiæ Christianæ Ecclesiæ, quam illorum numerus ingens, qui clamaverant, crucifige: absque quibus numerus illorum, qui manserunt in professione fidei in Christum, collectorum ex dispersione ἐπὶ τὸ αὐτὸ, jam numerabatur quasi capitum centum viginti, Act. 1. 15. jam ut maximus fratrum supra quingentos. 1. Cor. 15. 6. Qui ipsi tantum non omnes, aliis illis clamantibus, crucifige, saltem scandalizati fuerunt, ita ut hac occasione Pontificiorum Doctores disputent, *in die passionis Domini, fidem mansisse in sola B. Virgine; ut ibidem Bellarminus tangit ex Iohanne de Turre cremata: qui hanc censet esse fidem universalis Ecclesia, scilicet propter vitam universalem, qua una tantum candela accensa conservatur in triduo ante Pascha in officio nocturno.*

XII. *Argumentum illud levissimum de Candela*, ridemus: Interim universalis illa dispersio illorum, qui manebant in Fide, sed scandalizati saltem; & aliorum gravissimus lapsus in abnegationem publicam Christi, ejusque occisionem; tam sunt atrocia effecta erroris & seductionis Sacerdotum & Pontificum, ut non citra impietatem dictum sit illud, Parum oberat illorum error. Ad reliquam autem Bellarmini exceptionem jam responsum est: non ante mortem Christi abrogatam fuisse Cathedram Mosis, illorumque qui in illa sedebant jurisdictionem Ecclesiasticam. Censemus autem isti Cathedræ & Sacerdotio summo Aaronico abrogari cœptam cœlitus dignitatem illam, qua sedebant, ut Sacerdotes Dei judicantes secundum legem Dei, postquam publico illo Ecclesiastico judicio Christus esset injuste judicatus mortis supplicio dignus: atque sic insigni piaculo errasset in doctrinæ fundamento, & prævaricatus esset totius populi seductione Sacerdos cum Concilio in Cathedra sedens: Juris quidem divini contra illam patefactio fuit in articulo mortis Christi per scissum miraculose Velum Templi: Illius a. juris divini solennis denunciatio & promulgatio facta est, quando prædicari cœpit Christi veri summi Sacerdo-

tis ingressus in cœleste sanctuarium & sessio ad dexteram Patris in die Pentecostes.

XIII. Hujus loci est disquisitio ad illud, quod in eodem *Colloquio Ratisbonensi Sess.* 3. tractatur; ubi postulandum sibi censuerunt Euangelici, quod Colloquutores Papistæ, *secundum quid concedunt. Paulum etiam in Concilio Hierosolymitano Act.* 23. *agnoscere adhuc durantem auctoritatem & potestatem Ananiæ summi Pontificis.* Nos salvo aliorum judicio, existimamus nihil esse in contextu, quod cogat illud postulare, aut concedere: Non verba illa, Tu sedes me judicaturus secundum Legem versu 3. Nihil enim hinc efficitur, præter auctoritatis & potestatis judiciariæ usurpationem: Non cogit quoque Apologiæ illa vers. 3. ἐκ ἤδειν ἀδελφοὶ ὅτι ἐστὶν ἀρχιερεύς scriptum est enim, Principi populi tui non maledices: Quid n. vetat ut verba illa ὅτι ἐστὶν ἀρχιερεύς, dicamus esse propositionem secundi adjecti, & sententiam esse aliqua ironia temperatam: qua tamen magno serio loquatur Apostolus absque ulla simulatione palinodiæ aut culpæ deprecationis prætextu ignorantiæ, quæ minimè decebat Paulum constitutum in martyrio causæ Christi veri Sacerdotis summi, propter promissionem Christi datam Apostolis Matt. 13. 11. quâ etiam voluit ne sollicite præmeditata loquerentur, quia non ipsi essent loquuturi, sed Spiritus S.

XIV. Absque injuria, jure meritissimo audiit à Paulo Ananias sedens in Cathedra, ex qua jam damnatus erat Christus, paries dealbatus; erant enim ex illo tempore, quo prædicabatur verus summus Sacerdos Christus, Sacerdotes Judaici sedentes in Cathedra, parietes dealbati, non ob solam cordis ipsorum, sed vel maxime ob sacerdotalis functionis hypocrisin & larvam veritate cassam. Et conveniens verbis Pauli sententia hæc est, Non noveram ullum superesse Pontificem maximum: si quis revera supersit, peccavi fateor contra id, quòd scriptum est Principi populi tui non maledices. Remoto autem schemate ireniæ dixisset Apostolus: Nihil peccavi in illam legem Dei, nullum enim agnosco jam ultra in terris constitutum, quem fas sit vocare τὸν ἀρχιερέα τοῦ θεοῦ, vers. 4. Optimus enim sui interpres Paulus capite 8. ad Hebræos docens, non jam in terris, sed in cœlis nos habere τὸν ἀρχιερέα τοῦ θεοῦ.

XV.

XV. IV. Tribus istis exemplis Aaronis, Uriæ, & Caïphæ, addimus nos experientiam ex historia Jephtæ Jud. 11. 14. Supponimus ex sententia *Ambrosii, Augustini & Hieronymi*, cum P. *Martyre* & *D. Pareo & D. Lud. Capello* Jephtam exsequutum esse votum suum, quod voverat de mactanda filia in holocaustum. Judicamus autem peccasse cæco zelo Voti solenniter concepti: non potuisse tamen exsequi nec exsequutum esse Votum illud, quin ipsius peccato communicaverit Sacerdotes, adeoque ipse summus Pontifex, quibus sisti debuit devotum caput, ex Lege Num. 18. 14. quos censemus errasse male exposita Lege de Anathemate ista Levit. 27. 28. 39. Omne Anathemate quod devotum fuerit ex humanis personis non redimetur, sed omnino morte afficietur: in cujus legis interpretatione errantibus sacerdotibus in judicio, cœco stupore, post ipsos etiam totus populus videtur isti peccato τῆς ἀνθρωποθυσίας communicasse.

DISPUTATIO XIV.

Quæ est

DE

Iudicio Controversiarum

IN COMMENTITIA

CATHEDRA PETRI.

1644. 29. Februarii.

THESIS I.

PRæcedens concertatio de *Cathedra Mosis* ejusque sessoribus usque ad fundationem Ecclesiæ N. T. fuit necessaria: quia hoc satagunt Papistæ, ut quam illi Veteri Cathedræ asseruerint Infallibilitatem in publico Controversiarum judicio; eandem à fortiori asserunt Cathedræ publicæ ejusque sessoribus in Ecclesia N. T. usque ad finem mundi, Vocant hanc *Cathedram Petri:*

Petri: qua appellatione ſuam in ſequenti concertatione hypotheſin præoccupant, *de Petri Apoſtoli primatu* & eminentia ſupra reliquos Apoſtolos; à qua hypotheſi quam feliciter procedit ipſis tota diſputatio *de Pontifice Romano Eccleſiæ Capite*, in præſens diſquirimus ab hypotheſi illa exorſi, cum examine hujus Problematis: *Quæ promiſſio facta ſit Apoſtolo Petro, Matthæi capite XVI.*

II. Extra controverſiam eſt, Cathedram judicii Eccleſiaſtici in N. T. primos inſediſſe Apoſtolos, qui omnes ſuperſtructi, in ædificio Eccleſiæ, fuere ſupra Chriſtum, qui ſolus ſimpliciter appellatur lapis angularis, πέτρα ἀκρογωνίαιος, & κεφάλη γωνίας caput anguli. Pſal. 111. & 1. Petr. 2. 7. & fundamentum domus. 1. Cor. 2. tanquam totam molem ædificii Eccleſiæ univerſaliter ſulciens. Tamen propter immediatam à Chriſto vocationem ad fundandam ſuper ipſum reliquam Eccleſiam: ipſi cenſentur duodecim lapides fundamentales: ut liquet, collatis inter ſe locis Epheſ. 2. 20. & Apoc. 21. 14. 19. atque hoc titulo merito habentur, ut Infallibiles Eccleſiæ Doctores & controverſiarum Judices, Eccleſiæ à Chriſto dati, ad ejus fundationem in veritate.

III. Controvertitur vero (ut maneamus in iſta allegoria) An duodecim illos lapides fundamentales Chriſtus ſupra ſe tanquam Petram ædificaverit: primos, ſitu & diſpoſitione pari & collaterali: An vero undecim reliquos ſuper unum Petrum ædificaverit, tanquam mediam Petram & lapidem angularem vicarium, inter illos & Chriſtum. Seu, extra allegoriam loquendo, An duodecim illi Apoſtoli fuerint pari auctoritate Apoſtolica & poteſtate, Doctores univerſæ Eccleſiæ & Judices controverſiarum infallibiliter, independenter ab invicem: An vero cum ſubjectione reliquorum undecim ſub uno Petro, qua ipſum agnoverint Caput & principem ſuum, vicarium Chriſti, adeoque totius Eccleſiæ unicum ſummum paſtorem univerſalem: Nos affirmamus prius, Pontificii poſterius.

IV. Theſin noſtram confirmat uniformis omnium vocatio extraordinaria immediata à Chriſto ad Apoſtolatum: Quod argumentum ipſis adverſariis extorquet hanc Confeſſionem: *fuiſſe omnes duodecim Apoſtolos, auctoritate & poteſtate Apoſtolica inter ſe pares.* Caje-

Cajetanus hoc fatetur *in tractatu de Auctoritate Papæ & Conciliorum capite* 3. *Bellarminus* quoque fatetur ſummam poteſtatem Eccleſiaſticam, non ſolum datam eſſe Petro, ſed etiam Apoſtolis: *De Rom. Pontif. lib.* 1. *cap.* 9. *&* 12. *Fatemur enim*, inquit, *Apoſtolos fuiſſe pares in Apoſtolica poteſtate, & habuiſſe in populos Chriſtianos eandem omnino auctoritatem. Capite* 11. explicatius hoc tradit: *Tribus modis Apoſtolos omnes fuiſſe Eccleſiæ fundamenta: Vno modo, quia ipſi primi Eccleſias ubique fundarunt: nec enim Petrus convertit ad fidem totum orbem terrarum: &c. Atque hoc modo ex æquo ſunt Apoſtoli fundamenta: id quod ſignificatum credimus Apoc.* 21. *Altero modo*, inquit, *dicuntur fundamenta Eccleſiæ Apoſtoli & Prophetæ, ratione doctrinæ à Deo revelatæ &c. Nec in his duobus major eſt Petrus cæteris, ſed ut Hieronymus ait, in omnes æque Eccleſiæ fortitudo ſolidatur. Tertio modo*, inquit, *dicuntur fundamenta omnes Apoſtoli ratione gubernationis: Omnes enim fuerunt Capita, Rectores & Paſtores Eccleſiæ univerſæ.*

V. Quid ergo reliquum eſt, in quo fundetur ille *Primatus Petri*? quo ipſe magis ſit *Petra*, ſeu *fundamentum*, & *Vnicus Paſtor*, & *caput Eccleſiæ univerſæ*, quam reliqui Apoſtoli? Si Bellarm. audimus, *Illi habuerunt ſummam atque ampliſſimam poteſtatem, ut Apoſtoli ſeu Legati: Petrus autem ut paſtor ordinarius: Deinde ita habuerunt plenitudinem poteſtatis, ut tamen Petrus eſſet caput eorum; & ab illo penderent; non è contrario.* At non convenit hic in ſolidum *Bellarmino* cum *Cajetano*, à quo tamen partem aſſertionis ſuæ mutuatus eſt.

VI. *Cajetanus enim in Tractatu de Auctoritate Papæ & Conciliorum capite* 3. *quinque* ponit *differentias* inter poteſtatem Petri & aliorum Apoſtolorum: quas, ſcilicet, *ſi ſubtiliter contemplati fuerimus*, cenſet fore, ut videamus *poſſe verificari hæc duo ſimul: Quod*, *inquit*, *omnes fuerunt pares in auctoritate gubernandi Eccleſiam; atque à Ieſu Chriſto eam immediate habuerunt, & quod Petrus ſolus fuit inſtitutus Paſtor univerſalis Eccleſiæ, & major auctoritate ſuper alios Apoſtolos: ita quod ab ipſo capite in totum Eccleſiæ corpus poteſtas derivata eſt.* Quinque illarum differentiarum, *quinta & ultima* à Cajetano collocatur *in ipſa eſſentia poteſtatis, quoniam communis auctoritas Apoſtolis data ex vi Apoſtolatus fuit velut potentia executiva: Auctoritas vero ſoli Petro data eſt præceptiva. Dedit enim*, inquit, *Salvator omnibus Apoſtolis, ut communiter exſequi poſſent in eis, ad quos mitterentur omnia, quæ poterat ex-*

sequi Petrus, puta instituere Ecclesias & Episcopos, docere, excommunicare: &c. Petro autem absolute dedit potestatem omnium.

VII. Asserit Cajetanus uni Petro illam plenitudinem potestatis, quam Bellarminus videtur largiri, etiam reliquis undecim. At non convenit cum plenitudine potestatis limitatio ipsa Bellarm. *quod sic habuerint illam, ut tamen Petrus esset caput eorum & ab illo ipsi penderent, non è contrario: sunt n.* ἀνάπαλιν habere eandem plenitudinem potestatis, quam Petrus, & habere potestatem dependentem à Petro. Item, Esse cum Petro Capita & pastores Ecclesiæ universæ; & subesse Petro, tit Capiti & unico pastori Ecclesiæ universæ.

VIII. Stante autem illa Bellarmini confessione, Quod Apostoli ex æquo fuerunt fundamenta Ecclesiæ. 1. ratione fundationis Ecclesiæ. 2. ratione doctrinæ à Deo revelatæ. 3. ut Capita, Rectores & Pastores Ecclesiæ universæ: Velit nolit ipse omnis quæstio finaliter resolvitur in *privilegium successionis*, quod scilicet habuerit unus Petrus præ reliquis Apostolis: ut uni Petro mortuo, non item reliquis mortuis, fuerit destinatus successor, qui foret Caput, Rector & Pastor Ecclesiæ universæ.

IX. Ex ista hypothesi hoc exsurgit Paradoxon: Quod nullus fuit usus neque actus exercitus privilegii illius Petri, quo potestas ab ipso, ut uno visibili capite in totum Ecclesiæ corpus derivatur, hoc enim ut fieret Apostolis omnibus, & tandem ipsi Petro, ex vivis excedendum erat. In Apostolos quidem alios non dabatur usus illius privilegii, propter *præventionem* illam, quam Cajetanus agnoscit, ubi laborat in constituenda *prima differentiam potestatis Petri & aliorum Apost.* quia dicit sitam esse, *In modo dandi & accipiendi. Quod Petro data est ordinarie, aliis autem ex speciali gratia;* Audiamus explicationem; Specialis illa gratia *Cajetano* est *Via Præventionis gratuitæ, qua alii Apostoli acceperunt à Christo immediate potestatem illam: quam per viam ordinariam à Petro erant accepturi.* Hinc explicanda est phrasis illa, Petro data est ordinarie, hac periphrasi, Data est Petro potestas cum hoc privilegio, ut Apostoli illam ab ipso fuerint accepturi; nisi præventi fuissent gratia speciali immediatæ vocationis. Quid jam hoc aliud est, quam, privilegio Petri, quo ab ipso vivente accipi potuisset potestas Apostolica, positus fuit obex, Privilegio vocationis immediatæ aliorum Apostolorum juxta Petrum.

X.

X. Si ergo, quod flagitat *Cajetanus*, subtiliter contemplati fuerimus, crasse errat *Cajetanus*, differentiam constituens in *Modo accipiendi*, ubi ipse statuit *præventionem* istam, qua perimiturdifformitas omnis in Modo accipiendi. Et indocte asserit, non sine palpabili contradictione, Petro potestatem *datam esse ordinarie*, quia scilicet potestatem, quam ipse extra ordinem acceperat, ipse *aliis daturus erat per viam ordinariam.*

XI. Enimvero ad *quintam Cajetani differentiam de Potentia Præceptivâ Petro, Exequutiva autem aliis Apostolis, data*, quam *Bellarminus* innuit, faciens *discrimen inter Petrum & reliquos Apostolos, tanquam inter Pastorem ordinarium & Apostolos, seu Legatos*: Observamus utrumque *Cajetanum* & *Bellarminum*, & hunc tantum non αὐτολέξει Petrum facere ita eximium, ut eximendus sit numero Apostolorum, titulo *Pastoris ordinarii*: quamvis indocte, ut jam monuimus, titulo illo intelligant, privilegium ordinariæ successionis in ipsius Pastorali Cathedra: Hanc autem successionem *Cajetanus* facit *quartam differentiam potestatis*: atque sic explicat; *quod aliis Apostolis data sit in personis propriis, & non pro eorum successoribus: Petrus autem tanquam ordinarius pastor illam habuerit, sibi datam in persona propria, non solum pro se ipso, sed omnibus successoribus suis.* Hoc illud, est quod dicebamus modo: Omnem quæstionem finaliter resolvi in Privilegium successionis: quod demonstrabunt Papistæ ad Calendas Græcas.

XII. De isthoc autem Non-ente, placet, ut judicium fiat ex *Veteri Testamento*; ad quod, ut *figuram Novi* hic provocat *Bellarminus, de Rom Pontif. lib. 4. cap. 3.* in argumento *de Vrim & Tummim.* Figura Veteris Testamenti, quam hic attendi oporteret, est in Mose & Aarone, quorum ille habuit, ex hypothesi, summum Sacerdotium, extraordinarie hic autem ordinarie cum privilegio successionis. Atqui *Collequutores Ratisbonenses Papistæ* non male censent, *magis penes Mosem fuisse infallibilitatem summi judicii, quam penes Aaronem: ac Mosem habuisse sub se Aaronem inferiorem potestate.* Quandoquidem ergo, ex hypothesi, Aaron non Moses gessit figuram & typum Petri in privilegio ordinariæ successionis: Moses autem figuravit reliquos Apostolos, qui successores post se non erant:

relicturi: Consequens erit, si ex figura procedat argumentum, summæ potestatis judiciariæ infallibilis privilegium supra Petrum habuisse reliquos Apostolos, ut illlam habuit Moses supra Aaronem.

XIII. Quantumvis hoc pacto perplexam & intricatam thesin istam, communiter tamen omnes confirmare satagunt, principaliter *Promissione* illa Christi, quæ exstat *Matthæi capite* 16. qua volunt promissum Petro primatum supra Collegas, postquam promissionem, deinde urgent ejusdem *Primatus institutionem, ex alterø testimonio, Iohannis capite* 21. Denique adjiciunt, *Varias Petri prærogativas, quæ totidem sint illius primatus Petri indicia & argumenta.* In his totus est *Bellarminus lib.* 1. *de Summo Pontifice, inde à capite* 10. *ad finem.* Nos variis istis prærogativis nervos incidemus, per vindicationem testimonii utriusque jam indicati: destructa utraque, & Promissione primatus, & Institutione ejusdem prætensa.

XIV. Promissionem Primatus hoc pacto urget Bellarminus *Matt.* 16. 18. *sic legitur, Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis. Quorum verborum sensus est, ut intelligamus sub duabus metaphoris promissum Petro totius Ecclesiæ primatum. Prior metaphora est fundamenti & ædificii, posterior est clavium. Ad priorem metaphoram* duo asserit Bellarminus. 1. *Petrum esse illam Petram, super quam fundatur Ecclesia.* 2. *Esse fundamentum, significare esse gubernatorem totius Ecclesiæ.* Nos de posteriori quidem assertione non censemus litigandum, ad hunc locum Matthæi: Agnoscimus enim lubentes, Petram illam super quam promittit Christus se ædificaturum Ecclesiam, constitui à Christo ejusmodi excellens fundamentum Ecclesiæ, ut significetur esse gubernator totius Ecclesiæ, omnibus Apostolis eminentior & superior. Quare actum agit *Bellarminus* in Thesi explicans: *Quid si super Petram ædificari Ecclesiam, capite.* 11. Omnis autem controversiæ cardo versatur in priori assertione, quam, ut *Bellarminus* ait, *esse communem Catholicorum sententiam*; ita nos censemus esse contrariam Catholicæ fidei & Anti. Christianam.

XV. Operæ pretium erit examinare argumenta, quibus Bellarm. pugnat pro assertione priori, *Petrum esse illam Petram, super quam*

quam fundatur Ecclesia. Quando *capite 17. Bellarminus* tractat *primam S. Petri prærogativam, sitam in mutatione nominis*, sic loquitur; *Syriace Cephas significat Petram: Græce autem significat caput. ut l. 2. contra Parmenonem annotaxit Optatus.* Poncinit *Baronius ad annum Christi 31. No. 27. Porro sunt*, inquit, *ex nostris Scriptoribus complures, & primus omnium Optatus Milevitanus, qui nomen Cephas non à Syra lingua, sed à Græca, ἀπὸ τῆς κεφαλῆς caput interpretantur, nec quidem reprehendendi*: & mox; *Divina quadam dispensatione factum videtur, ut una eademque voce duabus linguis Petri principatus exprimeretur.* Ante *Bellarminum* & *Baronium* ex Optato illud mutuatus erat *Vigilius Papa Romanus in Epistola, quæ extat apud Baronium ad annum Christi 537. Quoniam*, inquit, *licet omnium Apostolorum par esset electio, tamen Petro concessum est, ut cæteris præemineret, unde & Cephas vocatur, quia Caput est & principium omnium Apostolorum. A Vigilio hoc mutuatus est Pseudo-Anacletus in Decreto Gratiani Dist. 22. Canone Sacrosancta: Et licet*, inquit, *omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino concessum est, (& ipsi inter se voluerunt id ipsum) ut reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, id est, Caput & principium tenere Apostolatus.*

XVI. Pudenda est aut imperitia aut mala fides, qua videmus Papas duos, & totidem Cardinales, adoptare imperitam hallucinationem Optati, qui Afer erat Hebraici & Syriaci sermonis prorsus ignarus; & Græcæ quoque linguæ omnino rudis, ut res ipsa loquitur, quando à Κεφαλῆ deducitur Κεφᾶς: Quam hallucinationem adoptare certe indignum est Bellarmino scriptore Hebraeæ Grammatices, præfracte autem tueri velle esset B. Johanni objicere imperitiam, vel mendacium, cujus expressa verba sunt ὃ ἑρμηνεύεται πέτρος. Doctius Papis istis & Cardinalibus Concionator Moguntinus *Ioh. Ferus in Ioh. 1. 43. (Tu vocaberis Cephas hoc Petras) Ridiculum est, quod quidam hic volunt Cephas idem esse, quod Caput; cum Iohannes ipse dicat Cephas Syriace idem significare, quod Græcis πέτρος. Decepti autem fuerunt similitudine dictionum, quod idem putaverunt esse Cephas & Κεφαλή, cum hoc Græcum sit, illud Syriacum, teste Hieronymo: Cephas igitur nihil aliud hoc loco significat, quam saxum aut Petram.*

XVII. Magis serio, quamvis non magis solide argumentatur

Bellarminus lib. 1. de summo Pontifice cap. 10. ubi ex ipso contextu urget Græcam significationem vocis πέτρος, & Syriacam vocis כאפא, & pronomen sequens HANC. 1. *Cephas*, inquit, *Petram significat, ut Hieronymus docet in cap. 2. ad Galat. & res certissima est: nam ubicunque in textu Hebræo est* סלע, *id est, petra, in Syriaco est Cepha: quin etiam* כפא *Hebraice, saxum seu rupem significat: ubi enim Ier. 4. legimus, Ascenderunt rupes, in Hebræo est* עלו כפים. *Apud Græcos tam* πέτρος *quam* πέτρα *significat lapidem.* II. *Illud pronomen* Hanc, *cum dicitur; & super hanc Petrum, demonstrat aliquam Petram, de qua paulo ante Dominus sit loquutus: proxime autem Dominus Petrum vocaverat Petram. Dixit ergo Dominus tu es Cepha & super hoc Cepha: vel Latine, tu es Petra, & super hanc Petram: &c. Ex quo sequitur illud* Hanc *non posse referri, nisi ad Petrum, qui eo loco vocatus est Petra.*

XVIII. Vis argumenti in eo sita est, quod Syra vox eandem est, sine generis mutatione, quæ πέτρον & πέτραν significet: & apud Græcos tam πέτρος quam πέτρα significat lapidem. At contra, Quærit hic ipse *Bellarminus*, *Cur ergo Latinus interpres non vertit: Tu es Petrus, & super hunc Petrum?* Respondet autem; *Quod Græcum codicem sit sequutus, non enim vertit ex Syriaco, sed ex Græco.* Iterum quærit: *Cur Græcus non vertit* σὺ εἶ πέτρα, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ? Respondet, *Visum est interpreti commodius hominis nomen masculinum, quam femininum tribuere: Deinde vero ad explicandam metaphoram secundo loco non voluit dicere* ἐπὶ τῷ πέτρᾳ, *quod fuisset ambiguum: sed* ἐπὶ τῇ πέτρᾳ, *quod nihil aliud, quam saxum significat.*

XIX. Respondemus nos; Quicquid sit de Græco interprete verborum Christi, sive is sit Matthæus ipse, sive alius Matthæi interpres; saltem fatente *Bellarmino, de Verbo Dei, lib. 3. cap. 7. Græca editio Testamenti Novi universa Apostolos & Evangelistas auctores habet.* Est ergo à Spiritu S. varietas illa πέτρος καὶ πέτρας, qui non voluit scribi verba Christi absque varietate illa, qua distinguitur nomen & denominatum, Petrus & Petra, à qua Petrus τῷ ἐπωνυμίαν habet.

XX. Præpostera est hic & in Deum Scripturæ auctorem injuria querela, in quam erumpit *Petrus de Bollo Parisiensis Theologus, in Authentica probatione sacrosancti sacrificii Missæ*: citante Chamiero, *de*

Oecu-

Oecumenico Pontifice lib. 11. cap. 2. *Scimus quod interpres Matthæi Syri Græcus & Latinus non est hoc loco optime de hac nostra fidei parte promeritus. Si enim dixisset, σὺ εἶ πέτρος καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ:* (caret mendo hæc lectio, de quo subdubitavit Chamierus inter exscribendum, quod mox planum fiet) *Et tu es Petra, & super hanc Petram: res fuisset multo clarior: nunc autem cum priori loco πέτρον Petram posuerit: videntur propter mutatam vocem res etiam permutatæ: cum Christus, qui Syriace procul dubio loquebatur, dixerit* אנת הו כאפא ועל חדא כאפא, *id est, tu es Petra (πέτρος Attice) & supra hanc Petram: Quod si nostro placuisset interpreti, multum detraxisset obscuritatis.* Resp. Omnis φόρασις assertionis Papisticæ revera est in obscuritate, quam hic sublatam in Græco contextu & in Latina versione dolent, ac mallent servatam, affectato Atticismo, quo πέτρος terminatione masculina admittit articulum fœmininum: qui articulus fœmininus, si exstaret in Græco, putant in Latino utrobique mutandum fuisse Petrus in Petra. Nos ergo jure merito respondemus; jam multum obscuritatis detractum esse, per generis fœminini & masculini distinctam terminationem, quam non admittit lingua Syriaca. Quanquam nec in Syriaca lingua suo remedio caret obscuritas illa, quam per se pareret vox μονόπωρος: quia in Siriaco sermone, propter articulum, quem hic dictat ipse ille Parisiensis Theologus, est masculinum Cepha in priori tmemate, fœmininum autem in posteriori tmemate.

XXI. Ad solidam jam responsionem præmittimus istas observationes, Critica ex *Iac. Capello*, qui *de Sedis Romanæ potestate lib. 1. l. 1.* notat *Ternis vocibus Hebræis* צור סלע אבן: *respondere totidem voces Græcas λίθος, πέτρος, πετρα, quæ Latine significant Lapidem, Saxum, Rupem, Vocem autem Syrorum* כאפא. *aliquando quidem πέτραν significare ut Matt. 16. 18. & 27. 51. 60. Rom. 9. 33. & 1. Cor. 10. 4. Alioqui semper occurrere quoties Græcus contextus habet λίθος; λίθος autem etiamsi posset nonnunquam occurrere pro Rupe, tamen significare proprie & minutiorem lapidem, vel in genere lapidem. Πέτρα autem aliquando quidem saxum significat, quin apud LXX. usurpatur pro lapide Iob 22. 24. & Exo. 4. 24. & apud Theocritum Idullio 12. λυδίη ἴσην ἔχειν πέτρη κόμα. Proprie tamen πέτρα Rupem signi-*

significat apud LXX. nonagies circiter: in N. T. quater & decies: apud Homerum passim: apud Diodorum decies: apud Arrianum duodecies &c. πέτρος *fœminino quidem genere sumitur pro Rupe: Epigrammatum Græcorum lib. 3. ff. 22. Epigr. 30. & 53.* (Edit. Ascensianæ fol. 152. & 164.) *& lib. 1. ff. 71. Epig. 4* (ejusdem edit. fol. 64.) *At* πέτρος *masculino genere in certum est, an usquam occurrat pro Rupe: proprie autem sumitur pro Saxo: apud Homerum, Xenophontem, Theocritum, Auctorem batrachomyomachias, Agathiam, Sophoclem: & apud LXX. 2. Maccab. 17. & cap. 4. 41.* Hæc *Capellus*; ex quibus unicum saltem illud evidentem habet demonstrationem generis fœminini ἡ δὲ πέτρος ἐγὼ. &c. *lib. 3. ff. 22. Epigr. 51. fol. 164.*

XXII. Ad rem ipsam dicimus, flagitare promissionem de stabilitate ædificii Ecclesiæ super petram ædificandæ, ut vox πέτρα Petra Rupem significet; quæ significatio voci πέτρος videtur insolens, & in genere masculino inconveniens: Quod genus masculinum priori loco subaudiendum foret, etiamsi posteriori loco scriptum esse, ut vult ille Parisiensis Theologus, ᾧ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ: ut evidens est in Syriaco, ex mutato articulo. Quidquid autem sit, sive quacunque voce, πέτρος aut πέτρα, fingamus utendum fuisse ad significandum Rupem, quæ totam molem ædificii Ecclesiæ sustineat: Rupes illa statui nemo potest absque impietate, præter unum Christum: quod pro nobis loquitur *Ferus in Matth. 16. 18. Cum Christus dicit super Petram ædificabo Ecclesiam meam, nihil aliud vult, quam se Ecclesiam ædificaturum super firmum immobileque fundamentum, contra quod nihil possint omnes adversariorum insultus, ex hoc claret, quod Christus Ecclesiam suam non super Petrum tanquam primarium fundamentum (nam superædificati sumus super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo lapide angulari Iesu Christo) aut quemcunque alium hominem ædificavit. Nullus enim homo tam firmus & constans, qui non possit moveri, id quod etiam in Petro manifeste videmus. Alia igitur Petra inquirenda est.*

XXIII. *Bellarminus* strenue negat, *Aliam Petram intelligi posse, quam Petrum ipsum propter pronomen* Hanc. Respondemus, pronomen illud Hanc non esse necessario relativum ejus, quod proxime præcedit, est enim demonstrativum: Et potuit Christus illud usur-

ſurpaſſe cum inſigni orationis venuſtare, ſe ipſum inter loquendum demonſtrans; eo modo, quo corpus ſuum demonſtravit loquens ad Judæos Joh. 2. 19. Solvite Templum hoc: Exempla ſunt etiam apud profanos auctores indicata, à *Caſaubono Exerc.* 15. *ſſ.* 22. *pag.* 385. *edit. Londin.* Addit *Iac. Capellus Ioh.* 19. 26. Ubi poſt pellem meam iſtud (Os, vel corpus) contritum fuerit. Et 1. Cor. 15. 53. Oportet hoc (corpus) corruptibile induere immortalitatem: &c.

XXIV. Enimvero etiam pronomen HANC relative ſumatur, nihil tamen vetat referre ad Chriſtum: idque dupliciter: vel referendo ad vocem incluſam in illa voce Petrus: q. d. Tu es Petrus, ita dictus à me Petra, ſuper qua &c. Quæ ratio interpretandi exemplis minime caret Iliad. ω. σαώσει ἄρ᾽ ἠδ᾽ αὐτούς, Servavit civitatem, & ipſos; nempe cives. Atheneus lib. 14. πανήγυρις γίνεται πολυήμερος, ἧς ἐν μιᾷ nempe ἡμέρᾳ, vel ad Chriſtum ſpectat pronomen HANC, referendo ad verſum 16. in quo Petrus confitetur Jeſum eſſe Chriſtum illum Filium Dei viventis, q. d. Super Chriſtum illum Filium Dei viventis, tanquam Petram ædificabo Eccleſiam meam. Neque id durum videri debet, quod paulo remotius ſit hoc antecedens: quia non caret exemplis: Hebr. 9. 4. pronomen ἐνῇ in qua referendum eſt, non ſicut mox, verſu 5. ad κιβωτὸς Arca, ſed ad remotius σκηνή, quid ex verſu 3. arceſſendum, quod colligitur ex 1. Reg. 8. 9. & 2. Chron. 4. 10. Item. 2. Theſſ. 2. 9. proximum antecedens eſt Chriſtus; attamen impius fuerit, qui pronomen relativum Cujus non retulerit ad remotius ὁ ἄνομος. Addimus nos Heb. 11. 7. relativum δι᾽ ἧς per quam: quod ſcimus quidem interpretes referre ad proximum κιβωτὸς Arca, cenſemus tamen æque convenienter, & forte convenientius, referri poſſe ad remotius πίστις Fidem: quia ſequitur, quod cum eodem relativo connectendum eſt, quia per Arcam factum dici non poteſt; Et ejus, quæ ex fide eſt juſtitiæ factus, eſt hæres: & parallelum videtur illud Per quam (Fidem) etiam mundum condemnavit, cum ſententia verſuum 33. 34. 35. Qui per fidem debellarunt regna &c.

XXV. Sed urget *Bellarminus* ἐπωνυμίαν iſtam, qua Apoſto-

lus à Petra Petrus est cognominatus: *Si referretur ad Christum (pronomen* HANC) *quorsum, inquit, dictum fuisset, Ego dico tibi, quia tu es Petrus: plane frustra, nisi id quod sequitur ad Petrum referatur.* Respondeat iterum pro nobis *Petrus in Iohan.* 1. *Petrus cognominatus fuit, primo, propter soliditatem fidei; secundo, quia Christo, qui vera illa Petra & fundamentum Ecclesiæ est, constantissime & immediate adhæsit: Ideo Christus ait, Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: Nec mirum, quod Simon ille ob eam causam Petrus dicitur, cum ob eandem causam pii omnes, dicantur lapides vivi* 1. *Pet.* 2. plura vide ibidem, in eandem sententiam. Breviter; Elogium quod nomine continetur, commune est omnibus fidelibus: atque in re symbolo nominis expressa, nulla est Petri præ reliquis Christianis, in communi salute, nedum supra alios Apostolos in auctoritate aut potestate prærogativa: ut liquet. 1. Pet. 2. v. 4. 5. & 1. Pet. 5. 1. Sed hoc unum est, quo singulariter gaudere potuit Petrus: Quod nomine isto Petri magis, quam nominibus aliorum Apostolorum expressa fuit tanquam symbolo typico communis Christianorum Christo adhærentium salus.

DISPUTATIO XV.

Quæ est

DE

Iudicio Controversiarum

IN COMMENTITIA

CATHEDRA PETRI.

1644. 28. Martii.

THESIS I.

DE Altera jam metaphora Clavium ad locum Matth. 16. 19. dicendum restat: Est autem quæstio bimembris. 1. *Quid sub metaphora Clavium promittatur.* 2. *Cui illud aut quibus promittatur.* De priori membro jam ante refutavimus Bellarminum,

hum, qui sub Clavium metaphora vult promissam judicii in Ecclesia ultimi potestatem, eamque infallibilem, absque qua scilicet actum sit de Ecclesiæ salute.

II. Reliquum est alterum quæsitum: quod tractat *Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 1. cap. 12.* Statum autem quæstionis proponit in titulo capitis, non optima fide, his verbis: *Quis sit ille, cui dicitur, Tibi dabo claves Matth. 16.* Nemo enim nostrum negat Christum Petro loquutum: Sed mox apertius ipse Thesin nostram, quam agnoscimus & censemus veram esse, exponit, illam oppugnaturus; *Nihil verbis illis. Tibi dabo claves, peculiare Petro Filio Ionæ promissum esse, sed quidquid hic dicitur ad totam Ecclesiam pertinere, cujus Ecclesiæ Petrus eo tempore personam gerebat.*

III. Utitur autem Bellarminus ἀπαγωγῇ, quando vult, ut pro tuenda Thesi nostra hic ingrediamur disputationem illam: *An Claves datæ sint primo ipsi Ecclesiæ, & per Ecclesiam Pastoribus communicentur: & an ab eam causam Ecclesia habeat jus vocationis?* Sufficit, si dicamus Petrum respectu promissionis istius, Dabo tibi Claves, personam gessisse Ecclesiæ repræsentativæ, cui dantur claves etiam in reliquæ Ecclesiæ repræsentatæ utilitatem.

IV. Sed neque necesse habemus thesin nostram explicare illis terminis, quibus illam explicatam vult Bellarminus: quasi *Petrus personam gesserit Ecclesiæ parabolice; ad eum modum, quo solent interdum Legati Principum, urbium claves accipere, cum interim sibi nihil proprie acquirant, sed tantum Principis sui personam repræsentent.* Lubenter agnoscimus Petrum gessisse personam Ecclesiæ repræsentativæ, id est, omnium Rectorum & Pastorum Ecclesiæ, Historice, ut unum ex Rectoribus & Pastoribus, qui ipse quoque vere in persona sua à Christo accepit, quod communiter omnibus datum fuit: quemadmodum in persona sua edidit suo quoque nomine confessionem communis fidei. Neque revera opus est alia refutatione Primatus Petri, (quatenus quidem illam Papistæ satagunt fundare in Promissione ista;) quam, quod Petrus non alia ratione audivit, Tibi dabo Claves; quam qua dixit, Tu es Christus Filius Dei vivi: Dixit autem suo & Collegarum nomine: Audivit ergo pariter suo & Collegarum nomine.

V. Hic respondet *Bellarminus, Petrum respondisse nomine omnium,*

non ut Præconem aliquem, sed ut Principem & caput, atque os Apostolorum: Ipse enim, inquit, *solus respondet, cum ignorarent cæteri, quid potissimum responderent: Sed Petri confessionem silentio suo approbarunt, & eo modo per os Petri omnes responderunt. Quemadmodum igitur Petrus, solus respondit, & ei cæteri assenserunt; ita Christus soli Petro claves promisit, sed tamen post eum etiam cæteris communicandas.* R. Futilis est σκιομαχία, quod Bellarminus fingit nos dicere. Petrum respondisse nomine omnium, *ut Præconem aliquem*: Bene habet quod ipse affirmat Petrum *tanquam Os Apostolorum* respondisse nomine omnium. Sed rursum nimis futile est, quod fingit Petrum solum respondisse, *cum ignorarent cæteri, quid potissimum responderent*: necesse est inconsideratam & temerariam esse Oris responsionem, ubi illi, quorum est Os, ignorant, quid respondeant.

VI. Sed nec meminit *Bellarminus*, quod ante dixit *capite* 10. his verbis: *Iam enim multi crediderant cum esse Filium Dei vivi: ut prisci Propheta, B. Virgo, Simeon, Zacharias, Ioh. Baptista, Apostoli & Discipuli cæteri*: Qua verissima assertione ipse jugulat quicquid hic contra disputat, cum porro sic disserit, *Si nomine omnium*, inquit, *Petrus respondisset, vel id feciſſet, quid cæteri hanc illi provinciam demandassent? vel quod sciret, quid illi responsuri essent: Neutrum autem est verum: Non primum, quia ex revelatione Patris hoc didicit, non ex consultatione humana; &c. non secundum, quia soli ipsi facta est revelatio.* Modo ait, modo negat Bellarm. Petrum respondisse nomine omnium, tanquam Os ipsorum: Rursus modo ait, modo negat, solum Petrum sciviſſe Christum esse Filium Dei vivi. Quandoquidem cogitur ipse fateri, Apostolos jam ante credidisse Jesum esse Filium Dei vivi, corruit quod hic affirmat, soli Petro factam esse revelationem. Nam teste Christo, quotquot vere crediderunt, hoc didicerunt ex patris revelatione, Joh. 6. 44. 45. 65. Quod denique contendit Petrum nesciviſſe, quid reliqui Apostoli responsuri essent; atque exspectandum ipsi fuisse, ut hanc illi provinciam demandarent: id refellitur ex eo, quod jam ante idem eandem confessionem edidisset cæterorum nomine Joh. 6. 69. Et nos credidimus & cognovimus te esse Christum Filium Dei viventis.

VII. Atque hinc quoque respondemus ad frivolam Bellarmini exceptionem istam, *Si scisset mentem aliorum, aliquo modo hoc indicas-*

dicaſet, quomodo fecit Ioh. 6. 69. Non fuiſſe opus in veteri confeſſione iterum uti illo indicio expreſſo conſenſus: maxime cum hic non inquireretur, in numerum illorum, qui permanerent in profeſſione fidei, ſed tantum in ipſam fidei veritatem: unde factum, ut non magis dixerit, Ego credo, quam nos credimus; ſed ſimpliciter, Tu es Chriſtus, ubi potuiſſet dixiſſe ut Martha. Joh. 11. 27. Ego credo te eſſe Chriſtum illum. Enimvero quamvis eo pacto locutus eſſet in ſingulari: non tamen indicaſſet, ſe ſolum vel magis cæteris Apoſtolis hoc credere: quam Martha indicabat ſe ſolam credere, vel magis ſorore Maria.

VIII. Æque frivola eſt altera iſta exceptio, qua perſuaſum vult, *Petrum hic conſulto abſtinuiſſe plurali numero: ideo confeſſionem ejus Chriſtum hic ſimpliciter approbaſſe, quia non fecit mentionem aliorum: quoniam Chriſtus ante minus probavit, quod Petrus pro omnibus diceret Ioh. 6. Et nos credidimus: ac monuit id non eſſe verum de omnibus: nam Iudas non credebat.* Et enim Chriſtus verbis illis: Vos duodecim elegi, & unus ex vobis eſt Diabolus: monuit quidem unius ex duodecim Fidem eſſe ψεύδοκαιρον: attamen ne ipſius quidem nomine editam confeſſionem minus probavit, ſaltem undecim cæterorum nomine gratam & acceptam eſſe teſtatus eſt, prædictione apoſtaſiæ unius inter ipſos, illos ſtimulans ad perſeverantiam.

IX. Ad rem: Quod Bellarminus aſſerit *Petrum reſpondiſſe hic, ut Principem & Caput Apoſtolorum*. ex ipſo quoque Bellarmino refellimus, verbis illis, quæ exſtant hoc ipſo *capite* 12. quibus exiſtimavit ſe Theſin noſtram refellere & ſuam confirmare. *Deinde*, inquit, *non erat eo tempore Petrus Eccleſiæ legatus aut vicarius: Quis enim ejuſmodi provinciam illi impoſuerat? non igitur ſuſpicari poſſumus nomine illum Eccleſiæ, & non potius ſuo claves accepiſſe.* Breviter vult Petrum fuiſſe perſonam, qui Eccleſiam tunc repræſentare non potuit: Quin aliquo tempore poſt *apud Matthæum capite.* 18. de Apoſtolis omnibus idem pronunciat Bellarminus, hoc eodem *capite* 12. *Quo tempore hæc Dominus loquebatur, privati homines erant, nec ullam habebant Eccleſiaſticam poteſtatem.* De Petro autem nominatim ſtatuit, *Occaſionem fuiſſe ſeu cauſam meritoriam illam præclaram Petri confeſſionem, cur ipſi potius quam aliis claves promitterentur.* Si hæc vera ſunt Petrum cum reliquis Apoſtolis, tempore illo, quo Chriſtus

dixit, Dabo tibi claves, & multo post, fuisse personas privatas; non potuit Petrus loqui in confessioni illa antecedente illam Christi promissionem, ut Princeps & Caput Apostolorum. Rursus, si verum est; Confessionem illam fuisse occasionem seu causam meritoriam, cur ipse Christus sub clavium metaphora promitteret principatum Ecclesiasticum: non potuit in illa ipsa confessione loqui, ut Princeps.

X. Hactenus videre est nihil solidi in Pontificiorum disputatione, qua pugnant pro *Promissione principatus* supra reliquos Apostolos Petro facta; cujus privilegio ipsi magis, quam reliquis Apostolis succederent Judices controversiarum infallibiles, ex verbis Promissionis Christi Matt. 16. 18. 19. Nihilo felicius asserit *Bellarminus, institutum à Christo Primatum Petri, atque ipsi exhibitum & collatum Ioh. 21. verbis istis, Simon Iohannis pasce oves meas.* pugnat ille hujus loci θεοφάσει, *de Verbo Dei lib. 3. c. 5. & de Pontif. Rom. lib. 1. cap. 14. 15. & 16.* Utrobique urget, *Petro commissum esse verbis illis singulare officium*: quod quidem officium priori loco videtur præcipue adstringere ad doctrinam; affirmans, *illud Pasce intelligi præcipue de doctrina; sic enim pascuntur oves rationales; Ier. 3. Dabo vobis pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina: Singulariter ergo Petro commissum fuisse, ut doceret omnes Christianos; Id autem non tantum intelligendum de concionibus & commentariis; sed maxime de constitutionibus ac decretis, quid ab omnibus sit credendum.* Verum posteriori loco cap. 15. eo usque extendit metaphoram, ut ex voce illa Pasce eliciat *non tantum curam illam, qua pabulum scientiæ & doctrinæ procuratur ac providetur, tanquam à præposito & gubernatore aliorum pastorum, qui pabulum illud quacunque ratione ministrant, seu Dapiferi officium, sed insuper Rectoris officium, quia scilicet actus Pastoralis est etiam ducere, reducere, tueri, præesse, regere, castigare, & Pastores ovium non solum pabulum illis præbent, verum etiam regunt, & baculo coguntur, ut pareant.* Post hanc autem de Officio hypothesin, distincte satagit demonstrare tria hæc. *I. Soli Petro dictum esse, Pasce oves meas. II. Verbo illo pasce traditam esse summam Ecclesiasticam potestatem. III. Illis vocibus Oves meas universam Christi Ecclesiam esse designatam.*

XI. Primum istud postulatum, *Soli Petro dictum esse, Pasce oves meas* ambiguum est: nam vel significat sermonem Christi tunc tem-

temporis directum fuisse singulariter ad Petrum, quod haud gravatim concedimus, ut non necesse fuerit id *septem argumentis*, quasi extorquere: Vel sensus est, Noluisse Christum cæteris Apostolis dictum, quod uni Petro dixit: ut non possit mandatum Christi hic à Petro ad cæteros trahi, tali aliqua formula applicationis, quali utebatur Christus Marc. 13. 39. Quæ vobis dico, omnibus dico, vigilate. Hoc sensu supposito; ad rem tantum facit *Sextum Bellarmini argumentum, ex verbis illis, Hic autem quid? & ex responsione Domini, Quid ad te? tu me sequere. Nunquam enim, inquit, Petrus interrogasset, quid Iohannes acturus esset, si intellexisset dictum omnibus, Pasce oves meas, neque Dominus dixisset, Quid ad te? tu me sequere: sed dixisset, idem faciet, quod tu.*

XII. Respondemus ad argumentationem istam: Occasionem interrogationis Petri non fuisse in illis verbis Christi, Pasce oves meas: sed in sequentibus istis, quibus significaverat Christus, qua morte Petrus glorificaturus esset Deum, vers. 19. Ad quæ cum Petrus ista subjecit. Hic autem quid? non interrogavit, quod officium & quæ potestas Johanni destinata esset, aut quid ille ex potestate illa acturus esset. Fuisset illa quæstio impertinens: Sed genuina paraphrasis interrogationis ista est, quam habet *Toletus*: *Hic autem quid? id scio jam qua morte ego te sim glorificaturus: scire vellem qua etiam morte Iohannes dilectus tuus vitæ hujus tempus concludet, quemque exitum habebit*: Atque proba est ejusdem *Toleti Annotatio* ista: *Hanc interrogationem Petri, Hic autem quid? Cyrillus lib. 12. cap. 66. & Chrysostomus homil. 87. exponunt, ut vitæ exitus significet; ac si diceret, Quis vitæ exitus hunc exspectat? & est legitima expositio: sequentia enim verba eum comprobant sensum: nam ex responsione, discipuli existimarunt non moriturum, quod non facerent, nisi interrogationem de morte intelligerent simul cum Petro ipso.* Ex eodem Toleto hæc genuina, est paraphrasis responsionis Christi, *Quid ad te? Ad ea, quæ tibi dixi nihil id facit: sive enim manet sive non, qualiscunque ejus exitus futurus sit, hæc quæ tibi dixi fient, non mutabuntur: tu ergo sequere me, & quæ tua sunt considera, & quæ injunxi adverte: exitus enim illius ad te non pertinet.*

XIII. Secundum postulatum est, *Verbo illo, Pasce traditam esse Summam Ecclesiasticam potestatem:* Atque hic urget Bellarminus usum Verbi & in Hebræo & in Græco codice Bibliorum. *Ps.* 2. legi-

legimus, inquit; *Reges eos in virga ferrea, in Hebræo* תרועם, *id est*, *Pasce eos*: *Et sane, qui pascuntur in virga ferrea, verissimam potestatem esse in Pastore suo negare non possunt. Et Esa.* 44. 28. *Qui dico Cyro* רועי, *id est*, *Pastor meus es tu: quo loco tamen non ministerium præbendi cibum, sed amplissimum regnum Cyro prædicit: In commentario in hunc Psalmum* Bellarminus urget Græcum ποιμανεῖς: LXX. *interpretes*, inquit, *hic transtulerunt* ποιμανεῖς, *id est*, *Pasces*; *quomodo etiam reddidit Græce S. Iohannes in Apocalipsi cap.* 2. 27. *&* 19. 15. Græcæ vocis istius usum porro in hac disputatione ita urget; *Scripsit enim*, Johannes, ποίμαινε, *id est*, *Pasce regendo & præsidendo*: *& Homerus*, *inquit lib.* 2. *Iliad. frequenter vocat Regem Agamemnonem* ποιμένα λαῶν. *& Matth.* 2. 6. *Matthæus radicem* משל *quoque*, *quæ significat Dominari*, *ex Mich.* 5. 2. *transtulit per* ποιμάνω *pasco. Hinc & ex loco Apoc.* 19. 15. *arguit* ποιμάνω *non significare Pascere quocunque modo*, *sed regere ac præesse.*

XIV. Respondemus. 1. de voce Hebræa תרועם. Tametsi radix רעה & Pascere & Frangere significet, atque hinc factum sit ut LXX. hic transtulerint ποιμανεῖς: atque hæc vox servata in Apocalypsi, ut media, quæ utrumque pro re nata potest exprimere, & benignum regimen piorum, & severam punitionem impiorum: Tamen frustra est Bellarminus, quando verba illa, Reges in virga ferrea, non vult referri ad solam punitionem impiorum: quia scilicet vox media. *Non notat solam impiorum punitionem, sed regimen iustissimum & potentissimum.* Nam regimen justissimum & potentissimum non potest hic non adstrictum esse ad punitionem impiorum absque misericordia; quia adhibetur, non pedum, sed virga ferrea: & explicatur vox media per vocem alteram in contextu, quæ non potest esse media, sed communi interpretum consensu transfertur Confringes. Atque hic ridendum se præbet Bellarminus suo commentario, quo contendit; *ne quidem illis verbis, tanquam vas figuli confringes, notari solam impiorum punitionem; sed etiam misericordiam, qua scilicet, misericorditer confingendo in eis infidelitatem & peccata, formet ex vasis contumeliæ vasa honoris.* Arguit evasio ista causam desperatam. Ad locum autem Esai. 44. 28. dicimus Cyro dictum רועי, id est, Pastor meus es tu, non ob regni

am-

amplitudinem, sed eo maxime nomine, quod futurus esset benignus Ecclesiæ Dei nutricius, in ejus reductione ex captivitate Babylonica.

XV. 2. De voce Græca ποιμαίνω, non diffitemur per metaphoram dici illos ποιμαίνειν qui regunt & dominantur cum imperio. Enimvero observamus metaphoræ usum esse, ut moneantur Reges & Principes ne imperio & dominatione abutantur ad populi oppressionem; sed ut ipsis sit suprema Lex salus populi. Ea propter sic merito censemus: quando metaphora illa adhibetur ad regimen spirituale Ecclesiæ, præposterum esse & insanum ex Pascendi mandato urgere aliquod fastigium Dominationis & regiminis Monarchici: quia Pastorum titulo ipsi Principes Reges & Monarchæ revocantur à fastigio suæ Dominationis, ad humilem συγκατάβασιν. Revera ergo Dominus verbis illis Pasce oves meas? Petro interdixit tali dominatione & imperio, quale Pontificii inde conantur exprimere, Quod Petrus ipse confirmat, opponens in praxi regiminis Ecclesiæ τὸ ποιμαίνειν Pascere τῷ καταϰυριεύειν Dominari: illud commendans, hoc prohibens. 1. Pet. 5. 2. 2.

XVI. 3. Ad rem ipsam porro respondemus. Verbo illo Pasce Christus non tradidit Petro singularem Principatum Ecclesiasticum, nec instituit Monarchicum Ecclesiæ regimen: sed commendavit Petro curam animarum pascendarum, pabulo spirituali doctrinæ & scientiæ; & quidem absque ulla emphasi primatus Petri, quo illum aliis prætulerit, sed cum provocatione tantum ad piam æmulationem in dilectione Christi; quo faciunt illa antecedentia, Diligis me plus his? v. 15. Quid? quod semel tantum Christus dixit πόιμαινε v. 16. bis autem βόσκε v. 15. & 17. quæ saltem vox nullam habet regiminis significationem, nec eo transfertur.

XVII. Enimvero illa cura animarum, quæ commendatur à Christo: à Paulo illa ipsa voce ποιμαίνω commendatur Presbyteris Ecclesiæ Ephesinæ, quos ait à Spiritu S. constitutos Episcopos ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ. Act. 20. 28. Quin Petrus ipse, cujus primatus & principatus cuditur ex verbi illius emphasi, illo ipso verbo utitur ad Presbyteros constitutos inter ad-

venas dispersos per Pontum Galatiam & Capadociam commendans illis curam animarum, ποιμάνετε Pascite Dei gregem qui i Penes vos est. 1. Pet. 5. 1. 2. Quare concludimus mandatum Christi illis verbis conceptum Pasce oves, singulariter quidem ter Petro nuncupatum fuisse occasione illa, quod ipse Christum ter abnegasset, sed in re fuisse mandatum commune, spectans non tantum ad Petri successores Cathedrales, sed ad omnes etiam Presbyteros Petro συγχρόνους coætaneos.

XVIII. Tertium postulatum restat, tanquam sacra quædam anchora, ad quam confugit *Bellarminus*, vindicaturus scilicet etiam loca illa *Act. 20. & 1. Pet. 5. Petrus*, inquit, *hortatur Compresbyteros ut pascant gregem, non universalem sed particularem; Ait enim pascite gregem qui in vobis est; quemadmodum & Paulus: cum hortatur Asianos Episcopos, ut attendant sibi & universo gregi, statim adjungit. In quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, id est, non universo simpliciter, sed tantum universo illi gregi, qui vobis commendatus est, Illis autem verbis Ioh. 21. Oves meas, universa Ecclesia significata est: Bellarm. de Pontif. Rom. cap. 14. & cap. 16.*

Respondemus? Esse illud quidem aliquo sensu verum quod Bellarminus asserit. Non fuisse Presbyteros illos Asianos, & per Pontum Galatiam & Cappadociam, Episcopos Universæ Ecclesiæ: adeoque non debuisse regere & pascere universam Ecclesiam: Petrum autem habuisse vocationem pascendi & regendi Ecclesiam universam. Tamen minime voluisse Christum, illam auctoritatis eminentiam supra Presbyteros illos, expressam verbis illis *Oves meas*.

XIX. Deinde negamus Petrum eminentiam illam, quam habuit supra Presbyteros illos, pariter habuisse supra reliquos Apostolos, scilicet *ut verbis illis Oves meas includi debeant ipsi cum reliqua Ecclesia universa*. Posterius illud hic est principale κεφάλαιον absque quo prius non esset adeo magni momenti. Contradicit strenue Bellarminus. *Nobis autem*, inquit, *exploratum certumque est, omnes omnino Christianos, etiam Apostolos ipsos. Petro tanquam oviculas commendari, cum ei dicitur Pasce oves meas*, Ad cujus assertionis probationem fingit mysterium in variatione illa apellationis Agnorum & Ovium. & quia ipsi magis videtur μυστηρώδες, quod vulgatus Lati-

Latinus interpres bis habet Pasce Agnos meos, & semel Pasce Oves meas. quam quod in Græco semel tantum legitur ἀρνία, bis προβατα, somniat corruptionem Græci contextus *Corruptus* inquit, *videtur locus vitio librariorum, qui in secundo loco scripserunt προβατα, cum scribere debuissent προβάτια, id est, oviculas seu agnos. facile autem fuit excidere Iota.* Et mox, *Si per Oviculas intelligamus Agnos, dicemus agnos bis repetitos esse, ad significandum duos populos Iudaicum & Gentilem, Oves autem semel nominatas, significare Apostolos & Episcopos, qui sunt veluti matres agnorum. Si vero per Oviculas intelligamus oves parvas, majores perfectis ovibus, dicendum erit Petro commissi agnos, oviculas, & oves, id est, incipientes, proficientes & perfectos. ita ut nulli sint in Ecclesia quantumvis spirituales eruditi & sancti, qui Petro non subsint &c.* Revera unum subest mysterium; idque tam in trina interrogatione qua Christus exhortationi suæ viam aperit, quam in trina exhortatione ad Pascendum. quod dicemus verbis Bellarmini. *Ex Cyrillo & Augustino & aliis in hunc locum discimus Petrum ter interrogatum an diligeret plus cæteris, quia ter negaverat. De Pontif. Rom. lib. 1. cap. 13.* Reliqua mysteria quæ ex Bellarmino discamus, quæ ille cudere satagit ex synonymis seu polyonymis, chimæræ sunt.

XX. Restat altera probatio, quæ nihilo solidior, *Ex pronomine illo* MEAS. *Cum absque ulla restrictione addatur ad nomen Oves pronomen* MEAS, *manifeste significatur eas omnes Oves Petro commendari, ad quas extenditur pronomen* MEAS, *certum autem est illud* MEAS, *extendi ad omnes simpliciter. Breviter pronomen illud* MEAS, *æquipollet signo universali. de Pontif. Rom. lib. 1. cap. 16.* Respondemus. Nova logica opus fore ad stabiliendum Canonem illum; Pronomen Meas, æquipollet signo universali. Certe non semel pronomen Meas adhibetur, ubi de gregibus ovium particularibus sermo est Ezech. 34. adeoque non magis hoc pronomen æquipollet signo universali, quam ipsum nomen Oves, Fatemur quidem esse, ubi propositio indefinita cum hoc pronomine Meas æquipollet propositioni universali. puta cum Dominus ait Cognosco oves meas. & oves meæ vocem meam audiunt. & ego pono animam meam pro ovibus meis. Sed hoc frustra exprimeretur ex æquipollentia pronominis meas, cum signo universali, si non esset in

re indubitata veritas illius hypotheſios, Quod Chriſtus ſit unus omnium Paſtor.

XXI. Ut a. omnes univerſim ſuas oves (qui ad ſummi Paſtoris unum ovile aggregantur juxta illud Joh. 10. Erit unum ovile, & Paſtor unus,) dicatur Chriſtus Petro commiſiſſe, nihil cogit; ne quidem iſtud ex Johanne teſtimonium, quo Bellarminus hic etiam abutitur. Se n. ipſum, non Petrum intelligit Chriſtus, unum unius ovilis Paſtorem; Et eo loco Chriſtus Eccleſiam, quam univerſam ſui unius reſpectu vocat ovile unum, diſpeſcit in caulas alias atque alias & alius atque alius caulæ reſpectu vocat alias oves. Alias etiam oves, inquit, habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili ſive ex hac caula.

XXII. Enimvero non negamus ſano ſenſu Chriſtum etiam commiſiſſe Petro univerſum gregem ſuum paſcendum: ſed quemadmodum illum commiſit indiviſim etiam reliquis Apoſtolis; ut abſit hic primatus & principatus Petri ſupra reliquos: Fatetur enim jam ante Bellarminus, *Omnes duodecim Apoſtolos fuiſſe rectores & Paſtores Eccleſiæ univerſæ, ejuſque fundamenta*; & rurſus idem fatetur, in ipſa qua elabi conatur evaſione: *Etſi Apoſtolos omnes Dominus ad prædicandum & ad paſcendum gregem ſuum miſerit*; *Tamen hoc ipſo quod eorum curam Petro commiſit*; *quod illi agebant Petrus per illos agebat, à quo illi tanquam à capite & imperatore ſuo pendebant.* Imperatoriam illam Petri poteſtatem in reliquos Apoſtolos, quam dictat non docet nullis unquam fidiculis ex verbis Chriſti expreſſerit Bellarminus; Quod autem vere ex verbis Chriſti Paſce oves meas efficitur, hoc illud eſt unicum, quod Petrum miſerit ad paſcendum gregem ſuum; quod Petro pares facit reliquos Apoſtolos; de quibus Bellarmino confeſſionem illam expreſſit vis veritatis, *Dominum miſiſſe omnes Apoſtolos ad paſcendum gregem ſuum.*

XXIII. Quod diximus Dominum univerſum gregem ſuum paſcendum commiſiſſe indiviſim una cum Petro Apoſtolis omnibus; illud intelligendum eſt potiſſimum, de doctrinæ Apoſtolicæ pabulo, quo ad finem mundi paſcitur univerſum Chriſti ovile: Quod autem præter Doctrinam & Leges regiminis ab Apoſtolis traditas, ſpectat vivum laborem ipſorum in Eccleſiæ fundatione; certe nec Petrus nec Apoſtolorum quiſquam rexit & pavit omnes & ſingulas, ne quidem ſui temporis, Oves Chriſti: ſed

partit i

partiti sunt inter se operas. Interim universum gregem indivisim una cum Petro Apostoli omnes censentur rexisse & pavisse, quia ita operas partiti sunt, ut tamen non esset ἀλλοτριεπίσκοπος qui occasione oblata visitaret & pasceret Ecclesiam in qua alius Apostolus officio fungebatur. Quia nulli erant particulari Ecclesiæ alligati ut Pastores ordinarii: nec erat eorum quisquam ab aliqua Ecclesia exclusus. Quamvis sancta quoque φιλοπρία Paulus profiteatur se ab aliorum messe falcem abstinuisse, ut ne super aliorum fundamentum ædificaret, Euangelium prædicans ubi non nominatus esset Christus.

XXIV. Concludimus Disputationes XV. de Canone Theologiæ, hac Assertionum nostrarum ἀναπεφαλαιώσει.

1. Canonem Theologiæ certum & infallibilem, quem Verbum Dei vocamus, nullum hodie esse extra Scripturam Sacram, Hebræam Veteris, & Græcam Novi Testamenti.

2. Nullum esse Verbum internum non Scriptum, quod sine blasphemia in Verbum Dei scriptum, pro Canone Theologiæ jactent, vel Enthusiastæ & Libertini, vel Papistæ.

3. Auctoritatem Scripturæ S. universæ esse Uniformiter Divinam.

4. Traditionum non scriptarum Auctoritatem Sacrilegam, & Reverentiam in Papatu impiam esse.

5. Nullam esse Necessitatem Traditionum Non Scriptarum, propter Scripturæ S. Obscuritatem.

6. Per Scripturæ S. Sufficientiam, nullam esse in Canone Theologiæ locum Traditionibus Pontificiorum non scriptis.

7. Anti-Christianam esse, quæ in Papatu obtinet, Dispensationem contra Scripturas.

8. Nullum esse, præter Spiritum S. in Scripturis loquentem, judicem controversiarum in visibili Cathedra infallibilem.

9. Nullum fuisse in Veteri Cathedra Mosis, sedentium & succedentium Pontificum, privilegium judicii infallibilis.

10. Denique; Esse merum Non ens, (illam in qua finguntur sedere ut successores Petri Papæ Romani, vel soli, vel cum Concilio universali, judices Controversiarum de Fide & Moribus infallibiles,) Cathedram Petri.

OMISSA:
COROLLARIA
DISPUTATIONIS XIII.

1. AN *Simplicitas Dei ex Scripturis demonstrabilis sit. A.*

2. *An Nomen Iehovah in Scriptura usquam propriè vel improprie Creaturis tribuatur. N.*

3. *An Nomen Deus, in Hebræa aut Græca lingua, in Deo vero significet Essentiam & Naturam, an potestatem judicis & dignitatem tantum A. prius: N. posterius.*

4. *An Deus sit secundum Essentiæ absolutam infinitatem Immensus. A.*

5. *An Filius Dei sit Autotheos. A.*

6. *An Spiritus S. Adoratus sit in Veteri & Novo T. A.*

7. *An ab Adoratione solidum sit argumentum pro Deitate Filii & Spiritus S. A.*

COROLLARIA
DISPUTATIONIS XIV.

1. MAla fide Hugo Grotius *in voto pro pace pag. 100. scripsit ista*: Locus 2. Tim. 3. 16. *alium sensum habet, quam putat D. Rivetus*: Non enim hoc dicit Paulus, omnis Scriptura est θεόπνευς & &c. *Nec fidem ejus liberat, vulgatus Latinus interpres, qui vertit, Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum: &c. nedum interpres Syrus. Verque enim ex Græco fonte castigandus: in quo interjectum* καὶ *Et, non patitur aliam quam hanc interpretationem: Omnis Scriptura est* θεόπνευς *divinitus inspirata, & utilis &c.*

2. *Hierarchia Angelorum cœlestium constans ordo, cum certa officiorum & graduum distinctione ex Scriptura demonstrari aut definiri omnino nequit.*

3. *Similiter frustra sunt, qui ex Scriptura demonstrare satagunt, Dari singulis hominibus usque ad horam mortis Angelos bonos custodes.*

4.

4. *Non dantur, sine damnata in Scripturis Idololatria, singulis communitatibus Nationibus Provinciis & Civitatibus, singuli Angeli, quos in Papatu vocant* Tutelaria Numina.

5. *Paradoxa & Anti-Christiana est assertio* Johannis Gerson: in Tractatu de Potestate Ecclesiastica, *edito tempore Concilii Constantiensis*; Absque mendacio vel adulatione Papa nequissimus potest appellari sanctissimus, Potest adorari cultu duliæ usque ad oscula pedum *Scilicet si is qui Papam ejusmodi adorat, apud se dicat, quod* Imperator, Pontifici cuidam caput ipsius conculcanti dixit, NON TIBI SED PETRO.

JOH. CLOPPENBURGII,
S. S. Theologiæ Doct.

ORATIO
INAUGURALIS
DE
Cathedrarum Euangelicarum Libertate Christiana.

Habita Franekeræ,

CUM

Ibidem Professionem S. S. Theologiæ ordiretur,

In Templo Academico, 13. Maji, stylo Juliano
CIↃ IↃC XLIV.

ORATIO

JOH. CLOPPENBURGII, SS. Theol. Doctor.

ORATIO
INAUGURALIS,
DE
Cathedrarum Euangelicarum Libertate Christiana.

13. Maij. 1644.

Nobilissimi, Amplissimi, Magnifici D. D. Curatores: Magnifice Domine Rector: Venerandi, Consultissimi, Experientissimi, Exercitatissimique, Doctrina & Eruditione omnigena Celeberrimi D. D. Professores: Viri Nobilitate insignes, qui adestis: Amplissimi Consultissimique D. D. Consules: Admodum Reverendi, ac pia eruditione eximii Viri, Fidi Pastores gregis Christi: Consultissimi Experientissimique in omni Facultate Doctores & Magistri: Tuque, Nobilissimorum, Doctissimorum, Virorum-Iuvenum Studiosorum Nobilis Corona, Spes Rerumpublicarum & Ecclesiarum.

IN Illustri hac Illustrium & Potentum Frisiæ Ordinum Academia Cathedram conscendens Theologicam; & in ea pro more verba facturus Oratione quasi Inaugurali, Non erubescam, si, auditus à vobis, audiero illud, quod de se apud Corinthios profiteri non erubuit magnus ille Gentium Apostolus) Non venisse me cum eminentia facundiæ aut sapientiæ, & fuisse apud vos cum infirmitate & timore ac tremore multo; neque orationem meam versatam fuisse in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis. Percellit me vestrum, quos auribus favere video, de me exspectatio, cui me imparem esse sentio, nec præstare posse, ne minuat præsentia famam: Percellit multo magis celeusma Apostoli Petri, illis dictum quibus in Cathedra Theologica loquendi munus auctoratum est: *Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei.*

Quapropter initio Te Omnipotens Æterne Misericors Deus supplex veneror, ut nunc & porro mihi indigno servo tuo adesse digneris gratia & auxilio Spiritus tui Sancti; qui mihi largiatur & præsentiam animi, & oris apertionem cum libertate, ut libere eloquar, sicut oportet loqui; eloquia tua, qui me dirigat in tua veritate, atque in eadem me sanctificet; ne quidquam aut sentiam aut proloquar, extra id, quod nos ipse docuisti in verbo tuo; nihil quod non tibi glorioſum sit, & utile ad ædificationem Ecclesiæ tuæ, quam sanguine proprio redemit Filius tuus; Amen.

A vobis autem cunctis, Auditores Præstantissimi, illud mihi polliceor, fore ut majorem apud vos gloriationem in Domino assequar, si verba fecero, hærens Dei eloquiis, in Simplicitate illa Christiana, quæ respuit laureolam illam, quam vulgo affectant in Panegyri dicturi: quam si μετὰ πολλῆς φαντασίας verba dedero, quibus vos latagam rapere in mei inanem admirationem.

Atque hic cogitanti mihi de Orationis in præsens argumento, quod, si non pro dignitate à me tractari, saltem meæ in hanc Cathedram initiationi oportunum & conveniens censeri queat, ingessit se, non arcessenda eminus, sed in Cathedra hac ipsa præsto, Libertas illa Christiana, quâ hæc & aliæ in Ecclesiis & Scholis Euangelicis Cathedræ gloriantur in Domino; ejurata Tyrannide Anti-Christiana Sedis Romanæ, palliatæ titulo ementitæ Cathedræ Petri, subjicientes se unicæ illi cælesti Cathedræ, in qua consedit ad dextram Patris unicus ille omnium docentium & discentium summus, ac solus infallibilis, Doctor & Magister noster. Fert itaque animus dicere; qua id fieri poterit simplicitate & brevitate, quod flagitabit necessaria apologia pro causa Christi, ac Libertatis Christianæ adsertionem contra Anti-Christum, ad Tyrannidis Anti-Christianæ destructionem.

Libertatem Christianam non jam tractandam nobis censemus in latitudine illa, qua sibi illam asserunt veri Christiani universi & singuli, jure Adoptionis Filiorum Dei; quippe liberati, & communi salure Veteris & Novi Testamenti, à servitute peccati & mortis ac tyrannide illius qui mortis habebat imperium Diaboli; & peculiari illâ salute Novi Testamenti, à servitute Pædagogica, & litera occidente, legis Cæremonialis: In qua latitudine, *Ubi Spi-*

ritus

ritus Domini, ibi Libertas. 2. Cor. 3. 17. Est autem Spiritus Domini penes omnes, qui Christi sunt. Spectamus in præsens, adstrictiori significatione, illius instar arboris ramum, *Libertatem Docentium in Cathedris*, quos Christus, ex quo supra omnes cælos adscendit captivata captivitate, ut impleret omnia, *dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi Eph. 4. 10. 11. 12.* Libertatem vero illam docentium definimus immunitate & exemptione, non à subjectione & obedientia civili, quam debet *omnis anima potestatibus eminentibus Rom. 13. 1.* nec à subjectione illa ordinis, qua *Prophetis subjiciuntur Spiritus Prophetarum. 1. Cor. 14. 32.* Illum Clero Anti-Christiano, hanc Anabaptistis & Fanaticis libertinis relinquimus, non libertatem veram, sed licentiam & anarchiam. Sed contestamur immunitatem à subjectione spirituali, in functione muneris communis à Christo imperati docentibus universis & singulis, sub hominibus idem munus sortitis, qua hi illis debeant obedientiæ Sacramentum, constanti quadam Hierarchia, ut superioribus sub Christo Dominis & Magistris: Hac non alia immunitate libertatem Prophetandi definiendam censemus.

Aurea autem hæc libertas, juxta veritatem ipsam, commune est Ecclesiæ Christianæ depositum: quod nisi docentibus sartum tectum custodiatur, communi cura, & zelo etiam discentium in Ecclesiis & Ecclesiarum seminariis, actum erit ilico de universa omnium credentium libertate: quos cunctos ad libertatis vindicias vocat Apostolus, Epistola ad Corinthios prima, quam non temere inscripsit, formula concepta, capitis primi tmemate secundo, *Omnibus qui invocant nomen Domini nostri Iesu Christi in omni loco: Precio, inquit, empti estis; nolite fieri servi hominum. 1. Cor. 7. 23. Nemo glorietur in hominibus, Omnia enim vestra sunt; sive Paulus, sive Apollos, sive Cephas, &c. Omnia enim vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei 1. Cor. 3. 21. 22. 23.*

Operabatur jam tunc inimicus ille mysterium illud iniquitatis, quo supra Paulum effertur, Petrus, & fingitur Petri Cathedra eminens supra Apostolorum reliquorum Cathedras; & illi Non Enti subjiciuntur ad servitutem & Docentes & Discentes. Huic iniqui-

tatis mysterio soboleſcenti per diſcentium προσωπολημψίαν, qua alter in Paulo, alter in Petro, gloriabatur, obviam itum eſt ab Apoſtolis ipſis ὁμοθυμαδὸν, conteſſerata inter ipſos per ſocietatis dexteram communi libertate, ſine alterius ſub altero ſubjectione ad ſervitutem. Hinc illa Pauli, (in concertatione ſui Apoſtolatus cum Apoſtolatu Iacobi, Petri, & Johannis,) gloriatio in Domino ad Galatas, quod ipſe & Barnabas neque ad horam ceſſerint ſubjectione ad ſervitutem, falſis fratribus iſtis, qui ſub introïerant ad ipſorum libertatem explorandam, & ad depreciationem ipſorum, quaſi non eſſet ipſis ἰσότιμος cum Jacobo, Petro & Johanne poteſtas Apoſtolatus. Gal. 2. Cui gloriationi in Domino gemina eſt illa quæ exſtat 1. Cor. 9. de pari poteſtatis conſortio.

Præſcripſerat de libertate hac contra ſervitutem omnem, qua Apoſtolo ſubjiceretur Apoſtolus, V. G. Petro Paulus; Chriſtus Dominus imperans Apoſtolis, ut pari fratrum jure officium facerent, damnata in Phariſæorum τὰς πρωτοκαθεδρίας in Synagogis affectantium imagine, omni affectatione principis primæ ſedis; cum ſevera interminatione, *fore ut humiliaretur qui ſe exaltaret Matt.* 23. Et non ſemel ſolicite monuerat, ut omnem ambitionem & ambitionis occaſionem, ex graduum Hierarchicorum cupiditate naſcentem, præciderent Matth. 20. Luc. 22. Ut vere & nervoſe ſecundum hunc Canonem pronunciarit *Cyprianus: Hoc utique erant & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus; pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis.* Et erumpit hæc veritas vel ex invitis pectoribus Cardinalium *Cajetani* & *Bellarmini: fuiſſe omnes Apoſtolos auctoritate & poteſtate Apoſtolica inter ſe pares.*

Enimvero illam ſine ſubjectione aut ſervitute libertatem, ſocietatis dextera inter Apoſtolos conteſſeratam, non fuiſſe aliquod Apoſtolatus ſolius privilegium, quo ipſis ſolis conſtaret ἰσοτιμία, ipſi vero ſibi & ſucceſſoribus ſuis in ſervitutem ſubjicere poſſent Epiſcoporum & Presbyterorum Cathedras: Teſtatus eſt Petrus ipſe ſua ad Presbyteros per Epiſtolam alloquutione, qua ſe illorum συμπρεσβύτερον *Compresbyterum*, id eſt Presbyterorum Collegam & ſocium vocat, adeoque ex Presbyteris multis unum fatetur, cui ſine dominatione in Cleros mandata ſit paſcendi gregis cura,

atque

atque uni ἀρχιποίμενι *Pastorum principi* reddenda muneris injuncti ratio. 1. Pet. 5.

Isthæc jam Apostolorum, & juxta Apostolos Presbyterorum, libertas (quâ cuncti ut Compresbyteri serviebant uni Domino Christo, ut nemo diceret cum subjectione ad servitutem, se vel Pauli, vel Apollo, vel Petri esse Presbyterum vel Episcopum,) usu communis est, Pauli Apostoli adsertione, quam jam audivimus, cuivis ubivis locorum particulari visibili Ecclesiæ, & Christianis universis & singulis: Vt sive Apostoli, sive Presbyteri, qui fidi essent servi Christi, procul habuerint dominationem omnem, quâ sibi ad servitutem subjicerent, vel conservos suos, vel Ecclesiam Dei: juxta illud, *Non dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus fidei vestræ, nam fide statis. 2. Cor. 1. 24.* contra a. impenderint sancta humilitate alter alteri & Ecclesiis Dei servitutem piam: cujus cultum & religionem profitebantur se debere uni Domino & Sponso Ecclesiæ Christo; usum autem, ad ædificationem, Sponsæ Domini Ecclesiæ, juxta illud: *Non enim nosmet ipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum; nos autem servos vestros propter Iesum. 2. Cor. 4. 5.* Hinc illa Christianis universis & singulis à Iacobo dictata lex libertatis, *Fratres mei nolite in Personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ Iac. 2. 1.* perivata nempe lex illa à Petri Apostoli Canone præscipto Prebyteris μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, 1. Pet. 5. 3. Neque ut Dominantes Cleris.

Adserta jam vera libertate docentium in Cathedris, quæ ut sarta tecta sit, etiam discentium interest, ut cuncti ab humanæ servitutis jugo liberi, uni Domino Christo mancipent fidem & fidei obedientiam: Destruenda est Tyrannica illa in Sede Romaua sedentis Pseudo-Episcopi in Ecclesiam & Ecclesiarum seminaria dominatio; qua Sedi suæ in servitutem subjicit omnes ubivis docentium Cathedras. Quam ut destruamus, utendum nobis hac veritatis ad quamvis conscientiam patefactione esse merum *Non Ens.* illam quam Cathedrarii Romanenses jactant, fixam olim Romæ Cathedram Petri Apostoli, in qua sederit ille ut Presbyteris & Episcopis omnibus superior, Ecclesiæ Catholicæ visibilis summus Pastor, Iudex controversiarum de fide & moribus summus Iufallibilis: Atque illi Non Enti illos superstruere *alterum Non Ens*; Cathedram illam

illam Petri, ut successorem Petri successione vera & legitima insedisse jugiter, & insidere etiamnum, Papam Romanum; cum pari potestatis fastigio, & infallibilitatis privilegio.

Initio quidem hic *Nomen Cathedræ*, & *Verbum* conjugatum *Sedendi*, necesse est, ut liberemus ab æquivocatione: quandoquidem Cathedrarii isti, contendentes Sedisse Romæ in Cathedra Petrum, non quiescent, si illud ipsis largiamur, Fuisse Romæ Apostolum Petrum, ac ibidem docuisse, sedentem in Cathedra, ritu illo recepto, quo sedebant docentes, quem spectavit Christus Matth. 23. quando dixit sedere in Cathedra Mosis Scribas & Pharisæos: Quid enim inde, quibus fidiculis expresserint, pro Petro magis, quam pro reliquis Apostolis, quotquot Romæ fuere & Ecclesiam docuere? Aliud hodie est Romano-Pontificio idiomate, Sedisse Romæ in Cathedra Petrum: intelligunt illi Sedem uno in loco fundatam & fixam, in qua habitaret permanenter Petri illa potestas ὑπερέχουσα supereminens, cum localis successionis privilegio. Hoc schemate dictionis, sicut nemo Cathedrariorum affirmat sedisse Romæ Apostolos, qui extra controversiam Romæ fuerunt, & passi sunt: ita nos Petrum Romæ sedisse, nedum, quod illi temere dictant, annos viginti quinque sedisse, pernegamus.

Isthoc quidem pacto, ut Romæ sederit Apostolus Petrus haud patitur mandatus Petro juxta alios Apostolos Apostolatus. Non acceperunt, nec Apostolorum quisquam nec Petrus, ita Sedendi mandatum ullum: ut, scilicet, in iis quas fundaturi essent Ecclesiis, delecto facto unius lautioris Ecclesiæ, suo nomine insignitam quisque eminentiorem Cathedram sibi dicarent, atque in ea sederent, ut Episcoporum Episcopi; atque illud honoris & dominationis fastigium successoribus relinquerent, ut Cathedrali illi Ecclesiæ hæreditarium, & semel fixæ sedis mansurum in sæcula privilegium. Dictum est Petro aliisque Apostolis cunctis, à Christo mox sessuro in cœlesti Cathedra, *Ite proficiscentes*: Illi dicto audientes, si iverunt profecti per orbem terrarum, ut Euangelium prædicarent, perambulantes quasvis ubivis gentium & locorum collocatas docentium Cathedras: Chimæra sit oportet fixa ab Apostolo quocunque sedes Episcopalis in loco aliquo uno, cum localis successionis privilegio.

Et

Et certe constat Petrum functum esse munere suo Hierosolymis, Samariæ, Joppæ, Cæsareæ, Lyddæ, Antiochiæ, itemque in Ponto, Phrygia, Galatia, Cappadocia, &c. Romæ an fuerit, an docuerit, an passus sit, altum in Scripturis sacris silentium est: nedum ut vel γρῦ exstet in verbo Dei, hæsisse illum Romæ, & sede fixâ sedisse annos viginti quinque. Et posterius quidem hoc, qui affirmant, reum faciunt sanctissimum Apostolum posthabiti mandati Christi, & neglecti Apostolatus sui: quippe qui malâ conscientiâ, si fabula vera est, per πεωτοκαθεδρίας, seu primæ & principis sedis, affectionem à Christo damnatam, ex Apostolo Catholicæ Ecclesiæ, se ipsum crearit Episcopum singularem Ecclesiæ unius particularis Romanæ, quæ, in Urbe Orbis domina, in universi orbis Ecclesias portenderet dominationem & imperium. Nos de Petro tam portentosa vel suspicari prohibet beata, & quæ apud nos in benedictione est, Petri Apostoli memoria: nec possumus, quin pro sanctitate & pietate Petri hanc litem contestemur, contra sedis Romanæ sessores: Non sedisse unquam in dominatrice illa Cathedra Petrum.

Enimvero flagitat hic ἐπιμονὴν aliquam Non-Entis istius ex Judaïsmo Tradux, qui Cathedrariorum Achilles est: urgent enim à Christo nominatam *Cathedram Mosis*, tanquam argumentum à fortiori, ad tuendam Cathedram in Novo Testamento, similem illi in Veteri Testamento Cathedræ; ne hac parte deterior sit conditio, & inferior potestas ac Majestas, Christianæ quam Judaïcæ Synagogæ. De Cathedra Mosis à Christo nominata, cum dixit in Cathedra Mosis sedere Pharisæos & Scribas, haud gravatim illud quidem largiemur, esse illius in Novi Testamenii Ecclesia Traducem necessarium: Quia res ipsa loquitur, Christum appellatione illa designasse quamlibet in quibusvis Synagogis Cathedram docentium Scribarum & Pharisæorum: eamque denominasse, non à persona Mosis, sed à metonymice dicto Mose, id est, Canone scripto librorum Mosis: juxta illud quod in Synodo Hierosolymitana dixit Jacobus: *Moses ab atauibus antiquis, in singulis ciuitatibus habet, qui ipsum prædicent: quum in Synagogis per singula Sabbata legatur. Act.* 15. 21. cum 2. Cor. 3. 15. Non potuit non illas in Synagogis Cathedras Christus designasse, qui mox primas

in Synagogis Cathedras ab iisdem affectatas perstringit. Matt. 23. 2--6. Vindicabimus itaque nos lubentes Ecclesiæ N. T. cum Orthodoxa Antiquitate, æmulatione Cathedræ Mosis, *Cathedram Petri*, isthoc sensu, ut ubivis locorum & gentium, ubi legitur Petrus in singulis Ecclesiis & Scholis, docentes sedeant in Cathedra Petri: sed ea lege, ut, sine Apostolorum aliorum depreciatione, Synecdochen habeat appellatio illa similem illi, qua Moses notat & Mosis libros, & reliquum Vetus Testamentum, Mosem & Prophetas: sic Petrus, Petrum & reliquos Novi Testamenti scriptores. At de illa veri nominis Cathedra Petri, in qua legatur Petrus & reliqui Scriptores sacri ad ædificationem Ecclesiæ, postrema & minima Cathedrariis Romanensibus cura est: & haud facile impetraveris, ut in isthac Cathedra Petri sedeant, & ad sedendum Canonibus Ecclesiastici constringantur, illi, qui sunt & dicuntur, *Non Residentes.*

Cathedram autem Petri ψευδώνυμον, jam ante delineatum Non ens, ut fabricent per traducem ex Veteri Testamento, Cathedram Mosis, præter mentem Christi, interpretantur summam summi Sacerdotis Cathedram à Mose fundatam: cui scilicet asseruerit Christus personalem summorum Sacerdotum inde ab Aarone usque ad Cajapham successionem cum privilegio summi Infallibilis judicii. Demus palisper totum illud, quod de Cathedra Mosis postulant: nullis tamen inde fidiculis expriment Hierarchiæ similis, qualis in Veteri Testamento fuit, traducem in Novum. Quandoquidem non patitur traducem illum, Christi ut unici magni Sacerdotis veri sessio in Cathedra cœlesti; quæ flagitat abolitionem umbratilis Cathedræ illius, in qua, olim ut vicarius Christi venturi sedebat Pontifex Leviticus.

Jam vero quod *de privilegio Infallibilis judicii* in Cathedra Mosis dictant, & per Traducem asserunt suo Non-enti, contra experientiam est, in tribus nominatim, qui graviter lapsi sunt summis Sacerdotibus: *Aarone* primum ipso, deinde *Uria* illo, qui sedit tempore Achazi regis, denique *Cajapha*, qui contra Christum sententiam dixit: In quorum lapsibus excusandis dum frustra sudant, produnt se suo indicio, & loquuntur ipsi, quam nulla sit istaquam nobis pollicentur, in Cathedra Petri commentitia, judicii infallibilitas.

Quam

Quam pudendis evasionibus disputent prolixius jam excutere non est nostri instituti intelligentibus loquimur, qui sciunt Aaronem functum potestate summa in populo Israëlis, quippe tunc Mosi ipsi, ut nunquam reversuro, populi suffragiis subrogatum, jussisse, mandasse, & edixisse publicè, idoli fabricam, seu μοσχοποιίαν, & idololatriæ solemnitatem. Exo. 32. At, excipiunt illi, non dictavit definitione dogmatica, in Cathedra sedens, idolum esse adorandum. Bona verba! Longe quidem efficacius docuit Aaron cultum idololatricum se adjungens ipse & præiens facto ipso populo ruenti in idololatriam, ac una cum populo idolum adorans; quam si populo minime idololatræ sola definitione dogmatica dictasset idolum esse adorandum. Uriam Sacerdotem non magis liberat eadem evasio, quod dogmatica assertione non docuerit idololatriam: Potuitne ille non fallere & falli in muneris exercitio, qui, remota are Domini, in ejus locum aliam substituit, ad typum altaris Damasceni; ac posuit hoc pacto in Templo Dei efficax scandalum populo Dei: ut vel cultu Sacrificiorum divinitus imperato abstinendum, vel in operando sacris peccandum esset? At ubi tandem frons? ubi pudor Cathedrariorum istorum? qui cum M. *Cano* pro ipso Cajapha disputant, *Sententiam à Cajapha dictam adversus Christum non solum verissimam se Reipublicæ etiam utilissimam fuisse*, atque ipsi sententiam dicenti constitisse duos illos viros bonos & justos, Nicodemum & Josephum, qui in sententiam Cajaphæ verissimam & utilissimam non consenserunt; At quis pius non videt, à Cajapha dictam sententiam, quam *Canus* verissimam & Reipublicæ utilissimam vocat, ex se impiam & Reipublicæ utilissimam vocat, ex se impiam & consultori Cajaphæ totique illi populo, quem ille à Romanis salvum volebat, contrario eventu θηλάτῳ, excidia quod Templo & Vrbi supervenit, perniciosissimam fuisse? Nihil dicemus gravius, quam non invidere nos Romanæ sedi suos illos sessores, quibus major nulla est Infallibilitas, (qua illis cautum sit, ne ex Cathedra sententiam dicentes hæresin vel impietatem doceant;) quam fuit Cajaphæ infallibilitas, quando ex Cathedra contra Christum dicta sententia mortis, seduxit ad parricidium Filii Dei populum pene universum: Modo à Cathedris nostris pestem seductionis, & parricidia ipsorum

rum à cervicibus noſtris, avertat Chriſtus Dominus, & miſereatur piorum, qui ſub cultro Anti-Chriſti gemunt.

Quod autem jam dicere cœpimus, quandoquidem, & Sacerdos ſummus in terris, & Chathedra ejus eminens viſibilis ſummi judicii, Umbra fuit non inferenda in N. T. Eccleſiam, quæ ab omni præfectutę Pædagogicę jugo, non minus quam à Lege reliqua Cæremoniali, liberata eſt; ex quo habet verum in cæleſti Cathedra ſedentem domui Dei præfectum Sacerdotem magnum: Nobis, Chriſtianæ libertatis per Spiritum Chriſti conſciis, quicunque in traduce viſibili veteris illius Cathedræ gloriantur ſudaizantes, ac ut viſibiles Sacerdotes magnos præfectos domui Dei ſe oſtentant, nihil ſunt aliud, quam parietes dealbati.

Deſtructo jam Non-Ente illo, fixa à Petro ſede, in Urbe Orbis domina, in qua annos 25. ſederit Petrus, ſeu *Cathedra Petri ſuper quam fundata ſit Eccleſia*, (ut *Cyprianum* loquentem fecere falſarii in editionibus operum interpolatis.) Deſtruendum ſupereſt quod nominavimus *alterum Non Ens, Succeſſio quam jactant vera & legitima in Cathedra Petri*, quam nos nullam eſſe penes ſedis Romanæ ſeſſores Papas adſerimus. Dabimus jam, (quod tamen concedemus nunquam,) in hac concertatione, partitos fuiſſe Apoſtolos ſuis nominibus dicatas ſedes Epiſcopales: Petri fuiſſe τὴν πρωτοκαθεδρίαν Sedem primam, ut ſederit annos 25. primæ ſedis Epiſcopus, in urbe Roma, habiturus ſucceſſores primæ ſedis Epiſcopos: At poſtulabimus à Cathedrariis Romanenſibus, ut demonſtrent, Quo jure cancellos illos perfregerint, intra quos, ad annum 600. Æræ Chriſtianæ, circumſcripta ſtetit Romani Epiſcopi πρωτοκαθεδρία: ut jam pro Palea ſit in jure Canonico, *Carthaginienſis Concilii decretum*, quod exhibet *Gratianus Part. 1. Diſt. 99. Primæ ſedis Epiſcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, vel Summus Sacerdos, aut aliquid hujuſmodi; ſed tantum prima ſedis Epiſcopus: Vniverſalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur.* Loquuntur hiſtoriæ & annales veteres, totos 600. annos veteri Eccleſiæ ignoratum fuiſſe viſibile in terris Eccleſiæ Catholicæ caput, & Epiſcopum Univerſalem Oecumenicum: Donec tandem *Phocas* (Poſtquam *Mauricium Imperatorem*, cum uxore, fratre, & tribus liberis ſuſtuliſſet, & imperium invaſiſſet, ut Romanorum ſibi conciliaret gratiam, adeo nefan-

nefando parricidio perpetrato) *Bonifacium tertium Romanum Pontificem* Caput Ecclesiæ & universalem proclamavit Episcopum. Ante hunc nefarium sedis Romanæ insessorem ne quidem primis illis sexcentis annis, absque intercisione Romanorum Episcoporum successio putari non debet, quæ vera & legitima dici queat: Quandoquidem veræ & legitimæ successionis ἐπιλείχεια, quæ est vera Petri Apostoli doctrina, jam defecerat in *Liberio* per Arianam perfidiam. Post hunc autem insessorem, omnino frustra eandem quæsiveris, postquam γυμνῇ κεφαλῇ itum est, in veneratione Romani Papæ, contra Petri Apostoli doctrinam de unico Ecclesiæ capite & lapide angulari Christo, principe Pastore ovium 1. Pet. 2. & 5. Et novo jure Anti-Christiano sola Ecclesia Romana dici cœpit Universalis Catholica, propter Episcopi Romani Episcopatum Universalem; & ex illa reliquæ omnes Ecclesiæ precario dici *Catholicæ Romanæ*: Et exolevit Fides, qua creditur vere & συνωνύμως dicta Ecclesia Catholica complecti omnes per universum orbem Dei filios, sub uno capite & summo Pastore ac Episcopo universali Christo: Ac creditum est deinceps, aucta erroris efficacia, Sessori sedis Romanæ propter reverentiam Petri Apostoli debere impendi *Adorationem & Cultum Duliæ ad pedum oscula*; fascinatis & dementatis illa superstitione ipsis Imperatoribus & Regibus; se in potestatem sedi Romanæ impressam à Petro rite impendere, quod alias ipsi in persona Papæ retundendum & vindicandum censerent. Quomodo (si *Iohannem Gersonem* Cancellarium Parisiensem audimus, qui alias audit libertatis Ecclesiæ Gallicanæ vindex, & potestatis Ecclesiasticæ Conciliorum supra Papam adsertor strenuus,) satis acriter retudit arrogantem superbiam Papæ gloriantis quod pedibus suis calcaret Imperatoris caput, Imperator nihil regerens, quam verbum illud, *Non tibi, sed Petro.* Hujus verbi obtentu, ut dictat idem *Gerson*, *Absque mendacia vel adulatione Papa nequissimus potest appellari sanctissimus, potest adorari cultu dulie ad oscula pedum*: Hæc ille *Tractatu de potestate Ecclesiastica*, edito tempore Concilii Constantiensis. Flagitabitne aliquis, non omnino excœcatus superstitione, aut non profanus Christianæ libertatis contemptor, Demonstrationem Anti-Christi insidentis ψευδώνυμον Cathedram Petri, evidentiorem ista, Quod Petrus

fingitur sedis Romanæ in hunc usque diem Numen Tutelare; quia *in consortium individuæ unitatis* (Verba sunt *Leonis Papæ*) *Petrum assumsit Christus*: Quod Petri numen, ut adoretur Cultu Duliæ, Novus Pontifex ubi electus est, *in prima & secunda veneratione Cardinalium, primo in sacrario, deinde in Ecclesia S. Petri, collocatur super altare, ipsique omnes per ordinem pedes manus & os deosculantur*: Ac prædicatur ille & colitur porro ab omnibus Cultu duliæ, & adoratur ad pedum oscula, ut *Immediatus Christi vicarius, qui præest omnibus in loco Christi, quibus etiam præesset visibiliter, si visibiliter adesset: Tribuuntur ipsi omnia nomina, quæ in Scripturis tribuuntur Christo, unde constat Christum esse supra Ecclesiam; ut salutetur Pater familias in domo sua quæ est Ecclesia; Vnus ille ovium Pastor: Caput corporis Ecclesiæ: Vir seu Sponsus.* Hæc enim Papæ asserit cuncta *Bellarminus*: & plura alii. Nos à Christo edocti neminem posse pluribus Dominis servire, Cultum Duliæ, id est, Servitutis nemini impendimus, quam uni Domino Christo: Illum unum Patris mandato ad osculationem adoramus, qui unum est cum Patre & Spiritu S. increatum numen: Si Petro δουλείαν impenderimus, committemus contra Canonem Verbi Dei idololatriam, servientes numini, quod *non est naturâ Deus Gal. 4. 8.* Fatui & cœci simus, si in illam redigamur servitutem, ut vel nequissimum Papam Cultu Duliæ adoremus; fascinati opinione stupendæ & miraculosæ potestatis; qua scilicet Papam armarit Petrus. O servum pecus, & ter servum! illi, qui melius olim edocti ex verbo Dei, gustata libertate Christiana in Ecclesiis Euangelicis, iterum se nequissimi istius servi pedibus calcandos præbent; & servitutem illam denuo serviendam suadent; ut scilicet servitute repetita redimatur Pax Christianismi.

Non digrediemur longius ad recensendos Pontifices, qui præter jam nominatum *Liberium*, fatentibus Pontificiis, in hæresin lapsi, nobis suppeditant demonstrationem uberem non semel incisæ veræ & legitimæ successionis Apostolicæ: *Honorios, Anastasios, Cælestinos*, ac damnatum à Concilio Constantiensi *Iohannem* 23. quod Animarum immortalitatem, quin Paradisum & gehennam, negasset. Vela nobis colligenda sunt, Auditores præstantissimi, ne vestra abutamur patientia. Ea propter sufficerit in præ-

præsens spectasse Successionis Papalis Nullitatem, in adulterata nimium quantum vera Petri doctrina, de ipso illo jure, quo in Cathedra sedendum erat, illibato cultu servitute & adoratione unius Domini Iesu Christi: Quæ equidem juris divini adulteratio, ad cultum duliæ subjiciens alteri sponso vicario sponsam Christi, ac in servitutem sub Romana sede subjiciens Cathedras omnes; tam est Christiano nomine indigna, ut ipsis filiis Matris Ecclesiæ Romanæ, si censeri nolint fornicationis filii, existimandum sit sibi dictum, quod olim filiis Ecclesiæ Israeliticæ, qui filii Dei censeri vellent, per prophetam Hoseam edixit Deus: *Iudicate matrem vestram, judicate: quoniam ipsa non est uxor mea, & ego non vir ejus: auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio uberum suorum: Ne forte exspoliem eam nudam, & statuam eam secundum diem nativitatis suæ: & ponam eam quasi solitudinem, & statuam eam velut terram inviam, & interficiam eam siti: & filiorum illius non miserebor, quoniam filii fornicationum sunt, quia fornicata est mater eorum, confusa est, quæ concepit eos. Hos.* 2. Non persequemur itaque singula dogmata, in quibus Petri & Apostolorum doctrinam adulteratam in Papatu nos credimus Scripturarum auctoritate; quorum recensio & elenchus non foret unius diei, nedum horæ, si mihi vel linguæ centum sint, oraque centum: propter quæ persuasi sumus, nihil in Paparum invicem succedentium serie reliquum esse, quam veræ & legitimæ successionis, quam jactant, umbram & corticem nucleo cassum. Dicemus (quod ad Tyrannidis atrocitatem, & servitutis indignitatem, repræsentandam porra facit) ne hunc quidem corticem nudæ personalis successionis inde *Bonifacio tertio* salvum esse. Quo enim schemate; qua fronte dicent Cathedrali isti? non interruptum sacræ successionis filum sanctissimorum Episcoporum, circa annum Æræ Christianæ 852. quando ad biennium sedit *Pontifex fœminini generis Iohanna?* Quam etsi sedisse hodie inficientur Iesuitæ, præcuntibus *Genebrardo* & *Onuphrio*: Sedisse tamen revera fidem, post *Marianum Scotum* & *Sigebertum*, innumeri in medio Papatu testes veritatis consentientes, quos operose alii recensuerunt: è quibus nobis memorandi videntur, *Hadrianus VI. in Quodlibetis*, tunc Cancellarius Lovanienſis, post creatus Pontifex: & *Bartholomæus Carranza Navarrus*,

varrus, celebris illius *Martini Navarri frater*, in summa Conciliorum, edita post inchoatum Concilium Tridentinum, cujus ipse pars fuit: & ille qui magno in precio est apud hodiernos Conciliatores *Georgius Wicelius*. Producemus nos, qui Catalogum testium ab aliis confectum augeat, hactenus neglectus: is est *Iohannes Gerson Cancellarius Parisiensis*: qui nobis hic est instar totius Concilii Constantiensis: quia Gersone palam pronunciante, *posse in talibus Ecclesiam fallere & falli, ut multo tempore fœminam pro Papa coluerit. Serm. de Circumcisione Consider. 3. de Pace*: exprobrationem *Iohannis Husii* super Papissa sustinuit patienter & cunctorum silentio approbavit Concilium Constantiense: ac mansit usque ad Concilium Tridentinum, sine cujusquam contradictione ab omnibus recepta Traditio ad Papissa πατροπαράδοτος. Et quandoquidem ad ipsam Verbi Dei sine scripto Traditionem conservandam & propagandam, ut causas adjuvantes, quibus divina providentia etiam hodie utatur, Bellarminus magnopere commendat *Monumenta quædam externa quædam externa lapidea*. Quidni credamus nos divinam providentiam velle, ut (postquam vivi testes ad conservandam & propagandam traditionem illam in Papatu deficiunt, omnesque litant silentio;) etiamnum tamen loquantur in urbe Roma lapides seu lapidea monumenta tria, Novi Pontificis in Cathedram inaugurationi sacra, *Sedes stercoraria ante portam Ecclesiæ Lateranensis marmorea, & duæ Sedes Porphyreæ perforatæ apud Capellam Sancti Sylvestri*: Quæ jam nongentos circiter annos clamant, cum magno Christianissimi opprobrio, In sede Romana, cœca Idolodulia, (inter quam & idololatriam quid interest: adorari ad pedum oscula stercoreum numen, quin adoratam infamem lupam, quæ saxum virilem mentita fuit. At missa illa *fœminini generis Papa Iohanne octavo*: Qua fide porro afferent Cathedrarii Romanenses, Successionem non interruptam in sede Romana virorum Apostolicorum; per annos illos fere 150. quibus ipse *Genebrardus in Chronographia sua ad annum 902.* testatur *Pontifices circiter 50. (à Iohanne octavo masculini generis ad Leonem 9. usque,) à virtute majorum prorsus defecisse, Apotactticos, Apostaticosve potius, quam Apostolicos*? Nullamen rursus lacunam successionis personalis Paparum feciisse credemus varios, quibus recensendis non immorabimur,

mur, *Anti-Papas*? neque insigne illud schisma, ultra 50. annos continuatum? quo factum ut extra Romam, novo Parodo, *ubi Papa, ibi Roma* fuisse credatur, cum ab initio non nisi intra Urbem fundari potuerit à Petro ipso Cathedra Petri; quod denique tres simul exclusit Papas? Quo tempore, quid vis veritatis expresserit Cancellario Parisiensi jam nominato, *sermone habito in Concilio Constantiensi*, quæso audite. *Videri in Ecclesia Romana completam secessionem, de qua loquutus Apostolus 2. Thess. 2. Nam*, inquit, *si primo vel secundo electus in exordio schismatis fuerit Pontifex vere, tunc ab utroque vel successoribus recessus videtur completus. Nam in tantam ambiguitatem universalis Ecclesia devenit, quod ignorat apud quam partem vera sedes Romana erat, nisi forsan Deus alicui revelasset, & aut Salomonis judicium de puero dividendo, & vera & falsa matre hoc persuaderet.* Eant jam Cathedrarii illi & jactent Paparum in Sede Romana, cum privilegio Infallibilis Judicii, successionem personalem non interruptam nec interrumpendam: Nobis liquet, ipsorum confessione, quam vel maxime invitis extorquet vis veritatis, successionem illam & de jure nullam esse, postquam à vera Petri Doctrina recessum est, in docenda & in gubernanda Ecclesia; & invecta Tyrannis à Petro proscripta; atque abjecta omni animarum cura, illa unica cura suscepta, sed suo arbitratu summoque imperio regat Papa, *Cunctos ipse judicaturus, judicandus à nemine, licet innumerabiles populos catervatim secum ducat primo mancipio Gehenna*, juxta Pontificium *Gratiani Decretum, parte* 1. *Dist.* 4. C. *Si Papa*. Et similiter liquet, Successionem de facto nullam esse, ex quo ipsis fatentibus Pontificiis sederunt varii non Apostolici portusæ Cathedræ sessores; & iteratis schismatis ignotarum apud quam partem esset vera sedes Romana, & lis illa de vero Papa tanta ambiguitate disceptata, quanta ad Salomonis tribunal ambiguitate litigatum à duabus meretricibus, utra esset vera superstitis infantis mater. Ut autem credamus nos, quod exspectabat *Gerson*, vel divina revelatione, vel Salomonis alicujus novi sapientia litem illam in Concilio Constantiensi termnatam, nemo unquam persuadebit. Neque nos magnopere ea cura sollicitat, secundum hunc an secundum illum Papam rectius pronunciaverit Ecclesia Romana in Concilio congregata; non magis, secundum hanc an

secundum illam meretricem de fornicationis filio litigantem sententiam dixerit Salomo. Vnum hoc curamus, ut in Ecclesiis & Ecclesiarum seminariis Cathedræ nostræ non subjiciantur ad servitutem, ut olim, meretrici purpuratæ Romanæ: ne periculum sit, ut qui Patri Deo educandi sunt filii, cubantes in sinu illius, oppressi moriantur; aut olim filiis fornicationis accenseantur, in judicio illius, qui major Salomone est: cui soli Servo Patris justo, ac uni cum Patre & Spiritu S. Domino omnium, sedenti ad Patris dexteram, cultum duliæ, cum adoratione ad osculationem, debemus universi & singuli docentes & discentes.

Tu Omnipotens Æterne Misericors Deus, qui Filio tuo unigenito, post quam pro nobis inutilibus servis servitutem miserrimam servisset, potenter asseruisti Nomen illud supra omne nomen, in quo solo omne genu flectendum: Qui idem ex Anti-Christiana servitute, qua Sedis Romanæ sessori, (insessori Conjugii illius, quod Filio tuo intercedit cum Ecclesia sanguine proprio dempta) cultu Duliæ usque ad pedum oscula, servierunt majores nostri, brachio exserto in libertatem nos vindicasti: Qui propter Ecclesiam tuam liberandam dedisti illos nobis Patriæ Patres, qui à cunctorum subditorum cervicibus, heroïco spiritu depulerunt Tyrannidem Hispanicam Anti-Christo mancipatam: hodieque illam benedictione tua feliciter populsant: Qui illam Patriæ Patribus indidisti zelum domus tuæ, ut ipsis nutriciis & defensoribus, in Ecclesiis & Ecclesiarum seminariis, ejuratâ sedis Romanæ obedientia, sed eant in Cathedra docentes, uni filio tuo jurati: Qui hanc nominatim Cathedram in libertate illa in annum sexagesimum divina benedictione tua & protegis & foves ac fœcundas; ut non fuerit in illa irritus docentium labor, nec sterilis agricolatio: Te cum Filio tuo & Sp. S. unicum tutelare numen ultu Duliæ veneramur & adoramus: Largire propicius Patribus Patriæ nostræ Fœderatarum Belgii regionum Ordinibus & Gubernatoribus, nominatim hujus, in qua vivimus Frisiæ summis Potestatibus; cum zelo domus tuæ, spiritum sapientiæ & fortitudinis, ad tuendam fortiter, quæsitam tua benedictione, libertatem: Præsta illi Rempublicam, tutam foris, tranquillam domi, & omni benedictione ad vitam & pietatem necessaria cumulatissimam: Fac ut floreat, quam diutissime, quam felicissime Academia hæc, ac sit magis magisque felix & fertile Seminarium Rerumpublicarum & Ecclesiarum. Repende D. D. Curatorum piæ curæ,

& retribue Senatui Academici piis laboribus & vigiliis pro Academiæ incolumitate, benedictiones hujus & futuræ vitæ: Benedic docentium laboribus & discentium attentioni. Sanctifica cunctos, maxime illos, qui sanctiori studio Theologico sunt initiati, vel initendi: Benedic propter hanc Academiam Civitati etiam huic qua domicilium ipsi prodidisti; sicut olim domui Obed-Edom benedixisti, propter Arcæ fœderis tui hospitium. Denique recordare mei Deus mi in bonum, & ab hac quasi Inauguratione, averte infelix omne omen & augurium: Tu mihi testis, me nihil tale cogitantem, tua providentia, ex illa in qua me collocaras statione, ad stationem hanc evocatum: Tu itaque in hanc messem tuam vere me extrusisti: Tu idem suffice mihi vires & robur, oneri cui me imparem sentio succumbam; & perfice robur tuum in infirmitate mea: & ubi non satisfacio mihi ipse, sufficiet mihi gratia tua: Dedisti hactenus experientiam, in diebus peregrinationis meæ paucis & malis, te mecum, esse, ut naufragium non fecerim aut fidei aut bonæ conscientiæ: Experientia illa Spem facit: Da ne unquam Spes illa me pudefaciat, fore ut fidus operarius inveniar in die Domini nostri Iesu Christi: Interum ita me Spiritu tuo rege & guberna, ne unquam, scientia illâ, quæ inflat turgidus, me ipsum quæram; sed ut hoc unum, atque in hoc unum me impendam totum, quod mihi & dicentibus possit esse ad ædificationem, in cognitione veritatis, quæ secundum pietatem est: Vt nullam ulla in re præbens offensionem, ne vituperetur ministerium per gloriam & ignominiam, per convicia & laudes, in omnibus me approbare possim tibi.

Disputationes Theologicæ XI.

DE

FOEDERE DEI,

ET

TESTAMENTO

VETERI & NOVO.

NOMINA RESPONDENTUM.

1. 2. Gerardus à Thiel, *Harder-vicenus.*
3. Caſparus Caroli, *Harder-vicenus.*
4. Iohannes Voſſius, *Arnhemienſis.*
5. Rudolphus Landtmeſſer, *Waſſenbergenſis.*
6. M. Henricus From, *Colonienſis,*
7. Sebaſtianus Magirus, *Neopaludanus Gelrus.*
8. Otto Henricus Schlebuſch, *Colonienſis.*
9. Johannes Voſſius, *Arnhemienſis.*
10. Altetus Goſſuini, *Hattemius.*
11. Rudolphus Landtmeſſer, *Waſſenbergenſis.*

DISPUTATIO I.

DE

Fœdere Operum Veteri,

CUM

Adamo primo.

THES. I.

Διαθήκην ברית Fœdus inter Deum & Hominem, nominans Scriptura sacra, significat, re integra, Pactum Spirituale mutuæ fidei, à Deo cum Homine initum; quo postulat ab Homine perfectam obedientiam Legis, pro qua præstita in præmium liberaliter promittit mercedem vitæ cœlestis.

II. Partes Fœdus contrahentes sunt Deus & Homo; inter quos Fœdus non est Pactum tantum μονόπλευρον seu unius lateris. quod intelligendum tunc quando cum creaturis irrationalibus Deus dicitur sancire Fœdus Hos. 2. 18. Sed est Pactum mutuæ fidei: Tamen minime intelligitur reciprocum cum aut æquale jus contrahendi, propter partium inæqualitatem: cum altera sit Creator, altera Creatura, ut non sit humani, sed divini arbitrii fœderis νομοθεσία Legislatio, ac confœderati quidem sint Deus & Homo, Dei non Hominis Διαθήκη. Galat. 3. 15. 17. cum Heb. 8. 6. &. 9. 20.

III. Propter Dei naturam spiritualem, quæ cultum flagitat Spiritualem Joh. 4. 24. omnis consideratio princeps & potissima fœderis, quod Deus cum homine pangere dicitur, est Spiritualis: adeoque omnes rerum non spiritualium considerationes in doctrina de Fœdere censeri debent tantum accessoriæ ac minus principales: Qui agglutinatur Domino unus Spiritus est, 1. Cor. 6. 17. Qui autem Deo non sunt agglutinati spirituales fœderis vinculo, dicuntur ἄθεοι Dei expertes in mundo. Eph. 2. 12.

IV.

IV. Hoc non obstante Homo ὁλόκληρος, non pars tantum Hominis altera, quæ modo ψυχὴ Anima, modo πνεῦμα Spiritus dicitur, cum Deo in Fœdus coït 1. Cor. 6. 20. cum 1. Thess. 5. 23. quia est Homo ex anima & Corpore unum compositum naturale, non per accidens, sed per se; ut quando Homo ψυχικὸς Animalis, per Spiritum Sanctum fit πνευματικὸς Spiritualis, Corpus quoque Hominis ψυχικὸν Animale, sine naturæ creatæ destructione, fiat πνευματικὸν, Spirituale: ut Templum Spiritus illud sanctificantis ad τὴν λογικὴν λατρείαν. 1. Cor. 15. 44. 45. 46. cum 1. Cor. 6. 17. 19. & Rom. 6. 23. & 12, 1. & 8. 11.

V. Citra Fœderis transgressionem & Antiquationem, supponitur & Anima Hominis sua natura incorruptibilis; finem durationis non habitura: Et corpus, citra Animæ & Corporis dissolutionem sola Fœderis transgressione metuendam, nulli morti aut corruptioni obnoxium: Ac utraque & corpus & Anima æternæ & beatæ (citra unionis naturalis dissolutionem, aut altérutrius annihilationem; aut naturæ alterius substitutionem) immortalitatis capax.

Neque ferenda hic est Pelagii hæresis; Hominem etiamsi non peccasset moriturum fuisse: Neque Christianæ religioni conciliabilis Sadducæorum & Epicuræorum Atheismus, quem adoptarunt *Socinus* & assectæ ejus *Volkelius*, aliique, istis suis hypothesibus. de Hominis Geneseos & Analysi, *Constitui Hominem ex tribus, Spiritu, Anima & Corpore*: quod perperam satagunt confirmare ex. 1. *Thess.* 5. 23. Cujus loci vindicationem servamus in Disp. Selectam Textualem X V. *Non esse autem ex ipsa Creatione in homine agnoscendum quidquam immortalis vitæ: Mortuos annihilari: Corpus evanescere: Sp. redire ad eum, qui dedit ipsum, ut divinæ particulam auræ, sine ulla extra Deum in se aut per se subsistentia: Animam nec voluptatem sentire nec dolorem: Spiritum non universaliter mortuis restituendum in die judicii. Neque restituendum corpori mortuo, sed alteri novo creato spirituali corpori; consequenter nullam fore reproductionem corporis aut animæ quarum unione constitit hæc vita naturalis. Socinus Epistola ad Volkel. 5. pag. 489. Volkelius lib. 3. cap. 11. Anonymus auctor Belgice versus de statu mortuorum.*

VII.

VII. Fœderis a. cùm Deo capax cenſetur Homo, non quatenus unde ψυχικὸς *Animalis*, partibus ſuis eſſentialibus Anima & Corpore naturam habens completam: ſed quatenus naturæ illi in Creatione impreſſa eſt Dei Imago ſpiritualis: quæ complectitur & Legis, quæ ſpiritualis eſt, opus cordibus inſcriptum Ro. 2. 15. & 7. 15. & Dona ſpiritualia, quibus juxta Legem ſpiritualem Deum colere poterat in Spiritu & veritate, Eph. 5. 24. Col. 3. 10. atque ſic ſancta mentis & voluntatis conſpiratione, cum Deo ſocietatem & amicitiam habere. 1. Cor. 6. 15. cum Amos. 3. 3.

VIII. Quamvis autem Fœderis capacem Hominem, poterat Deus regere ſine ulla Fœderis ſocietate, mero Legis imperio: adeo ut non demum orta cenſeri debeat Hominis obligatio ſub Lege ex voluntate illa œconomica, qua Fœdus ſancivit Deus: ſed in primo naturæ rationalis momento nata, cum impreſſa naturæ Imagine Dei, ac præire Fœderis ſanctioni: Ut ſanciat Deus fœdus ſuum cum Homine, quem jam ſibi obſtrictum & obligatum habet, ipſo Creationis ad imaginem ſuam beneficio: ut Dominus ac Pater Spirituum Mal. 1. 6. Heb. 12. 9.

IX. At contradictionem abſolute implicat, ut ſit vel in natura humana vel in actionibus & officiis ab homine Deo debitis *Sanctitas & Iuſtitia Exlex*, ſine ὑποταγῇ ſeu ſubjectione intellectus & voluntatis ſub Lege Dei: quæ eſt plane ἀθεολογία hæreſis *Seb. Franci & Enthuſiaſtarum*, ex male arreptis locis 1. Tim. 1. 9. & 2. Pet. 1. 4.

X. Periculoſa quoque eſt illorum opinio, qui exiſtimant, *Non juberi Lege Iuſtitiam & Sanctitatem naturalem*: quia ſcilicet non natura, ſed perſona tantum, reſpectu actionum ſuarum, Legi ſubjecta ſit.

XI. Huic ergo æternæ & immutabili Legis naturæ obligationi ſupervenit *Fœdus*, per ſtipulationem obedientiæ, jam ante debitæ, ſub libera Mercedis repromiſſione: Adeoque non ſtipulatur Deus in Fœdere ullam obedientiam particularem; ad quam non eminenter naturam hominis obliget Lex illa regia & Spiritualis. Rom. 7. 14. Jac. 2. 8. quippe quæ in æternum obligat ad omnia univerſalis Juſtitiæ officia, quæ unquam pro re nata præſcribi & imperari poſſunt, ex tota anima, & ex omnibus viribus Marc. 22. 37. &c.

XII. Addit autem Fœdus, ſtipulationi obedientiæ, reciprocam à Deo Promiſſionem mercedis; quæ ſuperaddita beneficiis jam collatis in naturæ creatione, arctius ſtringit Religionis naturale vinculum: Atque ſic augeſcit obligatio ad debitum obedientiæ & ſubjectionis ſub Lege.

XIII. Conſequenter *Repromiſſio mercedis* hic intelligitur non conſtare Remuneratione iſta minima, qua *Amorem ſuum Deus perennat Creaturæ Rationali, in Officio erga Creatorem cum humilitate ac fiducia perſeveranti*: Quæ hic non cenſetur *Fœderalis promiſſio*, quia non videtur Deus, per ſuam naturalem Juſtitiam, poſſe minus amare creaturam in bono perſeverantem, quam, ut ne abroget, nil tale merenti benedictionis ſemel datas.

XIV. Enimvero requiritur hic *liberæ voluntatis remuneratio ac liberalitas major quædam & abundantior; ſed tanta, quantam homo ſibi polliceri non poterat ex jure Dei per Legem naturæ cognoſcibili.* Quapropter hæc liberalior & Fœderi congruens remuneratio, alia eſſe nequit, quam futura μετάβασις Hominis in vitam æternam cœleſtem, anima & corpore glorificatis fruendam.

XV. Complectitur quidem Promiſſio Fœderis etiam *hujus vitæ* benedictiones, 1. Tim. 4. 8. verum tamen Promiſſionis fœderalis principale donum eſt *vitæ futuræ*: illæ autem vitæ præſentis benedictiones ſunt acceſſoriæ ſeu τῆς διαθήκης προσθήκη Fœderis additio ſeu acceſſio & adjectio. Matth. 6. 33. Joh. 6. 27. cum Luc. 22. 29.

XVI. Juxta præcedentes conditiones hæc eſt mutua & reciproca conventio Fœderis: Ut homo intuitu promiſſæ mercedis alacrius operetur; & Deus intuitu operis det mercedem. Ac minime hic cenſendus eſt Amoris & obedientiæ affectus mercenarius, quod homo *intuitu mercedis* alacrius operetur: Quia nuſquam Scriptura in vitio ponit congruentem Fœderis conventioni intuitum in μισθαποδοσίαν mercedis retributionem, ſed facit illum characterem vere fidelium Hebr. 11. 6. 26. & Chriſti ipſius exemplo commendat Heb. 12. 2. cum Joh. 17. 1. *Vide Diſp. Sel. VII. Theſi 6. 17.*

XVII. Se autem in Fœdere ipſe debitorem facit Deus, ut Homini operanti intuitu mercedis, ipſe intuitu operis det Mercedem.

Non

Non quod mercedem debere possit operanti, per se, ex operis usu aut pondere, sed ex pacto & conventione Fœderis libera & liberali: Extra enim hypothesin Fœderis & liberalis promissionis, Meritum & Dignitas Creaturæ Deo obedientis nulla est, qua vel ex Congruo vel ex Condigno mercedem flagitet, Luc. 17. 9. 10. Rom. 11. 35. Job. 35. 7. Matth. 20. 15. Ex pacto autem & conventione Fœderis posita, datur, (ex hypothesi si obedientia perfecte præstita sit citra ullam conditionis in eo requisitæ omissionem,) *Meritum*, licet non æquivalenter appreciatum sua intrinseca dignitate mercedi vitæ æternæ: Sic tamen ut Merces operanti imputetur ex debito, non ex gratia. Rom. 4. 4. *Vid. disp. sel. VI. Thes. 7. & seq.*

XVIII. Habet se Fœdus, jam definitum & explicatum juxta primævam institutionem divinam, ut Genus Analogum, quod nullam quidem in species vere ac proprie dictas distributionem admittit, interim tamen, quia & Antiquatum & postliminio instauratum est, recipit *Veteris* & *Novi Fœderis* differentiam: Ac rursum ex quo instauratum est, à varia externa & visibili Fœderis œconomia divina, Veteri ante Christum & Nova post Christum in carne manifestatum, secundariam habet subdistinctionem, qua Vetus illa œconomia, *Vetus Fœdus*, Nova œconomia, *Novum Fœdus* dicitur, *appellatione metonymica.*

XIX. Hic præcognoscendus τρόπος παιδείας institutionis modus Script. S. familiaris, maxime in Epistolis ad Galatas & ad Hebræos: ut quod ἀνταλλάξει metonymice enunciatur de externa Veteri aut Nova œconomia Fœderis instaurati: id propria loquutione verificetur in prima Veteris antiquati & novi instaurati Fœderis Spiritualis differentia: propter parabolam seu repræsentationem spiritualis Veteris & Novi Fœderis, varie temperatam, variata visibili œconomia.

XX. Propria ergo non Metonymica appellatione *Vetus Fœdus* vocamus Fœdus explicatum, applicatum primo homini, in primæva ejus ad Imaginem Dei creatione, ac vestitum certa & limitata œconomia, quæ Deo visa fuit, conveniens primæ Fœderis initiationi, & quæ lapsu primi hominis antiquati est, cum ipsa Fœderis antiquatione.

XXI. Secundum illam primævam œconomiam Fœderis, à qua Vetus denominatur, in considerationem venit, ut pars cum Deo contrahens, Adamus primus, & quidem bifariam: 1. Ut Persona singularis, sed unâ. 2. ut Parens ac stirps totius generis humani: quomodo illum proponit Apostolus Rom. 5. ut hominem unum, sed qui secum involvit omnes posteros: juxta benedictionem ipsi conjugato cum Eva datam, ex lumbis ejus nascituros, ex voluntate viri & voluntate carnis Gen. 1. 28. cum Joh. 1. 13. Intelligimus enim, cum hic unum Adamum dicimus, conjugatum cum Eva: facti enim sunt in carnem unam. Gen. 2. 24.

XXII. Cum uno autem illo Deus iniit Fœdus, simul ipsius & posterorum ipsius nomine: sic ut Obedientia ipsius singularis, considerata in ipso, ut stirpe & parente omnium, communis esset usu ratione ramorum; quam communem totius generis humani in lumbis Adami repræsentationem ex Vet. Fœdere docet Apost. affirmans omnes esse in Adamo violati Fœderis reos: Uno Homine, Christo excepto: qui, ut non nasciturus vi benedictionis Adamo conjugato datæ, nec debuit esse aut benedictionis aut maledictionis hæres ex Adamo primo.

XXIII. Conditiones Fœderis Adamo præscriptæ, quæ suam demonstrationem habent ex natura Fœderis jam suppositæ, sunt istæ: 1. Conservatio in natura omnibusque naturæ facultatibus, conformitatis illius omnimodæ cum Lege Dei, quam Deus ipsi inseverat per creationem ad suam Imaginem. 2. Constans & perpetua ejusdem expressio in actionibus omnibus, & operibus. A posteriori illa Operum Justitia activa, qua ipsa per ὑποταγὴν omnium facultatum, sub Lege sapientiæ & voluntati divinæ conformatur; oritur hic Veteris Fœderis appellatio, qua *Legale Operum Fœdus* appellatur, præeunte Apostolo per Antithesin Operantis & Credentis, item Operum & Gratiæ Rom. 11. 6. & 4. 4. 5.

XXIV. Ad Legalem autem ex Operum Justitia Justificationem, (qua Operanti merces imputaretur non ex gratia, sed ex debito,) Lex Spiritualis flagitabat ab Adamo, Perfectionem trinam obedientiæ, 1. *Perfectionem graduum*, ut videlicet præstaretur obedientia ex principio perfecte sancto, justitia inhærente ac propria à primæva creatione conservata Matth. 22. 37. Luc. 10. 27. cum

cum Rom. 10. 3. Phil. 3. 9. Tit. 3. 5. 2. *Perfectionem partium*; ut esset justitia Universalis, sine ullius particularis Justitiæ exceptione, adeoque si in uno laberetur omnium reus esset. Deut. 27. 26. Iac. 2. 10. 3. *Perfectionem perseverantiæ*, sine ulla obedientiæ incisione aut intercisione, seu totali aut finali defectione. Ut si vel semel laberetur & deficeret à Justitia, nulla foret prioris Justitiæ recordatio. Ezech. 18. 24. & 33. 12. Atque secundum trinam hanc perfectionem Justificatio Legalis non admittit in Obedientię operum æstimatione veniam aut conniventiam ullam, Lex non est ex Fide. Gal. 3. 12.

XXV. Accessit autem ad Legem spiritualem, (qua necessario constat Fœderis conventio, propter naturæ humanæ obligationem,) *Legislatio Pacti pœnalis arbitraria & symbolica*, qua, mandato per se carnali, Deus interdixit Adamo & Evæ, ne ederent de fructu arboris scientiæ boni & mali, adjecta mortis comminatione, Gen. 2. 17. Arbitrariam illam mandati carnalis Legislationem symbolicam vocamus, quia mandatum illud relationem habuit symbolicam ad *Legem spiritualem charitatis*, atque sic, quamvis per se carnale, usu suo fuit spirituale, ad explorandam spiritualis obedientiæ Perfectionem. ut si in hoc uno laberentur, omnium rei essent.

XXVI. In *pacto* autem *pœnali subserviente Fœderi spirituali*, non (sicut Lex de arbore scientiæ boni & mali,) pariter arbitraria fuit Pœnæ mortis comminatio: Quia habet significationem justitiæ & Sanctitatis Dei, qua non potest non odisse peccatum, nec potest frustra odisse, scilicet ut quod odit, non vindicet: Qua propter etiam cessante & Fœdere ipso & pacto pœnali, & omni revelatione supernaturali, in iis, qui sola naturæ luce ducuntur, non potest obliterari, aut ex conscientia deleri, hoc opus Legis cordibus inscriptum, quod mortem minatur. Rom. 1. 31. & 2. 15.

XXVII. In pœnæ comminatione illa *Morte morieris Gen.* 2. 17. Mortis significatione mixta ac composita, per synecdochen quandam comprehenditur, & mors proprie dicta, quæ est Vitæ animalis ex animæ à corpore separatione privatio, & altera improprie dicta Animæ mors spiritualis, per quam homo abalienatus à vita Dei, Eph. 4. 18. & Rom. 3. 23. tandem & Anima & corpore à Deo perditur æterna perditione. Qua ratione Mortis no-

men passim usurpatur, quando accersitum peccato nominis supplicium definitur. Rom. 6. 23. cum Matt. 10. 28. & 25. 41. 46. & Apoc. 21. 8.

XXVIII. Liquet autem non principaliter nec præcise denunciatam Mortem proprie dictam actu infligendam, ex damnanis illis ad mortem, quos viventes offendet extremo die Judex Christus, in quibus Mortem primam absorbebit mors secunda, & abunde compensabit: præter compensationem etiam istam, quod ipsa Morte prima acerbior est, misera vitæ Animalis servitus, qua Homo metui mortis per omnem vitam est obnoxius. Heb. 2. 15.

XXIX. Attamem Mors illa proprie dicta non nisi per peccatum mundum ingressa est. Rom. 5. 12. adeo ut ne à peccato quidem per Christum plene liberati censeri possint fideles, si non tandem in Resurrectione corpora ipsorum sint liberanda à Mortis dominio. Rom. 8. 23. cum 1. Cor. 15. versibus 13. 17. 18. 21. 22. 56.

XXX. Non ergo absque syncretismo cum Epicuræis Socinianorum, (de Animæ mortalitate, vel nocte una perpetuo dormienda,) hypothesibus jam indicatis *Thesi VI.* Remonstrantes in *Apologia Confessionis cap. IV. pag. 57. versa.* negant *verba Morte morieris, vel verisimiliter postulare, aliam mortem, quam sine pœna æterni sensus, Mortem corporalem sive dissolutionem animæ & corporis, quam præcedunt mala omnia ad mortem disponentia: & quam deinde æterna pœna damni, id est, divinæ visionis sive gratiæ & gloriæ æternæ privatio subsequitur.*

XXXI. Quod jam ad Promissionem Fœderis Adamo datam attinet? non quidem exstat expressum ejus verbum in Mosis historia: Attamen habuisse Adamum primum *promissionem vitæ æternæ gloriosæ in cœlis degendæ*, demonstratur ipsa Fœderis definitione jam explicata, Thes. XII — XV. Et est altera demonstratio solida ista: Aut nullam unquam fuisse Theologiam Legalem de Justificatione operantis, & danda mercede vitæ æternæ, non ex gratia, sed debito: adeoque nunquam verificari potuisse Scripturæ affirmationem, locis istis Levit. 18. 5. Gal. 3. 12. Matt. 19. 16. Marc. 10. 17. Luc. 10. 25. Aut fuisse ante lapsum: quia post lapsum non est data Lex, quæ posset vivificare Gal. 3. 20. Locis enim

enim indicatis contineri promissionem vitæ spiritualis æternæ in cœlis degendæ negari nequit,

XXXII. Accedit tertia demonstratio ex Arbore vitæ in medio Paradisi Gen. 2. 9. quia illa Sacramentum fuit, mansionis beatæ in tertio cœlo, cum fruitione æternæ beatæ vitæ, sub conditione perseverantiæ in obedientia: quod evincit collatio loci Gen. 3. 22. cum 2. Cor. 12. 2. 4 Luc. 23. 43. & Apoc. 2. 7.

XXXIII. Quamvis ergo, si non peccasset, Adamus moriturus non fuisse, adeoque perennanda ipsi fuisset vita animalis, non dissoluta unquam animæ & corporis naturali unione. Attamen hallucinantur quicunque opinantur non alterius vitæ æternæ promissionem Adamo factam, quam *vitæ Animalis in Paradiso æternum degendæ*: Superinduisset enim Animali vitæ decursio in terris obedientiæ curriculo, quod ipsi præfiniisset Deus, vitam spiritualem æternam in cœlis degendam: quemadmodum (exemplo Christi ex mortuis excitati,) in resurrectione mortuorum, salvandi vitæ quam hic vixerunt in carne restitutæ, non exutæ superinduent dictum jam æternam in cœlis degendam vitam spiritualem.

XXXIV. Frustra autem vel hæresi Pelagii *de Adamo morituro etiamsi non peccasset*: vel errori *de Promissione Adamo facta Vitæ Animalis æternæ, non Spiritualis, in Paradiso, non in cœlo degendæ*, patrocinium quæritur ex loco Apostoli. 1. Cor. 15. 45. 46. 47. &c. Quod scilicet hæc sit *Antithesis Adami & Christi, quod prior ille homo factus est in animam viventem; & habui corpus ψυχικὸν Animale, Christus vero factus Spiritus vivificus sit vitæ spiritualis primus fons, & vitæ cœlestis, quam jam in cœlis vivit, primus auctor.* Nequaquam enim inde sequitur vitam cœlestem & spiritualem æternam, cujus Christus primus fons & auctor non fuisse in hoc Veteri Fœdere primo Adamo promissam, sub conditione si perstitisset in obedientia. Hoc tantum consequens est, Adamum, quia deseruit justitiam, violato fœdere, à promissione fœderis excidisse: Christum vero impleta omni justitia promissionem obtinuisse, & corpori suo animali, vitæ cœlestis gloriam superinduisse, quam Adamus non fuerat assequutus.

XXXV. Corpus autem ex prima Creatione Adami mortale aut corruptioni obnoxium: ac tale cui animato per suam animam

ipsi

ipsi unitam naturali unione, non posſit superindui immortalitas & incorruptibilitas, sed cui mortuo aliud corpus spirituale sit substituendum, nullis fidiculis exprimi potest ex. 1. Cor. 15. versibus 40. 42. 44. ubi non docet Apostolus, corpori animali ex prima creatione propriam esse corruptionem & moriendi necessitatem: sed de sepultura loquitur, quam comparat sementi versibus 36. 37. 38. affirmans illud seminari in Corruptione ignominia & infirmitate, quod terræ mandatur jam mortuum: per maledictionem ingressam, quæ corpori vitam animalem cripit, in resurrectione restituendam, & cumulandam super naturali gloria 1. Cor. 15. 53. 54.

XXXVI. Habuit porro Adamus ultra Promissionem illam vitæ æternæ cœlestis, promissiones illas hujus vitæ omnes, quas synoptice expressas Josepho precabatur Jacob. Gen. 49. 25. Benedictiones cælorum superne: (pluviam & rorem distilantium) Benedictiones Abyssi subjacentis: (id est, fontium rivorum & pinguedinis soli,) denique Benedictiones urberum & vulvæ. Etenim commemorantur 1. Amœnitas & fertilitas Paradisi quatuor fluminum scaturigine irrigui Gen. 2. & seq. 2. Dominium in creaturas Gen. 1. 26. 3. Liberorum propagatio in matrimonio Gen. 1. 28.

XXXVII. Spectant Benedictiones illæ cunctæ earumque promissiones ad vitam hanc Animalem: hoc tamen discrimine, quod postrema de liberorum propagatione fuerit mixtæ naturæ, quatenus una cum vita Animali propagandæ erat dotes spirituales: quemadmodum jam violato Fœdere hæreditaria est liberis Adami, ex voto maris fœminæ nascentibus, nuditas & inopia Spiritualis.

XXXIIX. Inter Promissionem autem principalem illam vitæ æternæ cœlestis, & Promissiones istas accessorias, quæ & quatenus ad vitam animalem spectant, observanda hæc differentia, quod (ut Iureconsultorum voces mutuemur) in principali illa promissione, *Conventio fuit nuda, & carens causa & negotio*: neque enim ante cœpisset habere causam & negotium, quam Adamus peregisset cursum obedientiæ: in Promissionibus autem minus principalibus vitæ hujus, negotium acquisitionis non ita pendens, sed quasi

quasi perfectum fuit: adeoque fœderis conventio facta, non tam ad illa aliquo merito acquirenda, quam ne illorum jure jam quæsito excideret, suo, ut Scholastici loquuntur, demerito.

XXXIX. Minime autem illud rapiendum ad negotium Promissionis principalis, neque asserendum cum Greg. de Valentia,

Fuisse illum effectum formalem charitatis Adamo infusæ; & primum quidem in ordine ad finem supernaturalem, quod reddebat hominem ita gratum & acceptum Deo, ut tanquam filius adoptivus haberet jus ad supernaturalem beatitudinem, veluti ad hæreditatem paternam. Ex hac enim hypothesi consequens esset, bona opera Adami non fuisse requisita ad vitam æternam acquirendam, ut mercedem: sed tantum ne excideret ab adoptione, & ne jure mereretur exhæredari. *Filio enim Dei adoptivo hæreditas ante omnia bona opera jure adoptionis debetur,* teste *Bellarmino de Iustif. lib. 5. cap. 17.*

XL. Præposterum autem est, & præter Scripturæ phrasin, quod *Adamus in statu integritatis* dicitur fuisse *Filius Dei adoptivus.* Adoptio enim ubicunque in Scripturis docetur, constituitur actus Dei Patris, nostri miserentis & nos dignantis Novo fœdere Gratiæ: Quapropter non convenit Adamo primo titulus filii Adoptivi: quia adoptio est novi juris, ad quod non spectat prima creatio, aut naturæ ex prima creatione propagatio, à qua Adamus dicitur Dei Filius Luc. 3. 38. & nos Dei Genus Act. 17. 28. 29.

Addenda Ad Thesin VI.

Recenset *Damascenus in hæreticorum Catalogo Thneto-Psychitas, qui Hominum animos pecudum animis similes inducerent, atque eos una cum corporibus dicerent interire.* Hi existimantur illi esse, quos *Augustinus Hæresi 83. Arabices* vocat, ex *Eusebio* arcessita historia *Eccl. Hist. lib. 6. cap. 27.* ad annum 247. quia illos edidit Ferax hæresco Arabia. Vnde mendosa videtur in *Gennadio de Eccl. Dogm.* lectio *Aratus* pro *Arabs. cap. XVI. Solum, inquit, hominem credimus habere animam substantivam, quæ exuta corpore vivit & sensos suos atque*

nigenia vivaciter tenet. Non cum corpore moritur, si ut Aratus aut Epicurea vanitas asserunt: &c.

Hanc Arabicorum Epicuream hæresin, existimantut in Syriam & Persidem ipsam diffudisse, atque alii *Monophysitarum* alii *Manichæorum* hæresi cumulasse, quarum hæresium odio & à *Gennadio* circa annum 490. & à *Concilio Constantinop. IV. quod habetur Oecumenicum VIII. Actione X. Can. X.* ut hæresium latibulum damnata & Anathemate proscripta est hypothesis de Animis duabus, quæ nonnullis tamen per se tolerabilis, quin tuendæ Animæ Immortalitati oportuna videtur. Fruantur illi suo sensu: Nos tutius censemus statuere, esse unam Animam rationalem, quæ sensitiva quoque & vegetativa virtute prædita sit: &, quia illam de pluribus Animabus opinionem nulla Scripturæ demonstratione subnixam credimus, non omnino contemnenda aut negligenda sequentia præjudicia.

Gennadius.

Neque duas Animas esse dicimus in uno homine sicut Jacobus & alii Syrorum disputatores scribunt: Unam Animalem, qua animetur corpus, & quæ immixta sit sanguini; & alteram spiritualem, quæ rationem ministret: sed dicimus Unam esse eandemque Animam in homine, quæ & corpus sua societate vivificet, & semet ipsam sua ratione disponat, habent in se libertatem arbitrii, ut in suæ substantiæ eligat cogitatione, quod vult.

Concilium Constantinopolitanum.

Cum Vetus Novaque Lex testamenti doceat unicam homini ratione intelligentiaque pollenti esse Animam, eandemque sententiam patrum omnium & Doctorum sanctorum Ecclesiæ doctrina firmet: sunt tamen, qui dictitent duas homini esse Animas, & quibusdam vitiosis ratiocinatiunculis & epichirematis sectam stabiliunt: Sancta hæc & œcumenica Synodus hujus impietatis conditores, cum tota secta sua, Anathemate damnat: exetraque voce dicit, Quicunque post hac contraria senserit, Anathema esto. *Vide Concil. General. edit. Biniana Tom. 2. pag. 896. ad Annum. 869.*

DISP.

DISPUTATIO II.

DE

Fœdere Operum Veteri,

Antiquatione.

THESIS I.

SUbnectimus Disputationi de Veteri Fœdere Operum cum Adamo primo, hanc de ejusdem Fœderis Antiquatione divina, quæ hominis transgressionem sequuta est: Docet hanc ipsa Veteris & Novi Fœderis appellatio; *Dicendo Novum antiquavit prius, quod autem antiquatur & senescit prope interitum est. Hebr. 8. 9.* Si ergo dicimus Novum Fœdus Gratiæ, dicimus Antiquatum Vetus Fœdus operum: non minus, quam Antiquatam dicimus Veterem œconomiam Fœderis gratiæ Mosaicam, & vetustissimam ante Mosem, quando Novam vocamus œconomiam Euangelicam ejusdem Fœderis gratiæ, post Christum exaltatum. *Vide antecedentis Disput. Thesin 19. & 20.*

II. Quando a. asserimus antiquatum Vetus Fœdus Operum cum Adamo primo, non dicimus abolitum id, quod Veteri Fœderi Operum tanquam ejus materiale substratum fuit, Jus Dei in creaturam humanam, & Legem naturæ secundum quam facta est ab initio Fœderis conventio: Est enim Jus illud Dei minime temporarium, sed æternum atque immotum, quod ut antegreditur omnem Fœderis conventionem; ita non potest Deus illi unquam renunciare, neque per veritatem, neque per justitiam suam Exod. 23. 7. Amos. 3. 2. Cor. 6. 14. Ac pariter æterna & immota est Lex seu norma illa, quæ à natura humana flagitat, eique præscribit, amorem justitiæ & odium injustitiæ.

III. Verum Antiquatio Veteris Fœderis Operum dicit primo & principaliter, abolitam Fœderis rationem formalem, quæ sita est in conventione ejusmodi, qua debitorem se fecit Deus, homini facienti debitum officium; per promissionem liberalem mercedis vitæ æternæ cœlestis, acquirendæ merito perfectæ obedi-

entiæ propriæ. Quod nobis porro illustrandum & confirmandum.

IV. Etiam post promulgatum Fœdus Novum, Lex illa, secundum quam facta est veteris fœderis conventio, fœdifragos obligat ad integram sui obedientiam: ut nisi Christus obligationem illam in se recipiat, Debitores maneant totius Legis servandæ, Gal. 5. 3. Quin cumulatur prima illa & principalis obligatio (ad quam hominis habilitas consideratur non antiquatæ, sed initæ conventionis tempore) obligatione alter, antiquatæ conventionis tempore orta; qua pœnam debent.

V. Hallucinantur hic, qui antiquato Fœdere Veteri operum existimant abrogatam obligationem illam & Principalem, ubi est altera obligatio ad pœnam: atque Hominem peccatorem pronunciant non obligatione utraque, sed tantum alterutra, nempe, *aut ad perfectam Legis obedientiam, aut ad pœnæ solutionem*, refelluntur illi & testimonio Apostoli jam laudato; & impingunt in ipsam Fœderis definitionem, quæ flagitat, ut fœderis conventio fiat secundum naturam & legis dispositionem, seu jus naturale, quod præsupponitur, ut constans & immotum.

VI. Distinguen sergo hic duplex, in Veteri Fœdere operum, Usus Legis; prior est ipsa Fœderis conventione prior, æternus & immutabilis, ut sit norma juris divini, docens naturam rationalem, intellectus & voluntatis ὑποταγὴν, ad amorem justitiæ & odium injustitiæ: Alter Legis usus inserviens conventioni Fœderis Operum ad Justificationem, & adquisitionem mercedis æternæ, ex perfecta naturæ & operum Justitia, temporarius & mutabilis, ac post transgressionem hominis mutatus in contrarium, ille est, qui ista Scripturæ affirmatione commemoratur Victurum hominem ex Mandatis, Legis, qui ea fecerit. Lev. 18. 5. Ezech. 20. 11. Gal. 3. 12. Matth. 19. 17. Mutatus autem in contrarium asseritur, Scripturæ negatione illa, *Non fuisse datam legem, quæ posset vivificare*, Gal. 3. 21. Cui negationi geminum est, quod Legi seu Fœderi Legali tribuitur τὸ ἀδύνατον seu impotentia Rom. 5. 6. Matth. 19. 25. 26. Magis autem propria loquutione affirmante, vocatur Lex Potentia peccati ad condemnationem. 1. Cor. 15. 56.

VII.

VII. Facta abrogatione & antiquatione ista veteris Fœderis, perperam dicitur Facta Adami, ut Filii Dei adoptivi exhæredatio: (neque illam assertionem flagitat, appellatio Filii Dei Luc. 3. 31. cum 23. quæ tantum notat primam creationem à Deo ad Imaginem Dei, nec dicit hæredem futurorum bonorum.) Tantum enim fuerat Adamo per Fœderis conventionem aditus patefactus ad vitam æternam æquirendam, merito perfectæ obedientiæ, quam non est emensus: at nullum jus quæsitum: *Vide Disput. antecedentem Thesi* 32.

VIII. Ex legibus autem confœderationis Adami cum Deo, pro se & posteris, quando ipsi fœdifrago ablata est spes vitæ æternæ ex veteri conventione acquirendæ; facti sunt una cum ipso posteri ejus in ipso Extranei à pactis promissionis, spem non habentes, quin ἄθεοι sine Deo in mundo Eph. 2. 12. id est, non amplius Fœderis societate Deo agglutinat, quippe non populus Hos. 2. 23. Inimici Dei. Rom. 5. 10.

IX. Spei abrogationem justo, sed arcano Dei judicio comitata est ablatio donorum spiritualium, quæ referebantur ad vitam Spiritualem, quibus Deus in creatione naturam cumulate ornaverat. Quæ ita ablata sunt ab Adamo & posteris, ex ipso nascituris generatione carnali ex voluntate carnis, ut omnes nascantur impuri neque introitum habere possint in cœlos aut regnum Dei cœleste, nisi post liminio nova generatione spirituali censeantur in Christo nova creatura. Ezech. 16. Joh. 3. 3 — 7.

X. Præter principalem hanc maledictionem, quæ à Fœderis antiquatione homini incumbit, connexa est illa justa maledictio donorum reliquorum, quæ ad vitam animalem referuntur: adeo ut illa, quę in se & sua natura erant merces & lucrum benedictionis divinæ, jam sint ζημία damnum: ipsa vitæ animalis usura. Marc. 14. 21. Matt. 26. 24. Dominium in creaturas, ad usum vitæ animalis. Rom. 14. 23. Denique Omnia. Tit. 1. 15. confer. Matt. 6. 5 16. Phil. 3. 7. & Mal. 2. 2.

XI. Est autem notanda hic differentia inter Maledictionem illam principalem, & istam minus principalem: Quod ille quidem in nihilum redigitur, & negotium pendens acquisitionis vitæ æternæ, & possessio donorum spiritualium: Hic a. acquisitio non

simpliciter redigitur in nihilum. Locum hic habet, quod de Pactis & conventionibus humanis docent Iurisperiti : *Etiam multa semel constituta quandoque durare; licet casus exstiterit, à quo incipere non potuisset negotium acquisitionis, sive etiamsi ea res, qua ab initio constituebant obligationem, & sine quibus negotium consistere non poterat, in contrarium versa tales esse desierint.* Sic certe postquam homo dereliquit initum suum, seque avertit à Deo, non potuit ab hac aversione hominis incipere acquisitio ullius vel minimæ benedictionis divinæ: Attamen per Dei benignitatem atque ἐπιείκειαν durat semel à Deo constitutus naturæ ordo, ut creaturæ quamvis peccatrici Deus largiatur vitam, motum & omnia. Act. 17. 26. 27. 28. Sic Veteris benedictionis usurpationé, per Dei longanimitatem, sine justo benedictionis titulo, nascuntur liberi; extra legitimum unius cum una matrimonium ab initio institutum: juxta illud Christi, *Ab initio non fuit sic. Matt. 19. 8.*

XII. Fœderis illam antiquationem hactenus expositam Deus repræsentavit & exsequutus est symbolice, quando interdixit Adamo Sacramentis principalis Promissionis de vita æterna cælesti, abigens illum, & porro arcens ab introitu Paradisi, & Manducatione de Arbore Vitæ. Genes. 3. 22.

XIII. Ad pleniorem illorum, quæ hactenus asseruimus de Antiquato Veteri Fœdere operum illustrationem & confirmationem: Disquisitionem flagitant, quædam ἵνα πρὸς φανῇ seu in speciem contraria Scripturæ testimonia, & alia postulata nonnullorum: Est hoc nonnullorum postulatum. Fœdus illud, quo Deus cum annexa restipulatione ab initio exigebat jus suum ab homine puro & integro, minime fuisse temporarium, sed *æternum.* Fœdus autem temporarium, quod antiquatum olim est, ut Novo locus fieret, esse illud *Fœdus subserviens*, quod vocant, Legislatione Mosaica sancitum: Æternitatem primi illius originalis Fœderis conantur exprimere; ex vulgata appellatione *Fœderis naturæ.* Hinc emergit alterum postulatum: Habere illos, qui sola Naturæ luce ducuntur, sine verbo supernaturaliter facto, per reliquias cognitionis in mente hominis lapsi, non tantum quo, cohibeantur, sed etiam quo ad Christum adducantur: Neutrum largiendum, propter rationes sequentes.

XIV.

XIV. 1. Vulgata appellatio *Fœderis Naturæ*, (qua carere possemus,) inde enata est, quod Fœdere Veteri Operum, obligaretur primus homo, ut Legem ipse impleret, per vires ipsi cum naturæ creatione donatas, ad spiritualem naturæ perfectionem: exclusa omnia venia, aut substitutione Sponsoris: Et quod secundum naturæ Legem fieret stipulatio obedientiæ. Hujus quidem ergo Legis naturæ æternitas notatur ista Fœderis naturæ appellatione: minime autem vel stipulationis negotium illud Vetus, quo excludebatur Sponsor, (nedum restipulatio annexa Spem faciens vitæ æternæ,) indicantur æterna & immota divinitus manere, una cum æterna & immota naturæ Legis obligatione.

XV. 2. Illa *Fœderis naturæ æterni*, & *Subservientis temporarii* distinctione, negligitur ille τρόπος παιδείας seu institutionis modus Scripturæ familiaris, à nobis explicatus *Disp. antecedenti Thesi* 19. 20. juxta quem propriissimè & prima veritate de Originali Fœdere Legali verificatur: duratio illa temporaria Vetus antiquata; quæ secundario verificatur, de Fœderis œconomia Mosaica, quæ per metonymicam Synedochen, à Veteris Fœderis operum δευτερώσει œconemica, Vetus Fœdus appellatur.

XVI. 3. Cognitio illa juris naturalis æterni, quam Deus noluit penitus obliteratam esse in mente hominis lapsi, quo tanquam fræno cohibeatur, si destituta sit omni Traditione Verbi supernaturaliter facti, ut vere sola naturæ luce homo ducatur, neque per se, neque per accidens gignit cognitionem Fœderalis promissionis seu restipulationis, absque qua fœdus nullum est: Quin accedente ad naturælucem institutione ex Lege per Verbum Dei supernaturaliter factum, nulla tamen est Legis Pædagogia ad novum Fœdus ducens; donec ad Legis Catechesin, accedat Verbo aliosupernaturaliter facta, Protheoria Euangelii. *Vide nostram Disp. Selectam XII. de Legis Pædagogia ad Christum.*

XVII. 4. Per illam autem, in Veteri Fœdere metonymice dicto (quod Subserviens vocant illi) Verbo supernaturali Legislationis Mosaicæ factam Veteris Fœderis Legalis δευτέρωσιν (quam etiam statuimus factam ante Mosem traditione Prophetica non scripta; & manere etiam sub Novo Testamento, sed liberam à jugo legis cæremonialis:) non efficitur, nova postliminio

κύρωσις

κύρωσις seu confirmatio Fœderis Legalis cum restipulatione vitæ æternæ debendæ operanti: Rom. 4. 4. Neque reviviscit hominis ante efficacem Euangelicam exhibitionem Gratiæ, *existentia sub Fœdere Legale*, cum spe vitæ æternæ ex Veteri conventione acquirendæ: Sed Vetus sub fœdere Legali existentia ob oculos pingitur; ut quæ peccatori minime queat esse salutaris, minime operanda, & cui etiam re integra, vel redintegrata juxta Veterem conventionem, longe præferenda sit propter salutis certitudinem, existentia sub Novo Fœdere gratiæ, quod in Christum confirmatum est, Gal. 3. 10. Rom. 3. 12.

XIIX. Nec manet ergo sua originali æternitate in Natura; neque per Verbum Legis supernaturaliter factum in Ecclesia, reviviscit Vetus Legale Fœdus operum, ad spem vitæ æternæ; sed antiquatum est & manet, quamvis peramente æterna legis obligatione ad obedientiam, eaque cumulata per obligationem alteram ad pœnam Fœderis violati: Quod porro illustrandum, explicatione illorum, quæ videri possent ἐναλιφανῆ initio capitis VII. ad Romanos: ubi videtur Apostolus asserere, tantisper permanens in natura, vel per Legis saltem catechesin reviviscens Fœdus matrimonii cum Lege Marito, donec succedat una cum istius prioris morte, nova ad novum maritum Christum agglutinatio. Dicimus ergo hic distinguendum inter Fœdus matrimonii inviolatum, quo mulier vivo agglutinatur, & inter vinculum ac nexum quo (etiam rupto Fœdera, & soluta agglutinatione) ex Lege Mosis, adultera manebat ὕπανδρος, ut ipso vivente non posset ipsa ad alias nuptias transire. Jere. 3. 1. cum Matth. 19. 9.

XIX. Si jam animum advertas ad scopum Apost. liquet Apostolum tribus primis versibus, non spectare nudam Thesin illam, quam verba præ se ferunt, (de non mortuo conjuge.) sed vestit eam ista jam indicata hypothesi, in casu matrimonii seu conjugii infausti, quo uxor non tantum generali matrimonii Lege, ad Fidem datam servandam, est ὕπανδρος; sed ultra facta est marito ὑπόδικος, obnoxia, obnoxiam læsæ fidei & fœderis conjugalis, adeoque sub mariti zalotypi indignatione, metu mortis in miseram servitutem redacta: quia & desperata est reconciliatio, qua iterum viro

agglu-

agglutinetur: &, si emancipare se velit à maritalis potestatis servitute, confugiendo ad virum alterum, cui nubat, tantum abest, ut vinculo & nexu liberetur, ut prius adulterium novo adulterio cumulet.

XX. Ex isthoc ergo negotio conjugis adulteræ, (quæ indissolubili nexu & vinculo potestatis maritalis constricta manet, quamvis thori exsors facta: atque ea propter in libertatem asseri non potest quandiu vivit prior maritus) adumbrat Apostolus allogorice negotium Veteris Fœderis Legalis, ut prioris matrimonii nostri cum marito Lege, ac docet nobis decollare spem omnem agglutinationis novæ cum isthoc marito zelotypo; hoc est, juxta primam Legalis fœderis conventionem, reconciliationis cum Deo Legislatore: Atque illud unicum esse caput bonæ spei, quæ non nisi supernaturalis revelationis luce affulget, ut exsurgat, qui, marito isthoc priori, quasi occiso, novo matrimonio nos sibi vindicet: hoc est, ut Christus sua satisfactione à nobis auferens nexum illum Legalis Fœderis nobis exitialem, novo Fœdere gratiæ nos sibi adsertos, Deo conciliet,

XXI. Hinc manat alterius loci illustris 1. Tim 1. 9. concinna interpretatio: Lex Justo non est posita: sed Legis coemptoribus, & qui subjici nesciunt: &c. δικαίῳ νόμος οὐ κεῖται, Significat non fieri in Verbo Dei Legalis Fœderis antiquati διυπέρθεσιν, ut ex Veteri illa conventione Justificationem exspectent Justi & pii: Sed ut illo quasi carcere & servitutis nexu constringantur, injusti & impii. Adeoque κεῖται, idem est, quod ἀντίκειται posita est, hoc est, opposita, sicut positus dicitur obex. Maxime autem ex Dei consilio destinatur ille positus obex impiis justificandis, quasi carcer & servitus pædagogica; ut per Legem Legi moriantur, ac tandem Deo vivant per Euangelii gratiam: Gal. 2. 19.

XXII. Consentanea ergo Scripturæ Sacræ est Assertio nostra; Sic esse antiquatum Vetus Legale Fœdus operum cum restipulatione vitæ æternæ sancitum; ut soluta spirituali cum Deo agglutinatione, & extincta spe vitæ æternæ ex illo Fœdere acquirendæ: maneat tantum indissolubilis sub Lege obligatio & nexus damnationem trahens: donec Deo per Christum agglutinemur Novo Fœdere. De quo Disputatione proxima dicendum.

DISPUTATIO III.

DE

Fœdere Novo Gratiæ, Ejusque Sponsore.

THESIS I.

FOEderi Operum Veteri, propter hominis transgressionem, divina maledictione antiquato, successit Novum Fœdus Gratiæ, ad quod instituta est præsens disquisitio, quo pacto Novum, & quo pacto Gratiæ Fœdus, ex vero appelletur. *Quo pacto N. ex vero appelletur Fœdus Gratiæ*, illius quæstionis determinatio pendet ex determinata in Disputatione antecedenti Fœderis Veteris Antiquatione: Id enim quod antiquari illic non potuit; necessum est, ut in Novo quoque Fœdere sartum tectum maneat, atque hactenus non sit Novum initiatione, sed instauratione, inter Deum & Fœderatos hoc Novo Fœdere Deo conciliandos: Est a. illud, Obligatio gemina nobis incumbens; prior Legis naturæ æterna, secundum quam facta ab initio Fœderis Dei cum homine Spiritualis Vetus conventio: altera priorem cumulans propter Fœderis transgressionem, orta ex Veteri pacto pœnali, qua pœnam debemus.

II. Flagitat ergo Veteris Fœderis antiquatio, ut Novo succedente Fœdere Promissio vitæ æternæ nove instauretur, cum utriusque Obligationis nobis impossibili exsolutione, si non per nos, per alium Sponsorem: Quod ergo in Novo Fœdere, *nove instauratum*, & quod *omnino novum*. succedit, id utrumque una illa principali circumstantia comprehenditur. *Sponsoris seu Fidejussoris à Deo donati substitutione*, qui quoad conventionem principalem nove contrahat idem Fœdum Legale operum, quod Deus ab initio sanxerat cum Adamo primo; una induens illam ex Fœderis transgressione ortam obligationem ad pœnam, quæ nobis incumbebat.

III. *Quod hic omnino novum*, & nova revelatione supra doctrinam Legis aut Fœderis Legalis discendum fuit post Veteris Fœderis

tis antiquationem, *id venit Gratiæ nomine*: à qua Fœdus hoc denominationem habet characteristicam, qua Fœderi Operum Veteri opponitur: quæ multifaria est, & respectu Dei Legislatoris, & respectu Sponsoris, qui nobis Gratiam faciunt. Etenim 1. Nobis parcit Deus, quos ipsos punire posset Joh. 5. 24. Rom. 8. 1. cum Ezech. 18. 4. 32. Dignatur nobiscum etiam Fœderis societatem instaurare, citra ullius justitiæ, quæ in nobis hæreat intuitum Tit. 3. 5. 3. Donat nobis ipse Fœderis Sponsorem, cui in nostri gratiam non pepercit. Rom. 8. 32. Joh. 3. 16. 4. In Sponsore illo nobis donat non tantum liberationem à misera servitute, qua metui mortis per omnem vitam eramus obnoxii, Heb. 2. 15. sed porro nos erexit in spem vivam, & exspectationem vitæ æternæ cœlestis. Rom. 5. 15. 17. 21. & 6. 23. 5. Ipse nos confirmat, & Spiritu S. obsignat in unione cum Sponsore nobis donato. 2. Corint. 1. 21. 22. 6. Sponsor ipse nobis Gratiam facit, & voluntarie pro nobis obito ac præstito & impleto vadimonio. 2. Corint. 8. 9. Phil. 2. 4---- 12. 7. Et testamento condito, quo nos mancupavit cohæredes suos in hæreditate vitæ æternæ nobis suo merito quæsitæ. Hebr. 9. 15. 16. 17. cum Luc. 22. 29. 30.

IV. Offert se ergo hic *Novi Fœderis gemina* διαθήκη *seu dispositio* à Christo expressa Lucæ 22. 29. Prior, qua *Pater Sponsori* διατίθεται disposuit, altera, qua *Filius Sponsor à Patre nobis* διατίθεται disponit promissionem vitæ & gloriæ cœlestis. Priori dispositione dicitur ἡ διαθήκη Fœdus esse à Deo in illum κεκυρωμένη sancitum & confirmatum Gal. 3. 17. Ac manet *vera Fœderis notio*, significans pactum mutuæ Fidei διαλεγόν. Altera dispositione dicitur *Testamentum* nobis conditum à Testatore moriente. Hebr. 9. 14. 16. 17. De priori Fœderis Novi dispositione, quæ inter Deum Legislatorem & Christum Fœderis Sponsorem intercedit, nos autem attingit, quatenus cum illo unum censemur, primo loco tractandum.

V. Ex præcognita jam Hypothesi de Sponsoris substitutione, ad Fœderis olim initiati & antiquati instaurationem, exsurgit initio Demonstratio illa, *Oportuisse Novi Fœderis Sponsorem fieri verum hominem*, quia ab initio partes contrahente fuere Deus & Homo: Mutata enim natura partium contrahentium, sequeretur necessa-

rio secundum aliam alius naturæ Legem, alia Fœderis conventio; minime autem Veteris Fœderis instauratio. Etsi in alia quam humana natura se sisteret Mediator & Sponsor Fœderis, non posset fidejubere de præstandis iisdem officiis obedientiæ, neque posset eodem præmio coronari. Atque hæc est vera ætiologia verborum Apostoli: *Vnus est Mediator Dei & Hominum HOMO Christus Iesus* 1. *Tim.* 2. 5. Quam etiam insinuat idem Gal. 4. 4. quando duo illa copulat nexu individuo, *Factum ex muliere, Factum sub lege*, indicat enim potissimum & principalem incarnationis Christi scopum & finem fuisse, ut in natura illa subjici posset Legi, cui ὑπόδικος est humana natura.

VI. Hic disquirimus: *An & Cur non debuerit Mediatori aptari corpus aliud, quam quod fieret ex uno illo sanguine, ex quo Deus ab initio creavit omne genus humanum*: cum possit Deus etiam ex lapidibus hominem formare Matt. 3. 9. Censemus autem non debuisse id fieri, ne videretur ipse dedignari genus humanum, atque erubescere nos fratres vocare & membra sua carne & ex ossibus suis Hebr. 2. 11. Eph. 5. 30. cum Esaj. 59. 7. Certe, ex hypothesi, non potuisset in diebus carnis suæ Legem implere ea parte, qua jubet conservari & foveri στοργὴν naturalem, qua homo hominem diligit, ut proximum, & carnem suam.

VII. Succedit Demonstratio altera: *Debuisse Fœderis Sponsorem fieri hominem Sanctum & immunem à peccato*: Quia etiamsi illis, qui Sponsore opus habent, quibus ille substituitur Fœdus, instauratur: Tamen Sponsoris ipsius respectu, non instauratur, sed initiatione prima incipit Fœderis conventio: Est autem certissimum Fœdus Spirituale non posse incipere à peccato, quia quando initum jam est ilico per peccatum dissolvitur: Talis ergo nos decuit Pontifex, qui esset pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus. Hebr. 7. 26. Qui ea propter dicitur Legem Dei habuisse inscriptam in interioribus visceribus Psal. 40. 9. Quippe absque Lege cordi inscripta non futurus Fœderis cum Deo capax, quippe cujus conventio ineunda erat secundum naturæ legem.

VIII. Jam in Christi Sponsoris ut Hominis veri & sancti subjectione sub Lege distinguendum *duplex Subjectionis & Servitutis momentum: primum est in ipsa natura humana, quâ Dei creatura est: alte-*

rum

rum est in conventione Fœderis secundum naturæ Legem: Primum illud in ipsa natura Subjectionis momentum, confirmat Scriptura, Christum Dei Servum nominans Esai. 42. 1. 54. 11, & formam servi nominans naturam humanam assumptam. Phil. 2. 7. Quod porro confirmat & illustrat, Christus dicens, sibi ut Servo autem perforatam, Lege Dei inscripta in interioribus visceribus. Psal. 40. 7. 8. 9. Interpretatio petenda, loquutionis de aure perforata, ex lege typica de aure servis perforanda. Ex. 21. 6. & observandum, quod Apostolus Heb. 10. 5. auris perforationem interpretatur per σώματος καταρτισμὸν corporis efformationem: ut dicamus, cum prima formatione naturæ in matris utero, ἀδιαιρέτως connexam servi formam, qua Christus factus minor patre ipsi in æternum subjicitur, etiam quando Fœderis erit finis. Joh. 14. 28. 1. Cor. 11. 3. cum. 1. Cor. 15. 28.

IX. Alterum momentum Subjectionis Hominis Christi sub Lege est natura posterius, in Personali confœderatione illa, qua pro nobis vadimonium obiit: per quam accessit ad *absolutam & æternam* illa, in natura Subjectionem, altera ad ὑποταγὴν sub lege obligatio *hypothetica*, qua decurrere debuit certum obedientiæ curriculum, *sub spe præmii ac mercedis liberalis in Fœdere promissæ*. Hæc Subjectio terminatur illis, ut Apostolus vocat, diebus carnis Christi Heb. 5. 7. quibus inter homines versatus est, in similitudine carnis peccati. Rom. 8. 3. Absque priori illa obligatione absoluta, alteram hanc suscipere non potuisset. Priorem autem illam sine hac, extra vadimonium pro nobis obitum potuisse suscipi liquet, quia hanc exuit, illa manente & mansura in æternum. 1. Cor. 15. 28.

X. Enimvero ex *Substitutione unius* Mediatoris & Sponsoris *pro omnibus* salvandis & liberandis, ad acquirendum in omnes Dominium Spirituale, & axioma Capitis ac Patris Spiritualis, exsurgit Demonstratio Personæ eminentioris, quam esse queat ψιλὸς ἄνθρωπος: Quippe neque per Obedientiam meri hominis confici poterat λύτρον seu precium Redemptionis omnium, sed flagitat redemptio omnium per unius dignitatem & meritum, ut ipse esset Unus supra omnes, Dominus è cœlo. Psal. 49. 8. 9. cum Actor. 20. 26. &, 2. Cor. 5. 15. cum joh. 3. 31. &. 1. Cor. 15. 42.

XI. Et flagitat τὸ ὁμοούσιον Deitatis cum Patre, illa, inter nos & Sponsorem seu Mediatorem fœderis, relatio ut filiorum ad Patrem regenerationis nostræ Spiritualis Esai. 63. 10. videbit Semen. Etai 8. 18. & Hebr. 2. 13. Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Deus.

XII. Rursus ex *Deitatis in Persona Sponsoris unione hypostatica, cum corne seu natura humana assumpta, exsurgit illud Hominis θεανθρώπου supra Adamum primum in primæva integritate axioma, ad Fœderis novi corroborationem faciens. Quod, secus quam Adamus, Homo Iesus fuit ἀναμάρτητος Impeccabilis, seu immunis à peccati ἁπάτῃ.* Asserimus enim Christum non tantum in natura divina fuisse ἀπείραστον à peccato, seu peccati tentationi haud obnoxium Iac. 1. 13. Verum etiam, quatenus hominem tentationibus obnoxium factum in diebus carnis, tamen nulla tentatione ad peccatum vinci potuisse. Id voluit Apostolus, dicens, illum peccatum non noviſſe, 2. Cor. 5. 21. & tentatum in omnibus, sed absque peccato Hebr. 4. 15. Atque hęc fuit gloriatio contra Tentatorem, Venit princeps mundi & in me ἐν ἐμοὶ non habet quidquam. Johan 14. 30. Atque in hanc sententiam possumus accipere, quod Daniel prædicavit, Justitiam ejus fore æternam; qua scilicet Fœdus esset corroboraturus Dan. 9. 24. cum 27.

XIII. Hic detestanda est Durandi aliorumque Scholasticorum assertio, *Christum potuisse damnari. Durand. in lib. 3. sent. dist. 12. quæst. 2.* Et detestanda Remonstrantium æquitas, an iniquitas; qui dissimulato posteriori, dictant *Scholasticos id asserere sine periculo, Apol. Confeß. cap. 17. & Resp. ad Excerpta Specimine 18.* Contra utrosque militant rationes sequentes ex Unione Hypostatica, quas fusius persequuti sumus *Selecta Disp. I.*

XIV. 1. Posita illa propositione *θεάνθρωπος potest peccare, & potest damnari*; ilico propter Communicationem idiomatum, verificaretur blasphemia illa, *Deus potest peccare, & Deus potest damnari.* 2. Peccatum, quatenus gignit inimicitiam adversus Deum, contradictionem implicat cum Unione Hypostatica, quæ, ut major & fortior naturæ divinæ ad humanam agglutinatio, quam est Societas Fœderis, gignit amicitiam, & arctissimum pacis indissolubilis

lubilis vinculum. 3. Ex hypothesi, si Homo Christus peccet: vel excidit Gratia Unionis, atque sic contra Catholicam fidem negandum Unionis hypostaticæ τὸ ἀχώρισον: Vel soluta Fœderis societate & ingressa naturarum inimicitia salva manet Unio hypostatica: quod implicat contradictionem.

XV. Verum detestanda quoque est Remonstrantium sententia domestica, qui *ita libere* dicunt *à Christo susceptam provinciam obediendi, ut, quemadmodum eam potuit non suscipere, ita potuerit postquam eam susceperat oneri ejus se subducere, atque ita promisso præmio non gaudere aut excidere.* Etenim 1. Assertio illa perimit æternam Christi præordinationem ad obedientiam: 1. Pet. 1. 20. cujus suæ Præordinationis decretum ipse cum Patre condidit, siquidem à Remonstrantibus agnoscitur τὸ ὁμοούσιον Deitatis; illa enim Præordinatio ex hypothesi nulla est; aut non est Christus verus & verax Deus mentiri nescius; aut non est Deus omnipotens, quippe, qui volens ab æterno illam provinciam in persona sua suscipere, non potuerit voluntatem humanam flectere in tempore ad id exsequendum, propter quod natura humana assumpta erat.

XVI. 2. Perimit deinde assertio ista Infallibilem veritatem promissionum omnium Propheticarum divino jure jurando in Scripturis obsignatam de hæreditate benedictionum in Christo: Hebr. 6. 13.---18. Luc. 1. 73. Potuerunt enim ex hypothesi illæ omnes fallere, & fefellissent, contra Apostoli inficiationem, Fieri nō potuisse, ut mentitus sit Deus Patribus ἐπαγγειλάμενος.

XVII. 3. *Provinciam semel susceptam deserere & oneri ejus se subducere*, manifeste est vadimonium deserere, & pactionem à Deo respectu sui ante confirmatam irritam facere: quod ab eo, qui fidejussit absque peccato fieri non potest, ne quidem in pactione, quæ humana tantum auctoritatem confirmata est. Gal. 3. 15. 16. 17. Non ergo elabuntur, quin dicant etiam ipsi, *Christum potuisse peccare.* Quomodo enim absque peccato fuisse humanum illud Christi liberum arbitrium; quod præstare noluisset obedientiam illam, quam per illud se impleturum, à Patre adjuratus, iterato sponderat Filius Dei, inde ab æterno: vel quod manu semel admota aratro respexisset ad ea, quæ retro sunt.

XVII. 4. Si Christus sua vadimonii desertione potuit promisso

misso præmio excidere, eoque non gaudere: vel dicendum est, potuisse naturam humanam hypostatice uniri Deitati, & ἀχωρίστως unjam manere, nunquam gloria coronandam: vel nullam fuisse unionem hypostaticam ἀχώριστον, ante Christi ex mortuis resurrectionem.

XIX. 5. Enimvero per ambages hac adsertione adoptatur *Durandi blasphemia, Christum potuisse damnari.* Damnatur enim saltem ad pœnam damni natura humana, quæ Dei judicio excluditur à spe promissi præmii, quia provinciam semel mandato Dei susceptam deservit.

XX. 6. *Obedientia illa Christi absque subjectione sub Lege*, quam hic asserunt Remonstrantes, *est Non Ens.* Et perperam hic *Legalem Fœderis conventionem principalem* confundunt cum *pacto pœnali superaddito*: qua notione fatemur Christo, utpote, perfecte sancto & justo non esse Legem positam, 1. Tim. 1. 9. Interim non repugnant absolute & per se sanctitati & justitiæ Christi in diebus carnis, comminationes, ut aut non potuerit aut non debuerit pacto pœnali subjici Christus: quia comminiationes per se non dicunt periculum lapsus in peccatum & damnationem, (quod est Remonstrantium πρῶτον ψεῦδος?) sed tantum per se conscientias informant de odio Dei, quo ipse odit peccatum: ut inflammentur ipsæ quoque ad peccati & injustitiæ odium, quæ conscientiæ informatio nihil habet ab homine Christo in diebus carnis alienum.

XXI. Enimvero *de Conditionibus Obedientiæ Sponsori à Lege imperatæ* sic censemus, quamvis limitata quadam œconomia paulo secius determinatæ fuerunt secundum necessitatem præsentem, & hominis θεανθρώπου vires, meri hominis viribus majores: fuisse tamen eminenter imperatas Lege illa Regia, Quæ sancit Charitatem omnem in Deum & proximum, & omnibus viribus, quantumcunque Deus præscripserit: Adeoque *Meritum obedientiæ Christi, quatenus nobis substituti Sponsoris simpliciter consideratum, situm esse in Trina illa secundum Legis rigorem Justitiæ humanæ Perfectione:* Prima est *Gradium*, ex Sanctitate naturæ integra, à prima conceptione constanter conservata: Altera est *Partium*, per successivam Sanctitatis in vita atque actionibus cunctis expressionem accuratissimam,

simam, ex toto corde, ex tota anima; & ex omnibus viribus: Tertia est *Perseverantis patientiæ* in obedientia usque ad curriculi præfiniti terminum. Qua Trina perfectione Justitiæ propriæ, ipse coram Deo suam *Justificationem ex Fœderis conventione debitam obtinuit* Esa. 50. 8. cum Matt. 2. 15. Matt. 5. 17. 18. Joh. 19. 20.

XXII. Quatenus autem in Justitia & Justificatione illa Christi, Christus ut Homo, hominibus substitutus ad Fœderis Veteris Operum instaurationem, consideratur: Non veremur asserere, quod nonnulli negandum censuerunt, *Christum ad eandem obedientiam & justitiam obligatum fuisse in diebus carnis & suo & nostro nomine*; Suo nomine, obligatione æterna & absoluta citra ullum mercedis aut remunerationis intuitum; jure divini dominii in creaturam rationalem: Suo rursum & nostro nomine, ex altera obligatione temporaria, per Fœderis conventionem in dies us carnis suscepta. Neque paradoxa videri debet assertio: cum res manifesta sit in exemplo primi Adami, qui in Veteri Fœdere Operum obligatus fuit ad obedientiam eandem, & suo, & posteritatis suæ nomine, cujus habebatur stirps & caput: Atque hoc id ipsum est, cujus gratia Paulus Christum, ut alterum Adamum, facit Adamo primo antitypum Rom. 5. 14. Quandoquidem nullus potuit esse in primo Adamo typus, cujus antitypum sit in Christi obedientia, quam iste, quod pariter uterque, sed eventu dissimili, Deo fuit confœderatus pro illis, qui in ipso censebantur, ut stirpe & capite.

XXIII. Supereſt *Cumulus & Superpondium Meriti & dignitatis Justitiæ Christi humanæ; manans ex altero Unionis hypostaticæ effecto*, quod hic cognoscendum: Est a. illud, *quod ipse Hæres omnium Heb.* 1. 1. 2. *Dives* 1. *Cor* 8. 9. *Qui proinde, extra vadimonium obitum consideratus qua* Θεάνθρωπος, *se ipsum poterat eximere omni indigentia omnique merendi necessitate*: adeoque in & per naturam humanam à primo incarnationis momento glorioſe exercere Potestatem illam omnem in cœlo & in terra, & Dominium quod jam exercet exaltatus: Quemadmodum neque jam exaltatus Merito suo, sensetur se ipsum ditasse, aut lucrum suum quæsivisse, sed tantum novo titulo sibi vindicasse divitias & gloriam, quam habuit apud Patrem antequam mundus esset: Joh. 17. 5. Phil. 2. 4---12. cum. 2. Cor. 8. 9.

XXIV. Ea propter *neque natura humana assumptio, per se sola, in solidum constituit Christi Exinanitionem, qua Angelis minor factus est:* nam hinc consequens esset Christum in æternum exinanitum manere, & minorem Angelis. Verum Exinanitio Christi statuenda est in susceptione voluntaria illius obligationis temporariæ ex conventione Fœderis: quod expressit Apostolus Heb. 2. 7. 9. bis repetens illud βραχύ τι paulisper, seu ad breve tempus, quando illum dicit minorem Angelis factum. Extra a. illius brevis temporis statum, etiamsi Christus secundum carnem minor sit Patre, minime tamen censetur Angelis minor, sed sanctum illud semen ex Maria natum habuit à primo incarnationis momento excellentioris nominis κληρονομίας, quam est Angelorum, quia etiam vocatum fuit Filius Dei Heb. 1. 4. 5. cum Luc. 1. 35.

XXV. Hanc Exinanitionem illustrat consideratio gemini termini, à quo, & ad quem: Terminum à quo vocamus Personæ Majestatem divinam: & αὐτάρκειαν, qua consummate beata esse poterat etiam assumpta natura humana, & uti ac frui jure illo quod habebat Persona illa, ut Filius & hæres omnium. Terminum ad quem vocamus (ultra illam in ipsa natura humana servi formam) Servitutem illam in diebus carnis toleratam, qua ut pauper servus mercede conductus haberi voluit, ac non nisi ex labore animæ suæ discescere in natura humana: Ac præter illam necessitatem, novo Meriti titulo acquirendi jus vitæ æternæ, libere induit necessitatem patiendi & moriendi: factus obediens usque ad mortem: a. crucis mortem quem utrumque terminum A quo & Ad quem Apostolus prædicat ad commendationem Meriti Christi Phil. 2. 6. 7. 8. quemadmodum pariter Actor. 20. 28.

XXVI. Hac *Exinanitione cumulatâ obedientiâ & Iustitiâ Christi humanâ*, Remuneratio quoque seu μισθαποδοσία mercedis retributio, non nude definiri debuit, promissione vitæ æternæ cœlestis Homini primo factâ in Fœderis Operum Veteris initiatione. Sed pro cumulatiori Merito & Dignitate Hominis Θεανθρώπου, *Cumulatior* μισθαποδοσία *singulari conventione Sponsori promissa, & in exaltatione præstita est.* Modus videlicet & gradus illæ vitæ gloriosæ, qui ipsi conveniens est præ reliquis cunctis membris Ecclesiæ,

ut

ut Capiti, cujus est, in se & à se in communione corporis mystici præstare membris omnibus & singulis vitam & gloriam. Hanc capitis gloriosam prærogativam & eminentiam, tametsi usu nostram, supra mercedem communem ἰσόλιμον vitæ æternæ cælestis, sibi & nobis merito suo quæsitam, sibi uni meritus est Christus, ex Fœderis novi in ipsum confirmati conventione.

XXVII. Censemus autem nihil opus esse excogitare ullam ἀκυρολογίαν loquutionis improprietatem, in explicatione illorum Testimoniorum Scripturæ, quæ Christi exaltationem in gloriam vindicant obedientiæ ejus Merito, qualia sunt testimonia Phil. 2. 9. Heb. 12. 2. Heb. 1. 9. ex Psal. 45. 8. Quod enim ex illis locis nonnulli verentur affirmare, id expressissimum est etiam apud Esaiam cap. 53. 12. ubi promittitur Sponsori Fœderis Christo μισθαποδοσία mercedis retributio. pro eo quod profudit in mortem animam suam, ubi & formula Hebræa תחת אשר Ejus vice Pro eo quod, indicans commutationem illam Justitiæ, qua cum obedientia præstita reciprocatur merces debita: Et res ipsa loquitur, quamvis nulla merendi necessitas extra vadimonium obitum Christo incumberet; tamen per vadimonium obitum, & substitutionem loco nostro, ipsum vere pauperem factum, *ut Vita cælestis Spiritualis gloriosa quam in exaltatione carni suæ superinduit, non fuerit illi tempore initæ conventionis adquisita: sed ejus adquisitio per obedientiæ meritum promissa, ut merces debenda post decursum obedientiæ curriculum, Heb. 12. 2.*

XXIIX. Atque hæc hactenus de Fœderis novi κυρώσει in mediatorem seu Sponsorem dicta sunto, per quam inter Deum & Sponsorem nobis substitutum instaurata est Legalis operum ἀλλαθήκη, de imputanda Operanti mercede non ex gratia, sed ex Debito Rom. 4. 4. instauratio autem ἀμεταμελήτῳ intelligitur, per quam *in Sponsorem confirmatum Fœdus Novum Æternum est, nunquam rursus antiquandum*: quod jam demonstrant abunde confirmatæ duæ istæ hypotheses: 1. Quia nihil Sponsori Fœderis promitti potuit novo Meriti titulo acquirendum, quo persona ipsius ditari posset, supra Vitam & Gloriam illam, quam habuit antequam hic mundus existeret. Joh. 17. 5. 2. Quia non potuit ipse aut

vadimonum semel obitum deserere, aut peccando irritam facere Fœderis conventionem. Obsignant autem Fœderis Novi æternitatem illam, juratæ divinitus promissiones, quibus olim promissum fuit Christo, quod in tempore adeptus est, Sacerdotium secundum ordinem Melchisedeci æternum & ἀπαράβατον: Juravit Dominus & non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedek. Ps. 110. 4. Heb. 7. 21. --- 24.

XXIX. *Altera jam Fœderis Novi διαθήκη seu dispositio*, (quod Thesi IV. attigimus) *Testamentaria est*, qua ad nos manat ex Christi Sponsoris Merito plenissimo Gratia, per quam salvamur. *Novo enim Fœdere gratiæ Deo confœderati nos censemur; non superadditâ* ad Fœdus cum Christo Sponsore confirmatum per Veterem conventionem instauratam *pactione aliqua simili, qua nobiscum transigat Deus, sed gratuita vocatione facta* ad hæreditatem promissionum, quarum Testamentum Christus ratum fecit in morte sua, & quarum jam sequester est in cœlis, puta plenæ cum Deo reconciliationis, & vitæ æternæ. Heb. 9. 15. 16. 17. 18. Antequam divinam vocationem ad Fœderis Novi communionem, per insitionem in Christum (sine existentia in Fœdere actuali) tamen salvandi omnes, etiam nondum nati, Testamento Sponsoris Christi nuncupati & scripti sunt hæredes: adeo ut ipsorum sint promissiones quotquot procul sunt, quoscunque advocaturus est Deus, Act. 2. 39. Joh. 10. 16. Quando a. vocatione divina ad Fœderis communionem advocantur singuli, tunc Deus ipsis revelat, quæ illis gratificatus est in Christo, & quæ illis Christus διέθετο. 1. Cor. 2. 12.

XXX. *Testamenti illius dispositio facta intelligitur, inde ab initio, mundi*, ilico à Veteris Fœderis operum cum Adamo primo antiquatione: ac revelata mox prima illa promissione de Semine mulieris contrituro caput Serpentis Genes. 3. 15. Solide autem confirmata & roborata ac rata facta demum in morte Christi Heb. 9. 15. 16. 17. 18. Hinc, quamvis *in re unicum tantum* sit *Fœdus novum*, quod in relatione ad nos *Testamentum* dicitur, nec possit fieri multiplex, quia æternum est, eique ex quo initiatum est novum aliud succedere non potest: *Tamen metonymice Vetus & Novum Fœdus seu Testamentum* appellamus, Scriptura præeunte, Visibilem Fœderis gratiæ œconomiam, variæ attemperatam in cultu & Reli-

Religione instituta, ad interiorem Legis Pædagogiam, & Gratiæ exhibitionem Euangelicam; pro duplici illa temporum periodo, quarum priori Testamentum nondum erat ratum, Testatore nondum mortuo: posteriori autem ratum factum est per mortem Testatoris, de qua Veteri & Nova Fœderis Novi gratiæ, quâ interiori, quâ exteriori, & visibili œconomia, seu *Testamento Veteri & Novo*, alias cum bono Deo instituetur disquisitio plenior.

COROLLARIA.

HYperbole *nimia est, & Scripturæ veritate destituta, quando etiam supra ipsos Angelos Homo prædicatur, ut* Ens perfectissimum, nobilissimum, & excellentissimum, Deo proximum, Perfectio & finis universi, *Etenim perperam id naturæ humanæ vindicatur, extra illud individuum unicum in Christo naturæ divinæ ἐνυπόστατον.*

II. *Christus non est Mediator Angelorum, sed Hominum tantum* Heb. 2. 16.

DISPUTATIO IV.

DE

Fœderis Novi Testamento.

THESIS I.

VOx *Testamenti* Latina, non alia Græca voce, quam Διαθήκη, à *Theophilo Antecessore in Iustinianeis institutionibus*, ex Græcorum usu traducitur: Et quamvis Græca vox ex Scripturæ usu, re integra, significet *Fœdus* non *Testamentum*, tamen, absque Latina voce *Testamenti*, frustra Latine expresseris mentem Apostoli Hebr. 9 16. 17. quæ sic recte expressa est: *Nam ubi Testamentum est, mors intercedat, necesse est Testatoris: Testamen-*

ſtamentum in mortuis ratum eſt, quandoquidem nondum valet, quum vivit Teſtator. Vox ergo Græca media eſt *Diſpoſitionem* ſignificans, alibi *Fœderis*, hic *Teſtamenti*. Utramque conciliat in præſens, nobis in novo Fœdere Gratiæ ſubſtitutus Fœderis ἔγγυος Sponſor. Heb. 7. 22. ipſe nobis διαθέμενος Teſtamentaria donatione mortis cauſa, (Luc. 22. 29.) illa, quæ Pater, Fœderis legalis inſtaurari cum ipſo conventione, ipſi διέθετο, ut Mercedem operanti imputandam ex debito.

II. Accedit ergo hic *Mediatori* & *Sponſori Fœderis*, alius auguſtior titulus *Teſtatoris*, qui incommunicabilis eſt omnibus ψιλοῖς meris hominibus, quamvis typicis Mediatoribus & Sponſoribus olim dictis: ut qui, per hujus unius Teſtatoris gratiam, promiſſionem æternæ hæreditatis exſpectarunt. Heb. 9. 15. Quem *Teſtatoris* titulum, cum titulo *Legislatoris* confundi minime patitur expreſſiſſima Apoſtoli affirmatio de promiſſione & donatione hæreditatis, cauſa mortis facta. quæ mors hic intercedit ut colophon obedientiæ Sponſoris Chriſti nobis ſubſtituti, & facti ſub Lege, ut nos adoptaremur in filios & hæredes Gal. 4. 4. --- 7.

III. *Teſtamenti* ergo, quod *Fœderi Novo* connexum eſt, myſterium in præſens explicandum: quod duobus capitibus maxime continetur; Prius eſt *pleniſſima in præſens cum Deo reconciliatio*: Alterum eſt *certa hæreditatis vitæ æternæ cœleſtis exſpectatio*: utrumque complectitur Gratia Adoptionis in Chriſto & *Spiritus Adoptionis*, qui *teſtatur una cum Spiritu noſtro, nos eſſe* in præſens *Filios Dei. Quod ſi Filii etiam Hæredes, Hæredes autem Dei, cohæredes a. Chriſti.* Rom. 8. 16. 17. Gal. 4. 4. --- 7. νῦν πνεῦμα θεοῦ ἐσμεν, *Nunc ſumus Filii Dei.* 1. Joh. 3. 2.

IV. Illuſtrandum utrumque & vindicandum per Antitheſin Heterodoxam, in quam hic conſpirant cum Papiſtis, Anabaptiſtis & Socinianis, Remonſtrantes, *de Chriſto Novo Legislatore*, qua etiam, prudenter hi, imprudenter illi, Chriſtum faciunt *Novum Deum* & *novum Adorabile numen*. Quam de Chriſto Novo Legiſlatore Hypotheſin: hic jugulat Gratiæ per Chriſtum factæ contra Legiſlationem, oppoſitio contraria, cum iſthac Scripturæ affirmatione, quod *eſſe ſub Lege* ſecum trahat maledictionem; *eſſe* autem *ſub Gratia* ſecum trahat benedictionem Gal. 3. 10. 18. Rom. 6. 14. 15. cum Gal. 4. 4. --- 7.

V.

V. Gangrænam istius assertionis maxime cernere est & palpare, in Remonstrantium hypothesibus de *Reconciliatione per Mortem Christi* omnibus *Impetrata*, sed non pariter *Applicata*: quâ distinctione Scholastica contra *Amesium* pugnabat *Grevinchovius*. Quam sic populariter explicat *Poppius*: *ut Reconciliatio Impetrata sit, qua Deus factus sit Reconciliabilis. Applicata, qua Deum experimur reconciliatum, quando credentes in Christum ipsi præbemus nos conciliandos Deo: De illa vult loquutum Apostolum 2. Cor. 5. vers. 19. De ista ibidem vers. 20. Illam asserit Christum in morte sua impetrasse: istam tunc verbo & Spiritu suo in nobis efficere, quando nos ad fidem vocat*, ut novus Legislator, *obedientiam mandatorum* suorum urgens, ut *unicum medium nostra cum Deo reconciliationis*, Vide *Poppii Homiliam 2. in Iob. 17. pag. 314. & Consolat. ægrot. ejusdem. pag. 27. 28. & 73. 75. 77.*

VI. Quemadmodum, istius distinctionis mysterio, negatur morte Christi quæsita vel unius individui plena cum Deo reconciliatio, ac relinquitur via tantum patefacta novo legali Fœderi, in quo ipsi nostris operibus Deum, quem *reconciliabilem* fecit Christus, faciamus *reconciliatum*. Sic ne unus quidem agnoscitur Testamento, quod Christus morte sua confirmavit scriptus aut nuncupatus certus & indubitatus hæres vitæ æternæ: quod olim profitebatur *Grevinchovius*, asserens *Potuisse omnibus impetratam esse Redemptionem. & tamen nullis eam applicari, propter intervenientem omnium incredulitatem*: *Dissert. contra Amef. pag.* 14. Et post illum asseruerunt reliqui: *Fieri posse ut Impetratio reconciliationis sarta tecta maneat suisque numeris perfecta constet etiam si increduli omnes morientes, nulli forte essent, qui fructum ejus impetrationis ob incredulitatem suam propriam perciperent. Declar. sent. in Synodo Art. 2. pag*, 285.

VII. Enimvero illa de Deo *reconciliabili* tantùm facto non actu *reconciliato* per Mortem Christi, assertio conciliabilis non est cum affirmatione Scripturæ, de interempta inimicitia, & deleto & cruci affixo ac sublato chirographo, Eph. 2. 15. 16. cum Col. 2. 14. De consecratis unica oblatione in perpetuum iis, qui sanctificantur, ut nulla amplius oblatione pro peccatis opus sit Heb. 10. 14. --- 17.

VIII. Plenissimam autem cum Deo reconciliationem plenius confirmat Legata testamento hæreditas vitæ æternæ Luc. 22.

29.

29. Ego lego vobis, sicut Pater legavit mihi regnum: ut edatis & bibatis in mensa mea in regno: Et quod donationem illam vitæ æternę causa mortis Christi flagitat, Finis destinatus mortis Christi: absque quo frustra esset mortuus Christus, quod absurdum. Gal. 2. 21. Decebat ipsum propter quem omnia & per quem sunt omnia, multos filios in gloriam adducentiam Principem salutis ipsorum per afflictiones consecrare. Heb. 2. 10. Ac Finem illum mortis Christi à Patre destinatum confirmat Mandatum Christo datum, cui se Christus obstrinxit, ut omnes sibi à Patre datos ultimo die suscitaret ad vitam æternam. Ioh. 6. 39. 40. --- 44.

IX. At explicant se Remonstrantes scilicet: Quomodo non ex ipsorum hypothesi frustra potuerit mortuus esse Christus *in Apol. Confess. cap. 2. fol. 103. 104. Cum*, inquiunt, *Christus prædestinatus sive constitutus & datus à Deo, dicitur in Regem & Caput Electorum, eo non significatur, quod aliquos subditos & membra Christi fieri necessarium esset, ne Christus non esset Rex aut Caput: Ac Prædestinatum in Regem & Caput, Regem & Caput manere asserunt, etiamsi nec subditos nec membra habeat, quæ ei obedire velint: Istos enim*, inquint, *ut rebelles, qui se subjicere regno & voluntati ejus non voluerunt, cum ex officio tamen id facere tenerentur, judicabit & puniet, quod Regiæ potestatis in eos signum est.* Dixerant jam *fol. 101. Nec merito Christi glorioso quidquam decederet, etiamsi nemo esset, qui meriti ejus particeps esse cuperet: item: Et sane totus Christi honor in eo situs est, quod salvare possit ac velit omnes sibi obtemperantes: perdere vero ac damnare omnes immorigeros ac parere nolentes.*

X. Verum non patitur Scriptura, ut ex hypothesi Christus foret tantum Dominator & Rex sola rebellium punitione, neque alio honore & gloria coronaretur Christi ad mortem obedientia: Primo quidem, hoc pacto regnante Christo, minime foret satisfactum oraculo Psalmi II. de Uncto Rege super Sion monte sancto Dei: haberet enim tantum regnum in monte Sinai ex Legali fœdere, quo Agar prolem generat ad servitutem: minime autem in monte Sion neque in sublimi Hierusalem, quæ libera est, & mater minime sterilis omnium nostrum, qui secundum Isaak promissionis Filii sumus, non ejiciendi, ut filii ancillæ. Gal. 4. 24 --- 31.

XI. Deinde ex hypothesi ista minime foret satisfactum juratæ

illi

illi promissioni æterni Sacerdotii Psal. 110. Sacerdotii enim functio nulla est, si nulla sit Ecclesia, quam Christus interpellatione semper viva efficaciter servet Heb. 6. 16.---20. & 7. 21. 22.

XII. Porro neque ex Remonstrantium hypothesi foret satisfactum Promissioni illi, qua Pater Christo legavit regnum. Luc. 22. 29. Promissio hæc fuit Esai. 53. 10. 11. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit Semen longævum. & voluntas Domini per manum ejus proseperabitur. Ex labore animæ suæ fructum videbit, & saturabitur, cognitione sui justificabit justus Servus meus multos.* Saturari non potuit Christus secundum promissionem illam, non acquisita sanguine suo Ecclesia propaganda per liberorum spiritualium, quos in gloriam introduceret generationem uberrimam; de qua porro exstat absoluta & minime dubia prædictio, Es. 54. & Ps. 87. futuram olim sub regno Christi admirandam ac stupendam in generatione liberorum fertilitatem Ecclesiæ Catholicæ in Gentibus, in quibus sterilis erat tempore prædictionis.

XIII. Et est illa emphasis verbi *Saturabitur*, ut, nisi fallere potuerit promissio, expleri omnino debuerit Christi se ipsum in mortem devoventis desiderium, de quo mentem suam abunde testatus est Christus, flagitans prolixa ad Patrem precatione Joh. 17. vitam æternam pro illis, pro quibus se in mortem offerebat. Pater, quos dedisti mihi, velim, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut conspiciant gloriam illam, quam dedisti mihi. &c. versu. 14. Quam *Testamentum mentis Christi* etiam necesse est, hic pervertant Remonstrantes. ex hypothesi enim ista, si Satiari potuit Christus regnans sola rebellium punitione, dici poterit in Cruce pendens, Sitiisse ipsorum sanguinem; saltem non sitierit ἀμεταμελήτως saltem animarum, sed tantum Regnum, quomodocunque res caderet, ad animarum vel salutem vel perditionem, exercendum, atque sic tantum quæsiviisse, quod suum lucrum esset: quod est contra testimonium Apostoli. Phil. 2. 4. 5.

XIV. Ipsa ergo Fœderis Novi in Sponsorem seu Mediatorem à Deo Patre κύρωσις jure jurando sanciens *Christi Regnum Sacerdotale*, quod *extra Salvandorum Ecclesiam est Non Ens*, (accedente *Testatione mentis* Christi de fine & scopo suæ in mortem à Patre Traditionis, & à se ipso oblationis.) exhibet Testamento lega-

tam nobis in morte Christi (ut nobis quæsitam, non à nobis demum acquirendam) Adoptionem in Filios & Hæredes vitæ æternæ. Atque ea propter ex Fide Christi pro se mortui, certa est singularum credentium, ex quo crediderunt, consolatio contra mortem & damnationem æternam, cum certa vitæ æternæ exspectione Rom. 5. 17. 21. & 8. 44. Joh. 5. 34. Adeoque, *qui Gratiam Christi morte ejus obsignatam nova Legislatione definiunt, necessaria consequentia Christum negant Sponsorem Fœderis, nobis substitutum sub Lege, ad debiti nostri exsolutionem, & cum illa substitutione pro nobis nostro loco mortuum.* Ad quam substitutionem, mysterium nostræ cum Deo per mortem Christi reconciliationis, apertissime revocat Scriptura, & Sponsoris titulo Heb. 7. 22. & testimoniis apertis. Rom. 8. 3. 2. Cor. 5. 21. cum 15.

XV. Quidquid excipiant de reliquis post Christum mortuum Fidelibus, ut offucias faciant simplicioribus, *Excluditur necessario, per Reconciliationem istam hypotheticam*, qua exspectetur à nova obedientia nostra Categorica & plena cum Deo reconciliatio, excluduntur, inquam, *ab omni reconciliatione per mortem Christi facta, quotquot ante Christum mortuum mortui fuerunt*, contra Apostoli affirmationem expressam, Et ob id Novi Fœderis Mediator est, ut morte intercedente ad redemptionem earum prævaricationum, quæ fuerant sub priore Testamento, vocati promissionem accipiant æternæ hæreditatis. Heb. 9. 15.

XVI. Enimvero isti Gratiæ novi Fœderis thesauri, Testamento illo, quod in morte Christi confirmatum est obsignati, hactenus spectantur, ut in Christo ἀπόκρυφοι reconditi. Sed porro spectanda est *Oeconomia seu dispensatio divina*, qua iidem Salvandis exhibentur, *Testamenti quasi resignati inspectione. Oeconomia illa seu dispensatio divina rursum bifariam consideratur; vel initus in conscientia: vel exterius in Verbi & Sacramentorum ministerio visibili*: unde exsurgit *distinctio Fœderis Externi & Interni*; quæ infra plenius explicanda, *Interior ad conscientiam œconomia Fœderis Novi bimembris est: constat enim primo Pædagogia Legali, deinde ipsa Gratiæ exhibitione Euangelica.*

XVII. De Pædagogia Legali præcognoscendæ hypotheses sequentes. I. esse Prosopopëiam seu Personæ fictionem Rhetoricam,

cam, quando Lex dicitur Pædagogus ad Christum Gal. 3. 24. Intelligendum autem Dei opus, Lege utentis ex suæ voluntatis proposito, ut Fœderi Gratiæ inserviat, (præter & supra ministerium illud, vel quod olim re integra præstitisset ad Justificationem ex operibus, vel quod illis præstat, super quos ira Dei manet, usu illo Justificationis mutato in contrarium per peccatum) gignens agnitionem peccati Rom. 3. 20. ac fungens ministerio mortis & condemnationis, ut Occidens litera. 2. Cor. 3. 6. 7. 8. cum Heb. 2. 14. Etenim ad quærendum Christum compellere quadam Servitute & Carcere, non est proprie nec per se Legis opus, sed Gratiæ supervenientis, qua peccator, paradoxe, per Legem Legi moritur. Gal. 2. 19. Rom. 7. 4.

XVIII. II. Pædagogia ad Christum nulla est, qua per Legem homo Legi mortificetur: Ubi nulla est per Verbum Euangelii proposita Spes, ad quam amplectendam confugere possit conscientia perculsa fluctuans, tanquam ad sacram animæ anchoram Heb. 6. 18. 19. III. Neque ipsa Servitus & Carcer sufficiens ad Pædagogiam esse potest, nisi accedat ad illud Legis opus, in cordibus illorum inscriptum, qui sola naturæ luce ducuntur, nova Traditio Legalis doctrinæ supernaturaliter facta ad κατήχησιν ex Lege ac μόρφωσιν seu informationem cognitionis ac veritatis in Lege. Rom. 2. 2. 18. 20. Absque hac enim auctori Luce, censentur sedere in tenebris: & revera non norunt voluntatem Domini in iis, quæ Lex mandat, quatenus spiritualis est, ut colatur Deus in Spiritu. Luc. 12. 48. Rom. 7. 7---14.

XIX. IV. In Pædagogia ad Christum, Legis κατήχησις eminenter quidem continetur Lege illa, secundum quam facta est ab initio Vetus conventio Fœderis operum: Attamen ira modificata est, ut novam quoque conversionis & Fidei obedientiam dirigat, ejusque sit norma & Canon. Hinc est, quod mandatum Charitatis Apostolus Johannes & affirmat & negat Novum esse: quia per se Novum non est sua origine. attamen Novum est propter novam modificationem, qua attemperatum est Novæ œconomiæ Fœderis Gratiæ. 1. Joh. 2. 7. 8.

XX. Ex istis præcognitis consequens est: Neque per accidens Legem homines ad Christum adducere; si nulla ad Legem

accedat Protheoria Euangelii: sive sola luce naturæ ducantur: sive porro per Verbum supernaturaliter factum didicerint, vel lectione, vel auditu, jus naturæ? quin *etiamsi singulari luce mentes Deus perfundat, ut videant & quantum non solverint, & quam gravem pœnam eo nomine sint commoriti.*

XXI. Est autem illa necessaria hic Euangelii Protheoria, ut postquam homo ex Legis doctrina in examine sui ipsius dicit Legis impotentiam, qua infirmata est per carnem Ro. 8. 3. atque sic adactus est ad abnegationem sui ipsius & justitiæ propriæ, Matth. 16.24. Luc.9.23. Phil.3.8.9. Exhibeatur Deus nolens, ut moriatur peccator, se conventus à peccato Ezech. 18. 23. 32. & 35.11. Et Christus invitans ad se omnes fatigatos & oneratos. Matt. 11. 28. Absque illa protheoria (quæ averruncat desperationem, quemadmodum Lex averruncat securitatem) vel ubi illa exoleta, est & obliterata, neque per Traditionem propagata, nihil effici potest, quod cum salute connexum sit, per Theologiam naturalem, quamvis supernaturali revelatione audita aut lecta roboratam & confirmatam, adeoque Theologia Legali originali cumulatam.

XXII. Est ergo hujusmodi (suppositа Euangelii protheoria) Legis pædagogia ad Christum: Ut detur peccatori, qui necdum didicit sui ipsius abnegationem, sed vel confidit in justitia propria, vel absque seria resipiscentia sibi pollicetur Deum propitium Optio existentiæ, vel sub Fœdere operum juxta Legis rigorem, quo decollat ilico spes promissionis, si non adsit trina illa, Graduum, Partium, & Perseverantię non inciſæ neque interciſę perfectio: vel sub Novo fœdere Gratiæ, in quo, abnegata justitia propria, solida est peccatoris resipiscentis consolatio, de Testamento legata plena cum Deo reconciliatione & hæreditate vitæ æternæ. Per hanc Optionem datam ad convictionem Necessitatis gratię illius, explicanda est Dei cum Judæis ipsi obmurmurantibus contestatio, Ezech. 18. & 33. Et quod obiter hic monemus, Legalem justificationem pectat illud (quod ad tuendam Euangelice justificatorum Apostasiam frustra torquetur:) *Si justus defecerit à justitia prioris, justitiæ nulla erit recordatio*: habet autem Justificationis Euangelicæ, cujus optio suadetur, antithesin, illud, quod peccatori conversо promittitur fore, *ut peccatorum nulla sit recordatio.*

XXIII.

XXIII. *Optio illa data existentiæ vel sub Fœdere operum, vel sub Fœdere Novo gratiæ, non efficit veram existentiam sub Fœdere operum,* illius, qui confidit in justitia propria; sed tantum existentiam sub Servitute & Carcere, qualem flagitat Fœderis operum veteris antiquatio, ad auferendam Spem omnem Justificationis ex justitia prpria. Ro. 3. 19. 20.

XXIV. Quamvis a. Carcer & Servitus illa Pædagogica sit, ad Christum ducens salvandos, hactenus tamen communis est etiam non salvandis: Ut Hæres hic à servo nihil differat. Gal. 4. 4. ac Spiritus ille Servitutis frænans peccatum, permutandus sit. (ad veram cum Deo agglutinationem juxta Fœderis Novi Testamentum,) cum Spiritu adoptionis. Ro. 8. 15. 16. 17.

XXV. Atque *illa demum vera est Euangelica exhibitio Gratiæ Novi Fœderis, quando succedens Spiritui servitutis Spiritus adoptionis testatur una cum Spiritu nostro nos esse Filios Dei,* Ro 8. 16. qui hinc appellatur Spiritus sapientiæ & revelationis per agnitionem Jesu Christi: Eph. 1. 17. quod per illum sciamus ea, quæ Deus nobis est gratificatus. 1. Cor. 2. 12.

XXVI. Neque hanc Euangelicam Gratiæ Novi Fœderis exhibitionem, quam flagitat Testamentaria donatio causa mortis facta, perimunt *Novi Fœderis conditiones, per Legem novo Fœderi attemperatam imperata,* τὸ *Resipiscere,* τὸ *Credere, & praxis charitatis in Deum & proximum:* Istæ enim *conditiones Novi Fœderis Testamento* eo pacto *insertæ* sunt, ut excludantur quidem à promissionum hæreditate non resipiscentes, infideles & impii; Tamen minime suspensa sit salutis dispensatio & donatio: aut sit opere nostro, quo obedientiam præstamus Legislatori, quærendum jus ad promissionem hæreditatis, ut (quod olim *Bertius* dixit) *non alter ad salutem æternam transmittendi simus, quam ut salutis funabili, filum tenuissimum vocationis divinæ lapsabundo gradu insistentes. De sanctor. Apostas. p. 155.*

XXVII. Quid ergo? *insertæ sunt Novi Fœderis Testamento conditiones novæ obedientiæ, Legali quidem schemate,* ad normam Probationis nostri ipsius, & gratitudinis debitæ, ne absque veris Filiorum Dei characteribus exploratis, nobis hæreditatem temere polliceamur: *Sic tamen, ut alio quoque schemate, ipsa resipiscentia in peccati mortificatione & bonorum operum studio promittatur, tanquam Dei*

donum, quod ipse operatus sit in nobis, ut isthoc signo & argumento fas sit, ex quo vere respuimus & credidimus, τελείως sperare in eam, quæ ad nos defertur gratiam in patefactione Jesu Christi. 1. Pet. 1. 13. ut qui habeamus jam in nobis, cum vitæ novæ spiritualis creatione nova à Spiritu Dei, vitam æternam inchoatam. Joh. 6. 47. 54. & 3. 36. Gal. 2. 20. Joh. 11. 25. 26. Promissionis formulæ expressissimæ Novum Fœdus sancientes donatione respiscentiæ, omnisque necessariæ obedientiæ novæ, exstant Jere. 32. 40. Esai. 52. 2. 1. Pet. 1. 4. 2. Pet. 1. 3. 1. Joh. 3. 9. & 5. 18.

XXVIII. Atque hoc argumento Paulus asserit *Novum Fœdus præstantius esse & præstantioribus promissis sancitum*, atque ideo novo Fœderi quæsitum locum, quod confœderati non perstiterint in illo Veteri fœdere. quæsitum ergo est Fœdus ejusmodi, quod non posset infirmari per carnem iterum, & abrogari atque irritum fieri. Heb. 8. 7. 8. 9. cum Rom. 8. 1. Ea propter ad consolationem validam & spem infallibilem & solidam, voluit Deus, istis promissionibus de donandis conditionibus imperatis, abundantius in hoc fœdere novo hæredibus promissionis exhibere immutabilitatem consilii sui Heb. 6. 17. cum 9. 15. 16. 17.

XXIX. *Perimunt ergo Fœderis Novi promissiones meliores, adeoque ipsum Fœdus Novum, qui ab eo auferunt Testamentariam donationem ipsarum conditionum respiscentiæ & Fidei omnisque novæ obedientiæ necessariæ*: ac nolunt ratum esse Fœdus novum ex vocantis Dei operatione, qua ille in nobis efficit velle & perficere; ac nos confirmat in Christum, nosque obsignat dato arrhabone Spiritus in cordibus nostris: Sed ex opere, quo nos Deo vocanti peremus, oporantes nostram ipsorum salutem: quod proinde ante hujus vitæ terminum nunquam ita ratum, fit quin irritum fieri possit. Quod est ἀμετάθετον contra Apostoli affirmationem 2. Cor. 1. 21. 22. Phil. 2. 13. & contra assertionem, Fieri non posse ut excidat sermo Dei. quo hæreditatem benedictionis promisit Rom. 9. 6. At propositum Dei secundum ipsius electionem firmum manere. non ex operibus, sed ex vocante: vers. 1. Ut non pendeat negotium à volente aut currente homine, sed à miserente Deo. vers. 19.

XXX. Et prætextus *formulæ Euangelii*, qua perseverantia usque

que ad mortem urgetur, quem *Remonstrantes* hic adhibent *Declar. sent. Synod. Art. 1. pag. 5. ut Electionis ad æternam gloriam divinæ & peremptoriæ Objectum primum & adæquatum faciat omnes & solos in fide vera morientes*: prætextus, inquam, ille inanis est. Vere enim Euangelica formula, non temperata Legali schemate, talis est, ut, absque ulla temporis præscriptione aut vitæ brevioris limitatione vel præfinitione, vocentur omnes fatigati & onerati ad fruitionem solidæ consolationis Matt. 11. 28. Ac pronuncientur beati indefinita loquutione, quæ hic æquipollet universali, Pauperes spiritu, lugentes, esurientes ac sitientes justitiam Matth. 5. 3. 4. 6. Ac non potest non indefinita loquutio æquipollere universali; quia promittit Christus ex iis, qui ad ipsum venerint se neminem ejecturum foras. Joh. 6. 37. Ac de præsentis & futuri temporis longioris aut contractioris usque ad vitæ terminum differentia ad salutis majorem vel minorem certitudinem, scrupulum auferunt Scripturæ loca illustria, Roman. 14. 7. 8. 9. 1. Corinth. 3. 21. 22. Roman. 8. v. 38. 39.

XXXI. *Ex Legali autem illo schemate quo & ad Pædagogiam hominis non regenti, & ad mortificationem quotidianam veteris in Filiis Dei jam regenitis, temperatam est formula Euangelicæ prædicationis, facere ipsam Euangelii, i. e. Euangelicæ exhibitionis gratia formulam, est adulterare Euangelium*, & Justificationi Euangelicæ per Obedientiam Christi imputatam credenti, substituere, Justificationem Legalem per Obedientiam nostram Christo Novo scilicet Legislatori præstitam. Quod esse Remonstrantium Theologię quinque-articulanę mysterium liquet ex *Poppii* assertione: *Quod merces vitæ æternæ dabitur nemini, nisi iis, qui laborem obedientiæ, usque ad vitæ finem, consummaverint, neque* NB. *alio pacto quam intuitu in illud ipsum plene consummatum opus. Augustæ portæ, editæ* anno. 1616. *pag.* 282.

COROLLARIA.

I. AD verba ista *H. Grotii, Disquisitione ad Pelagiana dogmata*, edita. a. 1622. pag. 92.

Neque

Neque enim quisquam eorum, quibus nunc movetur controversia. negat interna Dei operatione intellectum illuminari, deinde etiam sanctos excitari affectus, quin & potentiam novam (quam habitum nonnulli vocant) ipsi voluntati divinitus infundi.

Quæritur. An, Grotio arbitro, si negent Remonstrantes illuminari à Deo intellectum modo irresistibili: bonos item affectus, & ad credendum potentiam atque habitum novum pari modo infundi, Pelagianum sit ipsorum dogma; Resp. Aut hoc largitur, aut nihil dicit.

Quæritur. An bona fide neget Grotius, quenquam eorum hoc negare? Resp. Vellicarunt illi Habituum infusionem jam olim *in Collatione Hagiensi. pag. 232. 244. 150. a. 1611.* Negarat apertissime, & ut *novum Scholasticorum commentum* exsibilarat *Episcopus Disputat. XIV. de Fœdere Novo. Thesi 3. & Disp. XV. de Fœdere Novo, Thesi 3. & Disput. XV. de præceptis Thes. 2. editis a. 1618.* Potuerintne ista latere Grotium, & *in Oratione ad Senatum Amstelredamensem a. 1616.* & *in Disquisitione* a. 1622. *Disquiri permittimus.*

II. Possintne γνήσιοι discipuli Arminii censeri, qui scilicet *ad convenientem Christiano nomini tranquillitatem & pacem* existimant suscipiendas cogitationes de Conciliatione Ecclesiarum Euangelicarum cum Romana Papali Ecclesia? Resp. Neg. Quia Arminius in Testamento hanc sanam quidem mentem testatus est, se hic *excludere Papatum, cum quo nulla unitas Fidei, nullum pietatis aut Christianæ pacis vinculum servari potest.* vide *P. Bertii Orationem in obitum Arminii. a. 1609.*

DISP.

DISPUTATIO V.

DE

Testamento Veteri,

Ejusque

Prima Antiquitate.

THES. I.

TEstamentum Fœderis Novi, quo Fœdus in Sponsorem Christum confirmatum ad nos manat, ut nuncupatos hæredes vitæ æternæ, quam suo merito Christus acquisivit; *habet Veteris & Novi differentiam, à gemina illa temporis periodo, quarum priori exspectabatur, posteriori autem creditur intercessisse Mors Testatoris Christi*; Dictat differentiam illam, Prioris Veteris & Posterioris Novi Testamenti, Apostolus loco illustri Hebr. 9. 15. 20.

II. Non obstante illa Veteris & Novi Testamenti differentia, statuimus, quin ut necessario substratum *asserimus, Uniformem Fœderis Spiritualis Gratiam, ejusque interiorem œconomiam*, in qua est initio *Legalis* ad Christum *Pædagogia*, cui mox succedit *Euangelica ἀμεταμέλητος Gratia* Christi, Testamento quasi resignato, *exhibitio*. Quam assertionem confirmant in genere hæc Scripturæ testimonia: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Jesus Christus. 1. Cor. 3. 11. Jesus Christus heri & hodie idem est & in sæcula Heb. 13. 8. Fœdus à Deo ante confirmatum, respectu Christi Lex, quæ post annos 430. cœpit, non facit irritum, ut aboleat promissionem. Gal. 3. 17.

III. At quia *interior Fœderis Spiritualis œconomia* in terris, flagitat *externam quoque & visibilem œconomiam* seu dispensationem Verbi supernaturaliter facti, ad Ecclesiæ, ut fundationem, ita conservationem: Initio hic venit explicanda *Interni & Externi Fœderis distinctio*: quam enucleabimus per Hypotheses sequentes. I. In Fœdere Operum Veteri ante lapsum, facta est in primis repræsentatio omnium & singulorum individuorum totius humani generis

ex ipsis conjugatis propagandi: In Fœdere Novo Gratiæ; cessante Veteri illa repræsentatione naturali; Novo est in Christo, ut novo Adamo, repræsentatio Ecclesiæ; à Paulo expressa Rom. 5. 14. 15. 17. 18. 19. 21. 1. Cor. 15. 22. 45. 47. Adeoque omnis Spiritualis cognatio hæredum promissionis, non ex Adamo primo: sed ex Christo censetur. Eph. 3. 15. cum Heb. 2. 13.

IV. II. Propter antiquatam Veterem illam repræsentationem naturalem, non omnes & singuli, quibus in Novi Fœderis œconomia exteriori visibili, ministrantur Fœderis Tabulæ legendæ & audiendæ atque usurpandæ, Verbum nempe & Sacramenta: pariter atque ilico Fœdere novo Gratiæ Deo sunt agglutinati: Ad illam enim agglutinationem solidam, Adultis necessaria est fides ἀνυπόκριτος, quæ non est omnium. 2. Thess. 3. 2. sed Electorum Tit. 1. 1. qui Electi etiam inter externe vocatos pauci sunt Matth. 20. 16. 22. 14. Atque hi consequenter soli sunt, qui simul externa & interna efficaci vocatione Deo ejusque Ecclesiæ conjunguntur, atque eo nomine κατ' ἐξοχὴν dicuntur Vocati 1. Cor. 1. 24. ac soli censentur Populus Dei, quem præcognovit. Rom. 11. 2.

V. III. Per Formulam Euangelii quamcunque, sive indefinite, sive sub signo universali conceptam; non fuit unquam indicata major universalitas & amplitudo Promissionum Fœderis Gratiæ, quàm quæ ipsis Electionis divinæ finibus circumscribitur, quibus Catholica seu universalis Ecclesia continetur Heb. 12. 23. Istis cancellis exserte ab Apostolo Petro circumscriptum habemus ipsum signum Universale, Act. 2. 39. Vobis enim facta est promissio & liberis vestris & *Omnibus*, qui procul sunt, *Quoscunque* advocaverit Dominus Deus noster.

VI. IV. Externum Fœdus cum populo hoc præ illo initiatum ac sancitum, seu libera Electio nationis unius præ alia in populum Dei, Typus est & parabola liberæ Dei Gratiæ, docens, Deum liberrimo suo beneplacito dispensare, ac donare, quibus vult individuis seu personis singularibus, Adoptionem in Christo, non cooptatis illis, quos ipsi placet justæ damnationi relinquere: similiter ut liberrima sua voluntate deponit, in qua vult natione aut populo & familia, aliis neglectis, Testamenti Fœderis Gratiæ instrumenta.

VII.

VII. V. Externo illo Fœdere tantum in populo aliquo Deo sunt confœderati Hypocritæ & πρόσκαιρον, qui in externa visibili Ecclesiæ societate electis permiscentur. Hos quippe non attingit interior confœderatio cum Deo per Christum; sed exterior tantum verbi & sigileorum Fœderis administratio, quorum veritas nunquā illis intus obsignatur, neque Fidei permiscetur. proinde neque illis prodest auditus sermo, nec usurpata cum vere confœderatis ejusdem Fœderis Sacramenta. Johan. 3. 33. 2. Cor. 1. 21. Hebr. 4. 2. Joh. 6. 58. 1. Cor. 10. 1. 5. Quare neque illis repudiatis Deus, censendus est repudiasse populum suum. Rom. 11. 2.

VIII. VI. Nemo in individuo à Fœdere illo externo jure habetur extraneus, aut eliminatur è populo externe confœderato tanquam ἀδόκιμος seu reprobus: in quo non revera Deus exemplum statuat reprobationis & rejectionis ab interno Fœdere & benedictione spirituali, cui inservit Fœdus externum. Act. 8. 21. Gal. 4. 30.

IX. VII. Populi autem integri rejectio & sequestratio ab externo Fœdere, quo illi datur, quasi libellus repudii, ἀναλόγως, non est typica tantum & umbratilis reprobatio seu rejectio, quæ non tangat personas singulares in salutis animarum negotio: Sed est exemplum verum & solidum veræ rejectionis multarum personarum singularium, ex quibus colligitur populus reprobus.

X. IIX. Quamvis Rejectionem istam populorum præcedat eorundem Apostasia & defectio: nequaquam tamen censeri debent in populo Apostata facti Apostatæ illi, qui olim erant vere sancti & regeniti: sed aucto paulatim & propagato numero profanorum & hypocritarum, verè sanctis emortuis & in cœlum sublatis, desiit esse populus sanctus, ex quo sancti desierunt esse in vivis. confer Ps. 12. 2. Esai. 57. 1. 2. cum Rom. 11. 2. 5. 7. 17. 19.

XI. Hisce hypothesibus præmissis; dicendum jam *de Fœderis Novi Oeconomia Veteri*, quæ ante Testatorem mortuum nobis dicitur *Testamentum Vetus. Dicitur quoque appellatione metonymica Fœdus vetus*, occasione vocis, Διαθήκη, quæ re integra Fœdus significat: *Propria autem appellatione Fœdus Vetus est illud Adami lapsu violatum & maledictione divina antiquatum Legale operum Fœdus.*

XII. Metonymicæ autem appellationis, qua *Testamentum*

nens inimicitias inter Diabolum & mulierem, disponit mulieri Fœdus Novum Gratiæ justificantis & sanctificantis. Gratiæ vero auctorem promittit Semen fore illud mulieris, quod Satanæ caput contriturum erat: Sed non absque Agone: in quo prænunciat eventuras illi ὠδῖνας & perpressiones quippe Serpens ipsi conteret calcaneum: Calcaneus autem notat Christi θεανθρώπου carnem, in qua terram calcavit.

XV. Hoc pacto in Oraculo illo est Pactum promissionis, qua Adamus & Eva fuerunt εὐαγγελισμένοι Euangelio initiati: & cum illis initiatum Novum Fœdus Gratiæ ejusque Testamentum revelatum. Et Oraculum illud scriptum postliminio, non carùit pleniori aliqua illustratione per Verbum supernaturaliter factum, & Traditione Prophetica Θεοπνέυστῳ ad posteritatem propagatum, primo domatum, mox gregatim instituta Ecclesia.

XVI. *Fœdus autem instauratum, ejusque œconomiam Testamentariam, discimus ex Sacrificiorum cultu instituto, cum connexis Sacramentis sacrificialibus: in quibus Mors & Sanguinis effusio Testatoris mortem intercessuram repræsentavit*: quod docent verba Apostoli. Ubi enim Testamentum est, mors necesse est intercedat Testatoris: Unde nec primum quidem sine sanguine initiatum est. Hebr. 9. 16. & 18. Quo testimonio freti asserimus, vel nullam Promissione illa factam novi Fœderis initiationem: vel necessàrio factam cum institutione divina cultus sacrificiorum, in quibus mortem Testatoris obsignaret Mors victimarum, donec ipse Testator sanguinem funderet.

XVII. Expressa Sacrificiorum historia vetustissima exstat Genes. 4. 2. 3. 4. 5. ubi commemorantur Caini & Abelis oblationes, quæ historia attingit Chronologorum opinione circiter Annum Adami 129. Sed vetat nos ad illa usque tempora differre primam Sacrificiorum antiquitatem id, quod jam dictum ex Apostolo, de non facta prima Fœderis initiatione absque sanguine. Deinde, quandoquidem pronunciat Apostolus. Heb. 11. 4. Abelem sacrificasse ex Fide; atque per Fidem, sacrificio ex fide oblato, obtinuisse testimonium, quod justus esset: Fides illa Abelis supponit Verbum Dei Paterna Traditione conservatum, quo edoctus fuit Abel Deum sacrificiis coli velle; & institutus fuit, qua

fide & spe illa essent offerenda Rom. 10. 17.

XVIII. Quandoquidem autem Fides, quæ verbo Dei nixa est, & absque illo nequit esse ἐλπιζομένων ὑπόστασις Hebr. 11. 1. perimit omnino ἐθελοθρησκείαν, seu voluntariam devotionem divinitus non imperatam, Col. 2. 22. 23. Matth. 15. 3. 6. sane *hallucinati sunt ex veteribus Iustinus Martyr in Dialcum Tryppone Iudeo, Theodoretus Græcan. affect. serm. 7. de sacrificiis, Hieronymus in Ieremiam cap. 7. aliique & veteres & recentiores, qui sic de sacrificiorum antiquitate loquuti sunt, quasi demum cœpisset illorum νομοθεσία divina, quando illorum Ius novum per Mosem in tabulas relatum est, ordinato, Aaronico sacerdotio: ac quasi Deus sacrificia verius indulserit, quàm imperarit Mosaica lege*: quem errorem prolixius refutavimus vindicatis, quæ errori illi videntur favere testimoniis Scripturæ in *Schola nostra Sacrificiorum.*

XIX. *Revocamus autem nos Sacrificiorum cultus institutionem ad illud principium temporis, quo accepit Adamus Verbum Promissionis de benedictione in Semine mulieris*, cum accedente ad Verbum Promissionis visibili divinæ propitiationis Symbolo & Sacramento illo, quòd nudis Adamo & Evæ fecit Dominus Deus tunicas pelliceas, ac induit eos Gen. 3. 21. *Sacramentum* quidem *propitiationis fuisse in prima illa vestium donatione ad tegendam nuditatem*, persuadet allegoria illa, qua Christus utitur ad Laodicenses: Consulo tibi, ut emas à me vestimenta alba, ut induaris; nec appareat dedecus nuditatis tuæ: Apocal. 3. 18. Item allegoria Apostolica, qua ipse Christus statuitur indumentum nostrum. Gal. 3. 27.

XX. Ex illo autem Sacramento propiciationis investigamus Sacrificium primum in animalibus istis, quorum pelles Deus induit Adamum & Evam. Adhibetur à Mose vox Hebræa עור quæ nusquam repetitur alia significatione, quam pro æterna pelle animalium usurpata: Pelles autem animalium nequiverunt hominem tegere non antegressa mactatione & excoriatione: habemus ergo vestigium τῶν σφαγιῶν seu mactatarum pecudum, ad propiciationem pro peccatis, quod nos ducit ad Legem illam, quæ exstat de holocausti pelle Levit. 7. 8. Sacerdos, qui offert holocausti victimam habebit pellem ejus.

XXI. *Hoc pacto ergo instituta est Novi Fœderis Gratia œconomia Vetus,*

Vetus, Verbi supernaturaliter facti Traditione Prophetica, & connexis Sacramentis Sacrificialibus, quæ fuere externa & visibilia symbola Divinæ testificationis, qua sacraficantes testimonium obtinuerunt, Deo testimonium perhibente de donis ipsorum, id est, ad sacrificiorum oblationem ex Fide, quod justi essent & Deo accepti. Fuere autem ista, Sacrificiorum & Oblationum Sanctificatio per Altare, seu ἐμπυρισμὸς in Altari per ignem cœlestem, Matth. 23. 19. cum 1. Reg. 18. 24. 38. Sanguinis aspersio, quo fere omnia secundum Legem purificabantur. Hebr. 9. 22. Sacrum ex oblatis donis & sacrificiis, non in solidum igne absumptis, convivium coram Jehovah: quo communicabant convivantes Altari. 1. Cor. 5. 7. 8.

XXII. Revocata hoc pacto ad primam Verbo factam promissionem Testamentariam Fœderis Novi, origine Sacrificiorum & Sacramentorum: *attendimus in Testamenti Veteris Historia ab Adamo primo ad Christum duas temporum Periodos, quarum prior excurrit ad Adamo ad Mosem, posterior à Mose ad Christum*: Alteram autem ab altera distinguit character ille principalis circa Religionem Institutam: Quod *sub priori Verbum Dei fuit ἄγραφον non scriptum ad publicum Ecclesiæ usum: sub posteriori factum est ἔγγραφον, constituto & dicato divinitus ad publicum Ecclesiæ usum Canone Scripturarum sacrarum.*

XXIII. Non obstante isthac differentia *Theologiam & Religionem in utraque temporis Periodo asserimus unam fuisse*: *Et in Verbi Dei Traditione Prophetica*, qua fuerunt εὐαγγελισμένοι seu Euangelio de Christo venturo initiati & docentes Prophetæ,& Patres,quibus per Prophetas Deus loquebatur. Hebr. 1. 1. cum 4. 2. 6. *Et in Sacrificiorum oblatione ex Fide & Spe Euangelica: & connexa Sacramentorum sacrificialium usurpatione* Hebr. 11. 4. 5.

XXIV. *Hallucinantur ergo, qui primis duobus mundi millenariis tribuunt inane illud* תוהו, ut scilicet ita ruditer sub initia fuerit instituta Ecclesia, ut Verbum Dei supernaturaliter factum de Messia venturo sibi habuerint Prophetæ extra ordinem: reliqui autem salvandi solo *Naturæ Fœdere*, seu Legis naturæ adminiculo, absque Fidei Spiritu, Deo fuerint conciliati. Naturæ illud Fœdus, ex originali Fœdere operum reliquum post lapsum, vel reviviscens, rejeci-

jecimus, ut Non Ens. *Disput. de Fœderis operum Veteris Antiquatione*, Ecclesia autem ex lapsu instaurata est & Deo conciliata, vocatione efficaci per Verbum & Spiritum Fidei, ad commnnionem: Novi Fœderis Gratiæ: eodem Canone, qui postea Scripturis expressus est: juxta quem fuit *ισοζυγιος* Fides & Docentium & Discentium.

XXV. Nimis quoque faciles sunt, qui hic adoptant Judaicam Traditionem *de Theologia Filiorum Noachi, septem præceptis comprehensa*: de quibus videndus *Augustinus libr. 11. de Civitate Dei cap.* 47. Item *de Theologia Proselytorum juxta Targum Ruth.* Quam utramque Theologiam recitat *Schindlerus in Lexico Pentaglotto ad voces* נור & צוה, Fuerit illa qualis Pædagogia Legalis civili conversationi & societati accommodata: Theologiæ Patriarchalis, à Fœderis cum Deo societatem, idea aut Canon fuisse minime censeri debet.

XXVI. Quotquot autem Theologiæ Patriarchalis Euangelicæ (quæ veræ antiquissimæ post lapsum Religionis nucleus fuit) Traditione Prophetica exciderunt, ante vel post Noachum, vel familiæ, vel populi & nationes, adeo ut sola naturæ luce porro ducerentur, deficientibus Prophetis Jehovæ, & cessante auditione Verbi promissionis, & adulterato Sacrificiorum cultu vel exoleto, illis asserimus incisam vel interciſam fuisse Vocationem ad Fœderis communionem & salutem, justa rejectione divina, per quam constituebantur extranei à Fœderibus, Dei expertes, spem non habentes in mundo, donec post liminio Deus ipsorum misertus illos nova per Verbi Traditionem Propheticam vocatione dignaretur.

XXVII. Ad illam autem Vocationis Ecclesiæ ad salutem incisionem atque interciſionem factam non rato: jam disquirendum, de prima Fœderis Novi Gratiæ initiatione. *fuerintne in Adamo & Eva omnes eorum naturales posteri Deo conciliati Novo Fœdere Gratiæ?* Resp. Veterem illam in Fœdere Operum præsentationem posterorum omnium in uno Adamo, ut stirpe humani generis naturali, cum Veteri Fœdere antiquam, & permutatam cum nova omnium, qui Novo Fœdere Deo conciliantur repræsentatione in uno Christo, jam dictum Thesi III. Christus autem ut caput & stirps repræsentat tantum Catholicam Ecclesiam, Electionis divi-

nas

næ cancellis, arctioribus quam sunt ipsi externi Fœderis cancelli, circumscriptam: *vide Thes. V.*

XXVIII. Neque universalis illa omnium & singulorum individuorum in Adamo primo instauratio, qua scilicet initiati fuerint Novo Fœderi Gratiæ, conciliari potest cum Novi Fœderis Testamento, quo donatur, mortis Christi causa, plena cum Deo reconciliatio, & certa hæreditas vitæ æternæ; ac cavetur ne quo pacto Fœdere excidant Fœderati: quæ non donari omnibus & singulis clamat experientia. Aut nemini ergo facta est Testamentaria illa donatio mortis causa, quod volunt Remonstrantes, contra Apostolum Heb. 9. 25 ---- 20. aut solis illis qui salvandi sunt, ut hæredes inscripti libro vitæ Agni Testatoris inde à actis mundi fundamentis. Apoc. 21. 27. & 13. 8. & 17. 8.

XXIX. Enimvero neque illam omnium & singulorum in primis parentibus adoptionem Novi Fœderis communionem patitur ipsa primæ promissionis de Semine mulieris concepta formula: qua aperte satis prænunciatur, ex Adami posteris fore aliquod semen Serpentis cui cum Semine mulieris futura sit inimicitia ἀσπονδος.

XXX. Est hic aliena evasio *Wolfg. Franzii. Schola Sacrif. Disp. 2. Thes. 26. Disp. 10. Thes. 95. 96. 97.* qui absque Scripturis contendit *Semen Serpentis notare Gregem Diabolorum sub uno certo duce & antesignano Satana primario.* In Scripturis enim non alii audiunt Serpentes, Viperarum progenies, Filii Diaboli. Matth. 3. 8. & 12. 34. & 23. 33. Luc. 3. 7. cum Act. 13. 10. & 1. Joh. 3. 10. quam homines reprobi super quos manet ira Dei, & qui manent in morte, qui consequenter manent inimici Dei. Joh. 3. 36. 1. Joh. 3. 14. Rom. 5. 10. Ad quos exserte satis oraculum hoc de quo agimus applicat Johannes, docens illorum, tanquam filiorum Diaboli, odia & inimicitias à Caino hæreditarias, experiri post Abelem credentes hoc eventu quod inimicitias illas tanquam opus Diaboli Christus venerit destruere. 1. Joh. 3. 8. 14.

XXXI. Non ergo connexa fuit, ex initiatione Fœderis Gratiæ cum Adamo primo, propagatio Fœderis, cum propagatione generis humani ex lumbis Adami: Sed in Caini posteris primo, post etiam in aliis familiis & populorum coloniis jam ante diluvi-

um, sequuta est Apostasiam à vera Veteri Religione, justa rejectio illorum & excommunicatio ab Ecclesia & Fœdere Dei: sic ut tandem generationibus sequentibus prævalente Gentilismo cessarit Ministerium Verbi Dei & vocatio ad salutem: & sacrificatum sit non amplius Deo vero ex Fide Traditionis Propheticæ, sed Dæmoniis per δεισιδαιμονίαν & κακοζηλίαν: fueritque in populis rejectis à Fœdere similis rerum facies qualis stante Judaïsmo aliis populis & Gentibus rejectis, donec Apostasiæ involveretur mundus universus excepta sola Noachi familia. Ecclesiæ autem, vel initio integræ vel mox illarum reliquiæ, ab Apostatis Gentilibus discernebantur propter Fœderis Gratiæ Testamentum nomine *Filiorum Dei*: Apostatæ rursum ab Ecclesiæ membris nomine *Filiorum Hominum*. Gen. 6. 4.

XXXII. A Noachi Filiis post Diluvium cum generis humani propagatione propagata postliminio est Vera Vetus Religio per Verbum Propheticum & Sacrificiorum cultus. Verum cœpit quoq; ilico nova Apostasia primo in familia Noachi & cœptus est Dei etiam arcana dispensatione ædificari paries intergerinus, (qui tandem sub Mosaïca œconomia, in universali Gentium rejectione à Fœdere, exædificatus fuit) primo quando Noachus Spiritu Prophetico maledixit Canaan, & hæreditatem Benenedictionis legavit Semo, ex sino descendit Abrahamus Genes. 9. 25. 29. Denique in confusione linguarum Babylonica, qua Traditionem Verbi Propheticam videtur Deus abstulisse (quod Verbum solum est propagandæ Ecclesiæ semen) illis saltem nationibus quarum linguæ non potuerunt cum lingua sancta consuescere Gen. 11. Quod vel maxime arguit donum linguarum Apostolis datum in die Pentecostes ut parietem illum intergerinum demolirentur; quo arcebantur à spe salutis qui non intelligebant vel per interpretem idoneum Prophetas loquentes,

XXXIII. Post confusionem Babylonicam itaque varie collapsa & in variis nationibus cultu idololatrico polluta fuit vera Vetus doctrina Fidei & cultus sacrificiorum: etiam in familia ex qua natus Abrahamus Jos. 24. 2, 3. Attamen *minime statuendum est, tempore vocationis Abrahami, omnino emortuam fuisse Ecclesiam Filiorum Dei*. Superstes enim erat extra controversiam Sem, benedictionis

No-

Noachi hæres, qui fueritne ipse Melchisedek, sive alius à Melchisedeko, disquirunt Theologi. Vide Disputat. nostram selectam XVI. De Persona Melchisedeki. Melchisedek certe, qui Abrahamo benedixit, quisquis fuerit, pius fuit Rex & Sacerdos, veræ veteris Religionis & Sacrificiorum Antistes in populo suo.

XXXIV. Quin post Abrahamum vocatum & Circumcisionem institutam, donec (quatuor circiter sæculis post) Amoræorum & reliquorum Cananæorum impietatis mensura impleta est: negamus exstinctamsimul & semel fuisse extra lineam Abrahami Veram Veterem religionem per Traditionem Propheticam inde à Noacho propagatam: sed paulatim isto quatuor sæculorum intervallo emortuam, cum piis & justis eredentibus mortuis: eo usque ut quæ tandem supereſſent Reliquiæ evocarentur ad societatem & Fœderis contesserationem cum Republica Israëlis circumcisa. vide Genes. 15. vers. 16. cum vers. 13.

DISPUTATIO VI.

DE

Testamenti Veteris Ecclesiæ Communi nobiscum salute.

THESIS I.

Quod disputatione antecedenti inde à *Thesi* 23. asseruimus, de fidelibus Veteris Testamenti, inde à mundi initio (& per Verbi Dei Traditionem Propheticam, & per Sacrificiorum oblationem ex Fide & Spe Euangelica, & connexam Sacramentorum Sacrificialium usurpationem:) initiatis Euangelio Promissionis de Christo venturo; Id porro illustrandum & confirmandum, Assertione Orthodoxa de Communi nobiscum Salute Ecclesiæ Veteris Testamenti, contra *Servet* & *Anabaptistarum* aliorumque, quin *Catechismi Tridentini* heterodoxiam istam, palliatam auctoritate *Augustini in Psalmos 77. & 81. Olim populum Dei*

Synagogam id est congregationem dictam: Quia pecudum more, quibus magis congregari convenit, terrena & caduca tantum bona spectaret: quare, (inquit Cat. Trid.) merito Christianus populus non Synagoga sed Ecclesia dicitur, quia terrenis & mortalibus rebus contemptis, cœlestes & æternas tantummodo consectatur.

II. De voce *Synagoga* (à Christianis relicta Judæis, quando Judæorum Synagogis valedicendum fuit propter Judæorum indurationem, ficut Act. 19. 8. 6.) non repugnamus, ut accipiatur pro Judæorum carnalium, contemptis cœlestibus & æternis Bonis terrena & caduca sectantium, congregatione instar pecudum bruta. Sed ut à carnalium Judæorum hodierna Synagoga, à qua Christus & in Christum credentes sunt ἀποσυνάγωγοι, procedat argumentum, & ex vocis etymologia confirmetur, de Veteri ante Christum populo Dei: repugnat promiscua vocis Hebrææ קָהָל per voces συναγωγὴ & ἐκκλησία ut Synonymas interpretatio LXX. Repugnant quoque voces συναγωγὴ & ἐπισυναγωγὴ Apostolis usurpatæ de congregatione Ecclesiæ N. T. Jac. 2. 2. & Heb. 10. 39. & verba συνάγω & ἐπισυνάγω adhibita, etiam ad invisibilem Ecclesiæ Catholicæ unitionem cum capite Christo, & ad gloriosam in ipsius extremo adventu collectionem, notandam Joh. 11. 52. Matt. 24. 31. & Marc. 13. 27.

III. In Re autem ipsa; fuisse Populum Dei (qui exstitit inde à mundi initio,) cum populo Christiano N. T. σύσσωμον concorporem; (id est qui constituerit nobiscum unum corpus mysticum Ecclesiæ Catholicæ, cujus Caput & Servator est Christus pro illa mortuus:) confirmatur sequentibus aliquot demonstrationibus ex Scripturarum affirmatione. 1. Prima esto, ex Epistola ad Hebræos cap. 9. 15. *Propterea Novi Testamenti Mediator est, ut, morte intercedente ad redemptionem transgressionum quæ fuerant sub priori Testamento, vocati acciperent æternam hæreditatem.* Aperta est affirmatio, Mortem Mediatoris intercessisse, ad propitiationem pro peccatis illorum, qui vixerunt sub Veteri Testamento.

IV. 2. Accedit eodem capite versibus 25. 26. Aperta etiam illa affirmatio, Siquidem Christus non potuisset in sæculorum consummatione, oblatione semel facta conficere peccatorum abolitionem, (ac consequenter necesse habuisset, sæpius offerendo se ipsum

ipsum; sæpius etiam pati,) *oportuisse ipsum sæpius passum fuisse ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, inde à jactis mundi fundamentis*, quæ adjectio plane aliena & falsa erit, negata communi salute per mortem Christi, quæsitâ nobiscum omnibus, qui inde à mundi initio in Fide mortui sunt.

V. 3. Confirmat id ipsum locus illustris Apoc. 13. 8. ubi dicitur *Agnus* (Christus) *mactatus inde à jactis mundi fundamentis*: Qui locus verbis quidem est Apostoli affirmationi ἐναλλαφανὴς, sed in re illam confirmat, si mactatus intelligatur, non in corpore suo, ante temporis plenitudinam, sed in typis Agnorum & pecudum mactatarum, in Sacrificiis inde à mundi initio ex Fide oblatis.

VI. 4. Hinc est quod inde ab Abele in Fide mortuorum Fidem Apostolus, *capite ad Hæbræos undecimo*, affirmet ipse fuisse τῶν ἐλπιζομένων ὑπόστασιν rerum speratarum subsistentiam: speralse autem & exspectalse (ac Fidei suæ professione, id testatos,) *patriam cœlestem* adeundam in terrenæ peregrinationis termino: atque illa spe & exspectatione fultum Mosem alacriter tulisse *opprobrium Christi*, in quo Christo promisso (quem metonymice vocat τὴν ἐπαγγελίαν Promissionem,) viderunt eminus & salutarunt, salutis communis *melius illud* complementum, *quo non sine nobis consummarentur*. Quamvis ergo simul & semel facta sit in morte demum Christi consummatio & nostri & illorum: ut ante illis moriendum fuerit quam adveniret Promissus Messias: Tamen *in Fide* & Spe communis illius consummationis & vixisse & *mortuos* affirmat Apostolus.

VII. 5. Illustrat & confirmat porro Communem illam salutem in Christo locus illustris. Rom. 3. 25. 26. *Quem præstituit Deus ut esset placamentum per fidem in sanguine ipsius, ad demonstrationem justitiæ suæ, διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων. ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ. Propter dissimulationem peccatorum, quæ antecesserunt in Dei Tolerantiâ: Ad demonstrationem justitiæ suæ ἐν τῷ νῦν καιρῷ, in Nunc præsenti tempore: ut sit ipse justus, etiam cum Iustificat eum qui ex Fide Iesu.*

VIII. Paraphrasin ex verborum ductu & serie hanc facimus:

Propter πάρεσιν Dissimularionem tantum peccatorum & Tolerantiam illam tempore Veteris Testamenti: quia non poterat esse ἄφεσις seu plena illa remissio, (qua nunc præsenti Tempore Novi Testamenti gaudemus, ut nulla jam pro peccatis oblatione, nec vera nec typica, opus sit Hebr. 11. 18.) Donec, pro peccatis plene esset Justitiæ Dei satis factum; Deus ad justitiæ suæ demonstrationem, pro utriusque temporis (& quod mortem Christi antecesserat, & quod fluxit à morte Christi,) peccatis Fidelium mortuorum & viventium & victurorum, placari voluit & propiciari plenissima satisfactione, quæ proprii sanguinis effusione consummata est à Christo Sponsore Fœderis: Atque sic Deus justus est, seu facta recta est Dei justitia, qua peccatum odit & vindicat, etiam cum justificat impium, qui in se ipso impius est, sed per Fidem insitus Jesu Christo justus est Christi justitia imputata. Hanc loci διάνοιαν confirmatam *vide in Bezæ Annotat: majoribus, ex quinta cura, forma minori, seu in 8. edit. a. 1594.*

IX. Paraphasin istam illustrat oportune, quod monet *H. Grotius* ad vocem ἀνοχῆς quam vertimus Tolerantiam, *Illa voce Græcis etiam appellari Inducias, quod per eas ad tempus inhibeatur bellum. Defens. Fid. de Satiff. Christi pag. 27. edit. prima.* Tempori ergo illi Inducarum convenienter, tribuitur ab Apostolo πάρεσις peccatorum, de qua voce *Bezæ* judicium confirmat idem *Grotius* affirmans *non Remissionem, sed Transmissionem significare.* Et innuitur illa ad Inducias assimilatio Veteris Testamenti: Quando per Christum manifestatum, & in cruce mortuum, dicitur jam *facta Pax, & peremptæ inimicitiæ Eph. 2. 15. 16.* scilicet Induciæ jam plena pace terminatæ intelliguntur, quarum tempore olim, non peremptæ sed suspensæ tantum fuere inimicitiæ & dissimilatæ.

X. Enimvero hujus loci est Disquisitio ista, de Fidelium Veterum, qui ante Christum defuncti fuere, Animabus, fuerint ne in cœlum receptæ è corporibus, an extra cœlum in alio aliquo ubi aut loco asservatæ, usque ad Christi à mortuis excitati in cœlos ascensionem. Quotquot hic se profitentur contra Papistas & Anabaptistas sentire, consentiunt (testante id *Montacutio Episcopo nuper Anglicano*) in hanc contra Anabaptistas assertionem. *Animas defunctorum semper in certo quodam ac definito loco exstitisse: & in illo loco eas non dormi-*

dormire aut sine omni intellectuali operatione actuque quiescere, usque ad resurrectionem corporum; sed habere & exercere suos actus vitales & rationales intelligendi, cogitandi, judicandi, volendi, amandi, gaudendi, dolendi. &c. Montacutius, Apparatu I.

XI. Testante eodem *Montacutio*, contra Pontificios consensus est: *Duos tantum esse, semperque fuisse, status animarum Post mortem: Alias enim esse in pace, quiete, gaudio, beatitudine, vita aterna: alias contra esse in dolore, tormento, miseria, ac morte aterna:* ac *Duas tantum esse earundem societates, & singulas hinc emigrantes congregari ad populum suum, illas ad cœtum damnandorum, istas ad cœtum beatorum; nec non Duo esse semperque fuisse in communi loca, duplici & diverso huic animarum statui congruentia.* Denique *Animas piorum Patrum ante Christum incarnatum & glorificatum mortuorum, abisse hinc statim recta in statum, non solum quietis & refrigerii, sed etiam beatitudinis & gloriæ, ad cœtum beatorum, in locum felicem tali cœtui & statui convenientem.*

XII. Dissensio autem est: *De particulari & definito loco, Cœlo proprie dicto summo & glorioso illo quo Christus post resurrectionem ascendit*: Sunt n. quorum sententiam ut *tutissimam* se tueri profitetur *Montacutius, Qui negant Animas Patrum ante Christum defunctorum fuisse in cœlo illo summo & glorioso. Nec existimat solide sententiam istam expugnari testimoniis Scripturarum, de Reditu Spirituum ad Deum Eccl. 12. 7. de Regno cœlorum Matth. 8. 12. Sinu Abrahæ Luc. 19. 13. Paradiso. Luc. 23. 43. Mercede piorum in cœlis Matth. 5. 12. Duobus tantum locis defunctorum animabus designatis, altero præmii, altero pœnæ. Matt. 25. 34. 41. & de Merito mortis Christi eodem modo participato ab illis, quo à nobis, 1. Cor. 10. 4.*

XIII. At audiamus quam existimet *Montacutius* solidam ad testimonia exceptionem: *Existimat in communi, loco & statui in quo fuerunt olim & jam sunt Animæ piorum defunctorum, omnia nomina beati loci ac status communia, rectissime posse attribui & adaptari, vereque dici eos tum fuisse in manu Dei, apud Deum, in societate Angelorum, in sinu Abrahæ, in Paradiso, in regno cœlorum, in domicilio cœlesti: etiam in Cœlo, communi quadam ratione, id est, in gloria ac beatitudine cœlesti, quam semper ex cœlo in se diffusam effusamque habuerunt, ubicunque tandem ea fruebantur: ut non necesse fuerit cœlo ipsas inferre ante Christum, ad*

fruen-

fruendam beatitudine, quam extra cœlum consequi & habere poterant alibi.

XIV. Nos exceptionem istam minime solidam censemus, quia inanis curiositas & contentionis seges videtur in quæsita æquivocatione illa, qua Cœlum & Cœlestis gloria ac beatitudo sic accipiatur, ut eo nomine veniat etiam gloria & beatitudo extra cœlum in locum alium diffusa & effusa, qui nusquam in Sacris scripturis definitus vel animabus assignatus est: adeo ut etiam in controversiam vocetur *An in cœlum summum translati sint Enochus & Elias Gen.* 5. 2. *Reg.* 2.

XV. Neque stabilito isthoc contra Anabaptistas & Papistas consensu, & concessa Gloria & beatitudine illa extra cœlum ubicunque tandem diffusa, quæ Cœlestis, quin Cœlum ipsum nominetur in Scripturis; scrupulus Theologicus alicujus momenti reliquus esse potest, ob quem non asseratur Patribus ante Christum, & non communicetur, citra æquivocationem istam, cœlum summum & glorioſum. Pari enim jure, quo, propter Jus vitæ æternæ cœlestis nondum quæsitum nec plene perfectum, derogatur Christo Servatori potestas in cœlum summum inferendi animas fidelium morientium; quorum nomina ab initio fuere scripta in cœlo: Pari inquam jure ipsi derogatur potestas ex cœlo diffundendi cœlestem illam gloriam. Sin hæc ut usus fructus anticipatus (juris illius quod demum morte Christi quæsitum est, neque sacrificiis typicis obtineri potuit,) tribuitur Patrum in Fide defunctorum animabus, quidni eadem anticipatione illis asserimus cœlum sine æquivocatione dictum summum & glorioſum?

XVI. Unus & alter est locus Scripturæ ἐναντοφανὴς in præsens vendicandus contra quoscunque. Prior est Joh. 3. 13, *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de Cœlo filius hominis, qui est in Cœlo.* Quia loquitur Christus in tempore Præterito ἀναβεβηκεν Ascendit: videtur affirmare Cœlum fuisse ἄβατον & inaccessibile, nec alicui pervium; ad illum diem: adeoque neminem mortalium, sive in corpore, sive extra corpus, adscendisse in cœlum; consequenter neque in cœlum translatus fuerit Enoch: neque eo raptus & traductus Elias. Respondemus: Non, quod plerique videtur, per figuram Rhetoricam Christum loquutum de Adscensione mentis

mentis in cœlum, qua regni cœlorum mysteria intelliguntur: Sed per figuram Grammaticam Enallagen modi Indicativi pro Subjunctivo, Adscendit accipimus pro Adscenderit: id est, queat adscendere, seu jus & potestatem habet habuitve aut habiturus est, extra aut præter Christum unum. Cui assertioni non repugnat, ut sua potestate eadem, qua post ascensionem suam in cœlum infert morientium fidelium animas, intulerit quoque inde ab initio mundi: per illam jam dictam juris demum in morte quæsiti anticipationem.

XVII. Alter multum vexatus locus est ille Hebr. 9. 7. 8. ubi sic ait Apostolus: *In secundum autem Tabernaculum semel in anno solus Pontifex introibat, neque id sine sanguine.* τοῦτο δηλοῦντος τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου μήπω πεφανερῶσθαι τὴν τῶν ἁγίων ὁδὸν ἐπὶ τῆς πρώτης σκηνῆς ἐχούσης στάσιν. Quibus postremis verbis, (quorum mox dabimus versionem quam potiorem censemus,) videtur ex consensu interpretum Apostolus docere, Cœlum, quod per Sancta Sanctorum designatum fuit, clausum fuisse, *stante priori tabernaculo*: ut sensus verborum sit, Significasse Spiritum sanctum, non tunc apertum fuisse Sanctorum, id est, Cœli, viam & januam, priori illa Legis Mosaicæ œconomia stante: quia illa non eam vim & potestatem habebat; ut viam in cœlum posset aperire. Atqui (admissa communi illa verborum intelligentia ex interpretum consensu,) dicemus sicut noctu Sole occaso fores ædium clausæ quidem sunt, ut inde sit nocturni temporis denominatio Joh. 20. 26. nequaquam tamen prohibitis amicis & domesticis pulsantibus ingressus; Sic illa, quasi Veteris testamenti nocte, Solem Novi Testamenti in resurrectione Christi exortum antegressa, clausam fuisse cœli Januam, sed nullum ingressuris fidelium animabus positum obicem, quo minus intromitterentur.

XVIII. Verum placet alia responsio, ut dixerit Apostolus τὴν τῶν ἁγίων ὁδὸν, viam seu ingressum in Sanctuarium non cœleste, sed typicum terrenum: in quod nondum fuerit via patefacta seu aperta, (præterquam uni Sacerdoti, semel quotannis,) stante priori Tabernaculo, id est, piori illa parte Tabernaculi: (quam bis jam Apostolus vocavit τὴν πρώτην σκηνὴν, Prius Ta-

bernaculum v. 2. & 6.) donec velum scissum fuit in morte Christi, Matt. 27. 51. Atque illud μὴ τὸ δηλοῦντος. nihil est, quod cogat, ut accipiamus de typi per antitypum expositione: quo sensu Fabula exponitur sua Affabulatione, hac formula præmissa ὁμύθος δηλῶ: sed intelligimus, per δήλωσιν, ipsam typi ostensionem seu Emblemmatis exhibitionem. Transitionem autem Apostoli à typo ad Antitypum, quæ vulgo constituitur in verbis istis initio versus 8. nos constituimus multo apertiorem initio versus 9. in verbis istis ἥτις παραβολή, quæ sic vertimus (rejecta illa expletione relativi per σκηνὴ Tabernaculum) Quæ exemplar fuere: &c. Atque sic ne γρῦ quidem est in verbis Apostoli; de cœlesti Sanctuario clauso fidelium V. T. mortuorum animabus.

Sic adserta & vindicata initio Communi salute, proxima Disputatione vindicanda Communis Fides salvifica.

DISPUTATIO VII.

DE

Testamenti Veteris Ecclesiæ Communi nobiscum Fide & Religione.

THESIS I.

ADserta ex Scripturis Ecclesiæ veteris testamenti *communi nobiscum salute*, restat Disquisitio de *Communi nobiscum Fide in Christum, & cultu Spirituali*: contra quam disquisitionem temere præjudicant *Remonstrantes, in Apol. Confess. cap. 7.* quando exscripta ex *Chrysost. Tomo VI. Saviliano* hac thesi. *Ante Christi adventum non exigebatur à Iudæis Fides in Christum*, hanc subjiciunt hypocrisin; *Sive hoc verum sive falsum crederent Remonstrantes, nec saluti eorum, qui sub V. T. mortui sunt, nec Christianorum, qui sub N. T. vivunt, officeret; Sufficit*, inquiunt, *Christianis, iisque qui sub N. T. vivunt,*

ut

ut fidem in I. Christum necessariam esse ad salutem intelligant: & aliis, qui sub V. T. vixerint & mortui sint necessaria fuerit, Deo relinquant.

II. Necessitatem autem disquisitionis & Utilitatem ad Religionis Christianæ & Christi ipsius apologiam, loquetur res ipsa: Videamus initio, quomodo *Ambiguitatem*, illi, quod præ se fuerunt, auferant: *Per Fidem*, inquiunt, in *Christum intelligi potest aut Fides Historica illa, qua creditur Messiam aliquando venturum: aut Fides Iustificans, qua in Messiam moriturum & morte sua redemptionem populo suo impetraturum, imo ex morte in vitam suscitandum, creditur*: Fidem illam Historicam largiuntur, sed, quod mysterium habet novæ ambiguitatis, *ex historia* non Veteris, sed N. T. (mendosum enim est V. T.) *ubi*, inquiunt, *expresse legitur fuisse illam communem Iudæorum fidem, & inprimis sanctorum multorum, qui redemptionem Israëlis exspectasse dicuntur, Luc. 1. &c. Samaritana etiam mulier id diserte satis testatur Iob. 4. 25. Scio Messiam venturum: &c.* Apertius vel affirmandum vel negandum fuit, Fuerit ne ex Veterum olim Prophetarum prædictionibus, & ante & post Mosem, Communis illa Fides, venturum Messiam: Nos affimamus, & Fidei illius primam antiquitatem confirmavimus: ex oraculo Genes. 3. 15. *Disp. de Test. Vet. Thes.* 13. & 14.

III. Quando autem Fidem in Christum Justificantem sub V. T. nobis demonstrandam, flagitant adeo distinctam & explicatam, ut communis Fides *Messiam moriturum, & ex morte invitam resuscitandum*, quæstiones iterum duas confundunt, de *Fide præscripta* & de *Fide exercita*: Ac in exercita quidem fide, confundunt & infirmiorum & adultiorum Fidem: nec non tempora infeliciora illa, quibus cathedram occuparunt, qui clavem scientiæ substulere; Et beatiora, in quibus sincera fuit & à fermento liberior Religionis praxis: Breviter: Exercita Fides ambigue dicitur; aut rite secundum Fidei Canonem exercita aut in exercitio à Canone deficiens; seu docentium seductione, seu discentium tarditate.

IV. De Fidei ergo Canone Verbo Promissionis tradito Ecclesiæ V. T. ad communem usum docentium & discentium, quæritur: Atque hic saltem istam habemus *Remonstrantium* confessionem ex *loco act.* 10. 43. & 1. *Pet.* 1. 10. 11. 12. Christo olim venturo omnes Prophetas testimonium perhibere, remissionem peccato-

rum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum: quippe Prophetis revelatum fuisse, eos nobis administrare ea, quæ prænuncius, qui in ipsis erat Spiritus Christi ipsis declaraverat de iis, quæ Christo eventuræ erant perpessionibus, & gloria passiones consecutura: Excipiunt tantum *Locum Act. 10. non agere de Prophetarum testimonio, quo testati fuerunt eos, qui sub V. T. vivebant remissionem peccatorum non accepturos, nisi in Christum crederent: sed tantum de testimonio, quo testati fuerunt Messiam aliquando venturum, & quicunque in illum NB. cum venisset esset, credituri, remissionem peccatorum accepturos per nomen ejus.* Atque pro hac exceptione urgent in loco altero 1. Pet. 1. 11. verba illa. *Non sibi, sed nobis.* Ad exceptionem illam mox respondebimus: qua data non concessa, saltem concedant, necesse est, fuisse sub V. T. Fidem Historicam; qua intellexerunt Prophetæ, quæ futura esset sub N. T. Fides in Christum justificans, & testimonium illi perhibuerunt sub. V. T.

V. At quod una manu hic largiti videntur ad evasionem ex loco illo Act. 10. 43. altera manu nobis eripiunt, quando pauciſſimis sub V. T. concedunt intelligentiam istam, qua *umbras & typos intelligerent esse umbras & typos*, venturi Christi: Adeo ut Fides præscripta & exercita directe tantum recumberet, & *ferretur in promissionem generalem gratiæ & favoris divini; & in typos atque umbras*: V. G. Fides Promissionis Abrahamo factæ de Semine illo ferebatur directe in Isaac, non in Christum venturum, per quem scilicet parta nobis gratia & salus, *sub generalis gratiæ & favoris divini promisso abscondita, & sub typis & umbris velata, & rudi velut Minerva* fuerit quidem *adumbrata*; sed non verbo promissionis (quod nos affirmamus) revelata, atque typis & umbris ita obsignata: ut scirent se non posse in illis per se, extra Messiam venturum, Deum habere propitium.

VI. Enimvero, ad exceptionem istam ex verbis Petri, *Non sibi, sed nobis*, respondemus perperam verba ille torqueri ad excludendos Prophetas & Ecclesiam V. T. à communi nobiscum Fide in Christum Justificante; ac reliquam ipsis faciendam Fidem historicam tantum, quanquam *paucis admodum* datam. Exponendum est enim illud, *Non sibi, sed nobis*, ex collatione verborum Pauli Hebr. 11. 40. minime in solidum de communi salute animarum, sed de melio-

meliori illo complemento seu πλεκώσει communis salutis & Fidei, quod vivere ipsis non licuit morte præventis, nobis autem Deus reservarat, ut *illi non sine nobis* consummarentur: Verba ergo *Non sibi, sed nobis*, non privant veteres, neque communi salute animarum, neque absolute ipsa consummatione illa meliori, qua illos jam non sine nobis consummatos, testatur Apostolus: Quid ergo? Rerum speratarum πλέωσιν, id est, quæsitum & plene perfectum jus, intellexerunt; *non suis temporibus, sed temporibus ultimis* Deum reservasse. Quamvis interim, teste Apostolo, Fides in qua vixere & mortui fuere, fuerit Rerum speratarum hypostasis seu consistentia solida: id est, quæ non in rerum speratarum typis & umbris, sed in ipsis rebus speratis quiesceret & apprehenderet justitiæ hæreditatem, Heb. 11. 1. 4. & 7.

VII. Istâ autem sua hypothesi: (*Fidem interim illam quæ in Promissionem Dei generalem, quæque in typos atque umbras ferebatur, à Deo consitam fuisse ac censeri recte posse pro Fide in Christum; Eadem plane ratione qua Isaac, qui erat semen illud Abrahamo promissum Christus appellatur, & promissio de semine isto, promissio de Christo Gal. 3. 16. & 19. inprimis si umbras & typos istos intelligerent esse umbras & typos venturi Christi: quanquam*, inquiunt, *id paucos admodum intellexisse veri simile est*:) Et perperam absque Scripturæ auctoritate in Fidei justificantis negotio substituunt, *Quid pro Quo*, & temere asserunt Deo acceptam fuisse, adeo ut censita fuerit pro Fide in Christum, Fidem illam, quæ ferebatur in typos atque umbras: quamvis non intelligerentur esse umbræ & typi. Quæ revera umbra est Fidei justificantis. & præstare non potest solidam cum Deo, qui Spiritus est, agglutinationem, & Fœdus Spirituale.

IIX. Deinde, nihil est nisi σόφον φάρμακον, quod quosdam hic faciunt eximios, qui umbras & typos istos intelligerent esse umbras & typos venturi Christi. quandoquidem ex *Remonstrantium* hypothesi *corpus typorum & umbrarum* intellexerunt non sibi, sed nobis: Fide sua Justificante amplexi *ipsas tantum umbras & typos*. V. G. Abrahami Fides Iustificans ex hypothesi, non ferebatur ultra quam in promissionem de Semine illo, quod ipsi ex Sara natum fuit, Isaaco: Quod autem intellexit Isaac typum esse Christi venturi, id Fide historica sciverit, non sibi, sed nobis, breviter ea

ipsa hypothesi, qua offucias faciunt simplicioribus, *Censeri posse Fidem illam pro Fide in Christum, inprimis si umbras & typos intelligerent esse umbras & typos venturi Christi.* Si animumadvertas, præfracte negant fuisse ipsam in Christum Fidem justificantem, Fidem vererum: (sive intelligerent sive non intelligerent umbras & typos esse umbras & typos:) quemadmodum alibi disputant, quamvis indoctè, in Judificatione Euangelica, *Iustitiam Christi non posse nobis imputari seu censeri pro justitia, quum sit ipsissima Iustitia.*

IX. Enimvero si *Isaac Christus: & Promissio de Semine illo Isaac, promissio de Christo appellatur* Gal. 3. 16. & 19. flagitant verba Apostoli periphrasin istam adhibito judicio logico & thetorico: *Et, Semini tuo qui est Christus typicus* vers. 19. donec veniret *semen*, cui promiserat, *Isaac, Christus typicus.* Consequenter ergo si ductum & seriem verborum sequamur, versu intercedente 17. *Pactionem à Deo ante non firmatam in Christum typicum, Isaac.* Verum repugnat Scripturæ analogia, quæ dictat non in typicum, sed in antitypum verum Christum venturum, Abrahamo confirmatum & juratum Fœdus: adeoque Christo exhibito Deum præstitisse id, quod loquutus erat Patribus Israelitarum Abrahamo & Semini ejus: ac misericordiam suam erga Patres consummasse, memorem Testamenti sui sancti: & jurisjurandi quod juraverat Abrahamo. Luc. 1. 54. 55. & 72. 73.

X. Magis perspicuè ex Socinianis *Smalcius*, (*lib. de Divinit. I. Christi cap. 2.*) *istis* Virginis Mariæ & Zachariæ *testimoniis, adductum se* profitetur *libenter agnoscere, contineri promissionem venturi Messiæ Abrahamo factam in illis verbis, cum Deus ei dixit: In Semine tuo benedicentur omnes Gentes. Gen. 12. 3. & 18. 18. & 22.* Quanquam cum veritate luctans sic pronunciat, *Luculentum quidem esse, si tempora novi fœderis, quibus ista promissio illustrata est spectes: at si eam per se consideres satis obscurum: Possunt enim,* inquit, *ista verba intelligi de posteritate carnali Abrahami, quod scilicet omnibus nationibus bene futurum sit per eam: Et hoc eam modo credibile est,* inquit, *generatim intellexisse si non ipsum Abrahamum & alios ei similes viros sanctos (hi enim vel Prophetæ vel Prophetarum instar erant) saltem omnes alios ejus posteros.* Certe ἀκατάληπτον est, si ingenuè agnoscit *in illis verbis, Abrahamo factam promissionem venturi Messiæ* (non nudam *denuntiationem aliquam*

quam, qualem fingit Gen. 3. 15.) quam ex verbis illis intellectam ipse saltem & alii ei similes viri sancti crediderint, quomodo potuerit illa esse, (secundum interpolatam à Remonstrantibus Socinianorum Theologiam,) Fides non *Iustificans*, sed *historica* tantum.

XI. Accedit quod absque Justificante in Christum venturum fide, ex promissionis verbis hausta, locum non habet Abrahami ἀγαλλίασις & χαρὰ, Exultatio & Gaudium, de quo testatur Christus ipse Joh. 8. 56. *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit & gavisus est*: Quod testimonium frustra torquent Socciniani in aliam quam hanc sententiam, quæ planissima est, ex collatione loci 1. Pet. 1. 11. 12. Gestiisse Abrahamum actum Spiritu Christi, qui in ipso fuit, ut Propheta Gen. 19. 7. videre in visione Prophetica (Prophetæ olim dicti Videntes 1. Sam. 9. 9.) eventuras Christo perpessiones, & illas consecuturam gloriam: & vidisse cum gaudio & exultatione illi nobiscum communi: confer 1. Pet. 1. 6. & 8.

XII. Illud jam confutandum quoque, quod *Smalcius* Promissionem illam Abrahamo factam, & similes, censet ita fuisse in typis & umbris ac generali favoris & benedictionis promissione absconditas, ut admodum paucis potuerint esse intellectæ: præter *Abrahamum forte & similes illi viros sanctos*, Prophetico Spiritu præditos: Adeoque non fuerit illa tunc communis Fides: Ante Abrahamum vero fuerint Promissiones de venturo Messia nullæ, in quibus fundari potuerit Fides in Christum venturum. Omnino isthac assertione, qua non aliis, quam solis Prophetis conceditur, (quæ ex vi veritatis conceditur) Fides in Christum venturum: Fit Prophetis atrox injuria, Hoc enim consequens est, Non functos fuisse fideliter munere Prophetico quod Prophetas obligabat, ut communis salutis Fidem à Deo acceptam Traditione Prophetica Ecclesiæ communicarent, & ad posteritatem propagarent, non defosso in terram talento privatæ intelligentiæ mysteriorum salutis. Atqui hic fidelitatem Abrahæ, in docenda atque erudienda posteritate, Deus ipse commendat: hoc nomine liberalius ipsi revelans arcana. Gen. 18. 17. 18. 19. confer. 2. Cor. 1. 4.

XIII. *Locus Genes.* 3. 15. quem vexat *Smalcius*, ne cogatur *illis seculis, qua* Abrahami vocationem antecesserunt, agnoscere Promissionem

sionom Messiæ asserent: *haberi quidem posse pro aliqua ejus rei denunciatione id quod Genes. 3. legitur, Semen mulieris conteret caput Serpentis, quatenus nimirum per Iesum Christum astutia & potentia Satanæ contrita & conculcata est. At pro promissione ea verba haberi vix posse, nisi fortasse mystico sensu, qui nunc quidem nobis patet, posteaquam Deus nobis I. Christum exhibuit: primis vero parentibus tunc temporis vix ac ne vix quidem patere potuit, nec porro ut pateret necesse ullo modo erat*: Locus inquam ille ex ipso literali sensu; pro necessaria primorum parentum consolatione, & instauratione ad Fidem remissionis peccatorum in Christum Fœderis gratiæ sponsorem, à nobis vindicatus est: *vide Thesi II. citatam disputationem*, in qua etiam præoccupavimus, id quod temere contendit Smalcius non fieri; *esse satis apertam illius oraculi mentionem in N. T.* collatis locis 1. Joh. 3. 9. Col. 2. 15. Heb. 2. 24.

XIV. Addimus porro verborum illorum paraphrasin esse Gal. 4. 4. ubi Christus Dei Filius dicitur in plenitudine temporis missus, Factus ex muliere. &c. Deinde, spectari atque innui & rem & verba oraculi, quando Apostolus nobis spondet per gratiam Dei nostri Jesu Christi, fore ut Deus pacis brevi conterat Satanam sub pedibus nostris Rom. 16. 20. Quin ipse Christus procul omni dubio oraculum illud Genes. 3. respexit, quando inquit ad discipulos suos Luc. 10. 18. 19. Spectabam Satanam, ut fulgur è cœlo cadentem. Ecce do vobis potestatem calcandi serpentes, & scorpiones, & supra omnem vim inimici. Cœcus sit oportet, qui non hic videat mentionem & inimicitiam, de quibus illo oraculo Deus loquutus fuit; & calcandi seu conterendi Serpentis. Et quod caput est, plane brutos faciunt primos parentes; qui censent potuisse illos latere, Deum isto oraculo voluisse ipsos consolari, Promissione liberationis ex potestate Satanæ per Fidem in Semen illud mulieris venturum: quod scilicet nescirent, Seductionem peccati, & mendacia ista de Deo, & vellicationem comminationis divinæ, & suggestionem de affectanda cum Deo similitudine in scientia boni & mali, excedere naturam & captum bruti animantis, quamvis astutissimi.

XV. In isthac ergo promissione prima (quæ in re eadem est cum Promissione Abrahamo facta de Messia venturo) fundamus

Fidem

Fidem Justificantem præscriptam & exercitam ab omni retro antiquitate in Sacrificiorum oblatione; quæ nisi imbuta fuisset illa hac fide, nihil ex se habebat quod Deo placere aut Deum placare poterat illis, qui vel per ἐθελοθρησκίαν vel κακοζηλίαν offerrent: Neque hic audiendus *H. Grotius*, qui in *Voto pro pace*, hæc scribit. *Neque vero Col. 2. v. 23. omnem ἐθελοθρησκίαν damnat Paulus. ita enim damnasset & Abelis sacrificium, quod non ex præcepto divino, sed ex humano venisse instituto ex sententia Veterum diximus ad librum quintum* (ita lego, pro quarum) *pro veritate Religionis Christiana.* Nos ex Apostoli affirmatione ad Hebræos cap. 11. 4. cum v. 6. Errorem Veterum convicimus *in Schola Sacrif. Problemate* II. & III. quem errorem non debuerat vir magnus cumulare abusione vocis ἐθελοθρησκία, quando illam ex Fide oblato Sacrificio Abelis tribuit, ad patrocinium Pontificiæ invocationis sanctorum, & imaginum cultum, quem ille cultum fateri cogitur ibidem, *Non esse ex Fide*: sed ne prematur loco Rom. 14. 13. *Omne autem, quod non ex Fide est, peccatum est*, illa evasione utitur, *Non ex mala conscientia.* Quod esto illic locum habeat; At capite ad Hebræos XI. Fides non significat *bonam conscientiam*, ut ipse vult *seu bene seu male institutam*: sed Hypostasin rerum speraratum.

XVI. Demonstrationem communis in Christum Fidei ex rerum speratarum (in quas ferebatur inde ab Abele Sacrificantium Fides;) consummmatione, ad communem nobiscum salutem, dictat ductus & series verborum totius capitis XI. jam dicti: & porro munit illud, quod illi πλειώσει seu consummationi illorum non sine nobis, cap. 11. 40. Apostolus ilico cap. 12. 2. copulat, & voce conjugata connectit Jesu Christi illud indigitamentum τῆς πίστεως πλειωτὴν, Fidei consummatorem: Unde intelligitur ut Salutis illorum sic fidei communis nobiscum consummatio. Quam porro flagitat, Quod nobis in Fidei nostræ agone illi commendantur, ut ingens nos circumstans νέφος μαρτύρων, Nubes martyrum seu Testium: cap. 12. 1. Quid enim ad nos pro fide in Christum decertantes facerent illi in fide mortui, ut martyres seu testes; si non sunt testati Testimonium Christi, suæ fidei professione, qua in agone suo animas Deo commendarunt; & si accense-

ri non debent illis (ſub Chriſto ἀρχηγῷ duce principe) ἡγουμένοις ductoribus ſeu anteceſſoribus, quorum Apoſtolus nos jubet Fidem imitari. Hebr. 13. 7. &, ne de Fidei in Chriſtum communi Canone aqua hæreat, ſubjungit verſ. 8. illud effatum, *Ieſus Chriſtus heri & hodie idem eſt, & in ſæcula.*

XVII. Hujus loci eſt etiam illud pro communi nobiſcum Veterum Patrum fide in Chriſtum, quod Apoſtolus docet, *Patres noſtros omnes eandem eſcam ſpiritualem ediſſe: & omnes eundem potum ſpiritualem bibiſſe bibebant enim, inquit, ex ſequente ſpirituali petra, Petra vero erat Chriſtus.* 1. *Cor.* 10. 3. 4. Qui locus omni exceptione major eſt, nec patitur ſe torqueri: Loquitur enim aperte, non rite uſurpata Sacramenta illa extraordinaria, in deſerto data Eccleſiæ Iſraëliticæ Manna & Aquam ex Petra, ab iis quorum Fides tantum ferebatur in eſcam & potum carnalem, non autem in Chriſtum venturum, manducatione Sacramentali, in qua Carnalis manducatio Spirituali manducatione ſanctificanda fuit; quæ Omnibus præſcripta ſed non ab omnibus exercita dicitur.

XVIII. De communi autem Fide in Chriſtum in cultu Spirituali præſcripto omnibus, quamvis non rite ab omnibus exercito, præſcribit Euangelii, per Apoſtolos, quin Chriſtum ipſum prædicatio adſtricta ad Scripturarum Propheticarum Canonem, cum eatundem commendatione à ſufficienti lucis perfectione ad Elenchum contradicentium: de ſua quidem prædicatione audiendus hic Chriſtus. Joh. 5. 39. 45. 46. 47. contra Phariſæcs conteſtans. & Luc. 24. 27. in itinere Emmauntico, per interpretationem Scripturarum Moſis & Prophetarum veterum demonſtrans ſuum per perpeſſiones introitum in gloriam. Cum increpatione amentiæ & tarditatis diſcipulorum, qui ex Scripturis iſta non intelligerent: De Apoſtolorum autem prædicatione audiendus Paulus proteſtatus Act. 26. v. 22. 23. ſe in illum uſque diem nihil quidquam dixiſſe extra ea quæ Prophetæ & Moſes futura prædixerant, qui ea propter Eccleſiam Chriſtianam etiam fundamento Prophetarum ſuperædificatam dicit, exiſtente lapide angulari I. Chriſto, qui & Prophetarum & Apoſtolorum fundationem in ſe ſuſtineat. Eph. 2. 20. 21. 22. Quin aſſerit Scripturas Propheticas V. T. in quibus à puero edoctus fuerat Timotheus, potuiſſe illum

ſapi-

sapientem reddere in salute per fidem, quæ est in Christo Iesu. 2. Tim. 3. 15.

XIX. Sed obviam eundum evasioni isti, qua per mutuatam à Pontificiis distinctionem Sensus literalis & mystici elabi conantur Sociani & Remonstrantes, Cujus distinctionis mysterium cognoscere erit operæ precium in hoc specimine, ex nuper edito *H. Grotii Voto pro pace Ecclesia pag.* 104. 105. *ad locum Esai.* VII. qui sic habet In Vulgato Latino interprete, qui Pontificiis authenticus est: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium & vocabitur nomen ejus Emmanuel*: *Grotius* quamvis credens B. Virginis partum, quin Virginitatem perpetuam cum Christiana Catholica Ecclesia: Tamen *Iudæis & Socino* gratificans contra interpretem Vulgatum, (quin contra contestatam ab *Irenæo lib.* 3. *c.* 24. interpretationem Græcam in LXX & in Matthæo) profitetur *se, & adversus Iudæos scribentem, & cum illis ad spem conversionis conferentem, caviisse sibi semper ne illius loci auctoritate eos premeret; & prudenter in eo se feciisse existimat: nec aliis suadet ut agant aliter: & censet Savonarolam in Triumpho Crucis magno judicio totum locum omisisse*: quia scilicet *matrem Messiæ Virginitatem credit Grotius contineri in verbis Prophetæ sed sensu mystico; (qui aptus sit non ad convincendos incredulos, sed ad confirmandos qui crediderunt:)* non a. literali, quem agnoscere queas, *ductum ac seriem rerum verborumque persequens*: Sensu autem mystico, *non ibi tantum* inquit *conceptio ex Propheta qui plenus erat Spiritu sancto, sed & illa Isaaci, Samuelis, Samsonis, de divino promisso venientes mysterium ἐνσαρκώσεως Christi suo modo adumbrarunt.*

XX. Non est præsentis instituti locum Esai. VII. vindicare fecimus illud *Disp. Sel.* XI. Hoc in præsens observamus, ista Socinianorum & Remonstrantium evasione de Sensu tantum mystico, quo in Scripturis Propheticis non revelata sed *velata & abscondita* fuerit Christianorum ventura fides: inutilem effici Scripturam V. T. ad Judæorum & Fidei Christianæ contra illorum perfidiam Apologiam: Absque enim communis Fidei & cultus communi Canone; in Mose & Prophetis revelato, etiam ille labor irritus erit qui in spem conversionis Judæis incredulis impendetur ex Methodo Sociniana, & Grotiana, *ex Miraculis, ex resurrectione & prædicta vocatione Gentium.* Quia contra primum argumentum à Mira-

culis (ex hypothesi Novi Canonis Fidei & cultus) præscribit Lex divina *Deuter.* 13. 1. ut justa fuerit, quæ resurrectionem Christi antecessit, quod absit, Christi trucidatio, ut falsi Prophetæ: quem nodum Gordium non solvit, sed impie secat, *Smalcius capite V. pag.* 16. ubi (prætextu, non sublatæ, ante Christi Sessionem ad dexteram in Patris regno, Legis Cæremonialis:) hoc inculcat, si scapham scapham Vocamus, Christum in terris factum sub Lege Mosis, justam causam ipsum trucidandi non præbuisse Judæis, per dissimulationem illam, qua, quamdiu ipse Propheta fuit, non docuit publice Fidem Euangelicam & cultum Spiritualem; sed demum tunc, quando, ut Rex in Regno sedens, Euangelium per Apostolos prædicari jussit, imperio illius Legis Deuter. 13. 1. non ultra obnoxius.

XXI. Hinc elucet (nisi eadem impietate Judæis largiri velimus si Christianam religionem & modum colendi Deum spiritualem, quando Propheta fuit in terris publice docuisset Christus, sicut illam docuerunt post acceptum Spiritum sanctum Apostoli potuisse & debuisse non obstantibus miraculis juste secundum Legem Mosis trucidari) ad Religionis Christianæ & Christi ipsius Apologiam, & Utilem & Summe necessariam esse assertionem, Communis nobiscum Salutis & Fidei in Christum, Ecclesiæ V. T. secundum expressum in Scripturis Mosis & Propherarum Canonem, divinitus inspiratum ad Judæorum etiam Elenchum. Quod spectavit Apostolus π. Tim. 3. 16. dicens ἀφέλιμος πρὸς ἔλεγχον, *Utilis ad Elenchum*. Et experientia illustris est Act. 18. 24---28. ubi Apollos potens in Scripturis dicitur potenter & solide in publica concertatione Judæos conviciisse, Iesum esse Christum: non alia quam ex Scripturis demonstratione: quamvis ipse necdum ἀκριβέστερον edoctus de Christi exaltatione: Quod & ἀκατάληπτον & ἀδύνατον fuit ex confutata jam Remonstrantium & Socinianorum hypothesi, defensu mystico, non literali.

XXII. Breviter adoptanda est illis, ex ista sua hypothesi, ista religioni Christianæ noxia & in Scripturam V. T. probrosa *Gregorii de Valentia* assertio, *in Analysi Fid. Cathol. lib. 5. cap. 2. Velamen quod ipse Paulus affirmat usque in hodiernum diem, cum legitur Moses esse positum supra cor* (2. Cor. 3.) *Iudæorum, profecto textum, ut ita dicam,*

cam, bona ex parte est ex difficultate Scripturarum illarum: Hoc enim, ut antea, inquit, monuimus, est Scripturam esse difficilem, ejusmodi eam esse, & tam multa, ut intelligatur, requiri, ut proclive fuerit Iudæis & sic aliis omnibus non percipere veram ejus sententiam: Id velle etiam *Grotium* arguit Titulus ab ipso præmissus *de sufficientia sacræ Scripturæ & auctoritate Traditionum:* Si verum dicat *Gr. de Valentia*, non est exspectanda cordis illa per Spiritum Dei ad Dominum conversio, nisi cum cordis ea illo ipsa Scriptura auferatur, ut subtemen cum Stamine, quando auferetur velamen. 2. Cor. 3. 16.

DISPUTATIO VIII.

DE

Testamenti Veteris Ecclesiæ Circumcisa.

THESIS I.

CIrcumcisam Ecclesiam V. T. vocamus illam, quam Deus, charactere illius externi ritus, quo maribus circumcidebatur carnis præputium, sibi segregavit in populum peculiarem. Qui Circumcisionis ritus habebat ex divina institutione significationem & obsignationem Gratiæ; & Justificantis, ut sigillum justitiæ fidei Ro. 4. 11. & Sanctificantis, quæ cordis circumcisio dicta, Deuter. 30. 6. Ro. 2. 29.

II. Habebat autem illam Gratiæ sanctificantis & justificantis significationem, & obsignationem, cum modificatione illa, ut vindicaretur Ecclesiæ circumcisæ, non tantum Communis salus communi fiede in Christum venturum: verum etiam τῆς διαθήκης προσθήκη seu Fœderis Gratiæ principalis accessio ista, ex Patribus circumcisis, non ex præputiatis gentibus, olim nascitu-rum Christum.

III. Circumcisam autem cum dicimus Ecclesiam, intelligimus non tam ipsum Circumcisionis actum exercitum, quam Legem præscriptam: ut Ecclesiæ accenseantur etiam illi, qui ad tempus

quod non Circumcisi, tamen Circumcidendi fuere: V. G. Infantes ante octavum à nativitate diem; Proselyti Catechumeni; Nec non illi, in quibus Circumcisionis neglectum Deus toleravit ad tempus aliquod; ut Israelitarum liberi nati in deserto intra 40. annos peregrinationis, quibus postliminio imperata fuit Circumcisio transito Jordane. Joluæ. 5. 5. 6. 7. 8. 9. Planeut Christianæ Ecclesiæ baptisatæ accensemus multos quamvis ad tempus necdum baptisatos, quâ Infantes, quâ adultos.

IV. Ecclesiæ illius Circumcisæ temporum Periodi duæ sunt observandæ, in qnibus varie se habuit Circumcisionis usurpatio. Notat illud Christus *Ioh. 7. 22. Moses dedit vobis Circumcisionem, Non quod ex Mose sit, sed ex Patribus*: Est ergo, prior illa temporum Periodus, in qua fuere Ecclesiæ Israëliticæ incunabula: ab Abrahamo usque ad Mosem: altera in qua fuit Ecclesiæ Israëliticæ ἀκμὴ, inde à mose ad Christum mortuum.

V. In priori illa temporum Periodo, in qua statuimus Ecclesiæ Israëliticæ incunabula: primitias habemus Ecclesiæ V. T. Circumcisæ: Genes. XVII. ubi narratur, anno ætatis Abrahami 99. & Ismaelis 13. (qui putatur à prima Abrahami vocatione annus 29.) Abraham, & Ismael filius ejus, divino mandato circumcisus, & omnes viri domus illius, tam vernaculi quam emptitii & alienigenæ pariter circumcisi. Deinde Genes. XXI. ubi narratur, anno Abrahami 100. natus Isaac, octavo die circumcisus.

VI. Ante Circumcisionis illam institutionem; nulla fuit Dei Ecclesia alia quàm in præputio: adeoque Novum omnino fuit in Abrahami familia Sacramentum illud, ad ampliorem κύρωσιν seu confirmationem & obsignationem Fœderis Gratiæ, in Christum: quod jam in præputio Abrahamo ante confirmatum erat, sacramentis Sacrificialibus: quæ mansere etiam post Circumcisionem, ex antiquissima V. T. religione, quæ cœpit cum prima promissione Seminis venturi. Genes. 3. 15.

VII. Hic per digressionem lubet disquirere ad Problema illud, quod in *commentariis ad Genesin*, & *ad Galatas*, nec non in *Chronologia sacra cap. 4. & 5.* movet *Parens* de Epocha annorum illorum 430 ante latam legem, quibus Paulus Gal. 3. 17. affirmat *διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ Θεοῦ εἰς χριστὸν*, *Fœdus ante confirmatum*

natum à Deo in Christum. An Fœdus promissionum Dei cum Abrahamo tum demum habuerit primam suam κύρωσιν seu confirmationem: *Quando ei Deus dixit, Tolle mihi vitulum triennem, & arietem triennem Genes. XV. 9.* An verò circiter decennio ante, nempe illico ex quo Abrahamo dictæ sunt Promissiones. Genes. XII. Prius affirmat *Pareus* nos affirmamus posterius.

VIII. Urget *Pareus* verba illa, cap. XV. vers. 18. *Hoc die pepigit Iehova* FOEDUS *cum Abrahamo, dicendo, Semini tuo dabo terram hanc à flumine Mizraim: Neque,* inquit, *ante hunc diem in historia Abrahami pactionis aut Fœderis ulla vel minima reperitur facta mentio.* Resp. Chronologicam litem, de decennio serius inchoando annorum 430, computo, non facimus nostram, ac per nos licet ut *anni servitutis* non ante numerentur, quam ab illa Fœderis confirmatione in qua editum est *oraculum servitutis Ægyptiacæ, & liberationis seu Exodi ex Ægypto.* Interim non est negligendum quod *Pareo* opposuit *Iac. Cappellus, in Hist. Sacra & Exotica ad A. M. 2072.* Apostolum annos 430. inchoare ἀπὸ διαθήκης προκεκυρωμένης non ἀποκυρώσεως τῆς διαθήκης *A fœdere quod ante Legislationem confirmatum fuit, non à confirmatione fœderis facta.*

IX. Theologicum hoc est, & hujus loci, quod recte *Iac. Cappellus* asserit, *Quamvis ante illam historiam Genes. XV. 18. Fœderis vocem non habemus, tamen rem habemus, Fœdus plenissimum atque adeo Euangelicum.* Certe si Fœderis vocem expressam ita flagites, ut ubi illa non existat, nulla intelligenda sit facta Fœderis conventio & sanctio, relabiur in Iudaicum illud inane תורה: ut scilicet nullum fuerit ante Diluvium Dei cum Ecclesia Fœdus promissionum: Quia saltem non ante imperatam Noacho Arcæ fabricam, atque sub ejus ingressum demum Deus Noacho promittit fœdus cum ipso sanciendum Genes. 6. 10. Neque in historia Pariarcharum ante Diluvium, alia ulla reperitur Pactionis aut Fœderis mentio expressa.

X. Enimvero, (quamvis non expressa voce Fœderis); ex illa periphrasi Sacrificantium ex Fide, quam habemus Psalm 50. 5. כרתי בריתי עלי זבח *Qui pangunt fœdus meum super sacrificium*, evincimus expressum esse sufficienter, sanctionis seu κυρώσεως τῆς διαθήκης mentionem, ubicunque sacrificiorum mentio expressa

est.

est. Habemus autem & iteratam jam ante mentionem Sacrificiorum Abrahami: Bis quidem Gen. XXI. 1. nam primum versu 7. atque iterum vers. 8. narratur ab Abrahamo ad Sacrificiorum cultum, exstructum Altare.

XI. Tertia autem, si animum advertas, mentio Sacrificiorum Abrahami, adeoque sanctio Fœderis promissionum, est illa Genes. XIV. Quando memoratur Melchisedeck, ut Sacerdos Altissimi Abrahamo eminentior, confirmaturus suâ apprecatione promissiones benedictionum, ab illo accepisse *Decimas Omnium.* Si Decimas omnium, certe Decimas *Bonum Ovium & Captarum* accepit ab Abrahamo Melchisedek; ad eundem usum illum oblationis, in quem Levitis Sacerdotium sortitis Decimas Bonum Ovium & captarum dederunt fratres ipsorum: ut liquet ex analogia Legis, quæ exstat Levit. 28. 32. & ex Apostolo Hebr. 7. 5.

XII. Quarta ergo est illa Fœderis Dei cum Abrahamo in Christum confirmati κύρωσις, cujus reperitur facta mentio Genes. XV. quam primam facit *Pareus*: Atque hæc (ut in viam revertamur) non semel repetita ante institutam Circumcisionem Fœderis confirmatio, Communis fuit Ecclesiæ domesticorum Abrahami, una cum aliis in præputio Ecclesiis visibilibus; quorum Antistites fuisse censemus *Semum, Melchisedekum*, aliosque, qui populari errore putantur vixisse μεμονωμένοι ab omni populo Dei segreges: quemadmodum à Judæis etiam fingitur μεμονωμένος Phœnix Abrahamus: in quo uno revixerit, quasi è cineribus veri Dei cognitio. Atque cum illis extra domum Abrahami reliqui is componebat Ecclesiam illorum temporum in præputio Catholicam, domesticam illa Abramidarum Ecclesia.

XIII. Neque vero per imperatam Ecclesiæ illi particulari, quæ domi Abrahami erat, Circumcisionem, & mox posteros illorum propagatam; desiit ilico aut excidit simul & semel Fœdus Gratiæ confirmatum in Christum: cum Ecclesiis in præputio, filiorum Noachi illorum, quibus non fuit imperata Circumcisio: verum aliæ aliis, & paulatim se ipsis impuriores factæ, tandem ad Gentilissimum defecerunt: piorum reliquis in Ecclesiam cœlestem evocatis.

XIV. Ex imperata autem ad Fœderis obsignationem Circumcisione

cisione Abrahamo omnibusque ejus domesticis etiam emptitiis & alienigenis: nihil certius est, quam ad orientales omnes populos qui ex familia & posteritate Abrahami venerunt (sive ex Agar, sive ex Sara, sive ex Cethura originem traxerint: sive ex primis illis Proselytis in domo Abrahami circumcisis) propagatam Circumcisionem, etiam extra Isaaci nepotes Israëlitas & cum Circumcisione Ecclesiam Dei. Quæ (donec similiter ad Gentilismum deficerent, aliæ aliis serius ocyus,) Ecclesiæ particulares præputiatæ, cum Israëlitis componebant unam Ecclesiam illorum temporum Catholicam: Neque tantisper haberi poterant Ethnici, à Fœdere cum Abrahamo in Christum confirmato extranei: sed fratres censeri debebant, & socii unius Religionis, juxta illud Deut. 24. 7. *Non abominaberis Idumæum quia frater tuus est.*

XV. Præputii ergo charractere, in illis Ecclesiæ Circumcisæ incunabulis, abominabiles fuere, non illi filii Noachi, quibus non fuit imperata Circumcisio; sed illi filii Agar & Cethuræ, si qui, per Apostasiam ad Gentilismum, Circumcisionem profane negligerent: Hinc illud est (quod etiam *Grotio* observatum) quod *Idumæos à Iudæis coactos circumcisionem suscipere in historiis Hebræorum & Græcorum legimus: quia Circumcisionis lege tenebatur tota Abrahami posteritas.*

XVI. Interim *Theologiam filiorum Noachi in præputio* (quorum Ecclesias particulares vel domatim vel gregatim collectas, facimus juxta Ecclesiam Abramidarum partem Ecclesiæ Cathoiicæ) Theologiam inquam & Religionem qua Deo placuerint, unam eandemque statuimus cum Teologia & Religione qua in præputio Deo placuit Abrahamus. Quæ Circumcisionis sigillo auctior facta, sed non antiquata est: manente semper in Ecclesia V. T. Sacrificiorum oblatione, ex Fide promissionem de venturo Christo, Verbi supernaturaliter facti Traditione inde à mundi initio propagatam: atque, hactenus quidem, uniformi œconomia visibili Religionis & Fœderis cum Deo.

XVII. Veniendum jam ad temporis Periodum alteram, in qua statuimus Ecclesiæ Circumcisæ ἀκμήν, qua, fundata Legislatione Mosaica, Israëlitarum Respublica duce Josuà constituta est in terra Canaan, cum Gentium præputiatarum Rejectione. Tunc

enim Circumcisionis Sacramentum, quod tantisper fuerat domesticum particularis Abramidarum Ecclesiæ, factum est Ecclesiæ V. T. Catholicæ publicum Sacramentum. Adeo ut præputii charactere reliqui Noachi filii, sicut ex Abramidis Apostatæ, censerentur *extranei à Fœderibus, sine spe, sine Deo esse in mundo. Eph.* 2. 12. Ac nulla esset ultra in Gentibus vocatio Ecclesiæ præputiatæ ad salutem: Quippe in solo Israëlitico populo Deo conjugata erat Ecclesia Catholica, in reliquis a Gentibus *sterilis non pariens liberos. Esai.* 54. 1. *cum Gal.* 4. 27.

XIIX. Non ergo, quod contendunt alii, ex illo tempore, stante Israëlis Republica, filii Noachi præputiati ab Ecclesia Catholica excluſi fuere, perverso Israëlitarum circumcisorum, sed justo, secundum Deum, zelo: Quod evidens est, & ex Dei illa expostulatione de potestate clavium neglecta contra *incircumcisos carne. Ezech.* 44. 6. 7. 8. 9. & ex Christi ipsius mandato Matth. 18. 1. & 19. 5. cum 15. 36. Et quod Eph. 1. 15. 16. Apostolus legem ipsam Circumcisionis una cum reliquis cultus cæremonialis mandatis divinis vocat *inimicitias*, quibus demum in morte Christi peremptis, Gentes Deo ipsi non minus, quam populo Dei, conciliatæ sint. *Vide Disp. nostram Sel. XII.*

XIX. Hallucinantur ergo, Qui stante Israëlis Republica faciunt alios *Ecclesiæ Dei cives*, quam Circumcisos Israëlitas, aut proselytos: *Viros* scilicet *religiosos* εὐλαβεῖς *conversos ex Gentibus ad Iudæos, & doctrinam ac promissiones Dei amplexos, sed non circumcisos, nec observantes cæremonias*: *Quia* scilicet *Gentibus liberum erat servare Circumcisionem & Cæremonias.* Negamus illa, de qua agimus temporis Periodo dici potuisse viros εὐλαβεῖς religiosos, qui à Circumcisione & Cæremoniarum Mosaïcarum observatione, ultra justum tempus, (quod dabatur præviæ Catechumenorum institutioni,) illa opinione abstinerent, quasi liberum esset fidei suæ confirmandæ adhibere Circumcisionis Sacramentum, vel Sacramento illo carere. Cives ergo Ecclesiæ incircumcisos illos quidem in V. T. agnoscimus, qui in Ecclesiæ circumcisæ incunabulis non fuerunt domo Abramidæ. Nullos autem Ecclesiæ Israëliticæ Proselytos incircumcisos alios, quam Catechumenos, mox circumcidendos.

XX.

XX. Graviter autem falluntur & fallunt, qui ex Gentibus in præputio salvatos credunt, intra ipsam Israelis Rempublicam habitantes, absque Fœdere aut Jure divino alio, quam quod ex Judæorum Traditione definitum fuerit *Septem* istis *præceptis*, quæ operæ precium erit hic exprimere. 1. *Iudicia*, ut servarent judicium publicum, & in hoc justitiam. 2. *Benedictio*, ut Deum benedicerent. 3. *Cultus alienus seu idololatria*, ut non colerent Idola. 4. *Revelatio nuditatum, seu vagæ libidines*: ut caverent ab incestu propinquorum. 5. *Effusio sanguinis seu homicidium*, ut abstinerent à cæde. 6. *Rapina*, ut rapina abstinerent. 7. *Membrum de vivo*, ne tollerent membrum animali vivente. Vide *Schindlerum in Pentaglotto, ad radices* צוה & נור *ex Targum Ruth. cap.* 2. Pronunciat hic *Grotius de jure Belli & Pacis. lib.* 1. *cap.* 1. *§.* 16. *Non dubitandum quin fallantur Iudæorum illi (quos inter Trypbon in disputatione cum Iustino) qui existimant etiam alienigenis, si salvi esse vellent, sub eundum fuisse legis Hebraicæ jugum.* Temere.

XXI. Atqui ista vulgo dicta *Filiorum Noachi Theologia*, (non complectens neque Legis Dei Spiritualis Catechesin, quam flagitat Prædagogia ad Christum: neque Promissionem de Christo venturo,) si statuitur fuisse Salvifica; evertitur Scripturarum, de Communis Salutis per Christum communi Fide, analogia; neque ullo schemate refutari potest *Ludovici Vivis* illa assertio *de Salvatis etiam extra Iudaismum Gentilibus, qui sine Lege Naturam ducem sequebantur: Comment. in Augustinum de Civ. Dei. lib.* 18. *cap.* 47. Quem *Vivem* hoc nomine notavit *Montacutius, Vitra Erasmum, vel etiam Andradium, progressum in castra Pelagianorum, non ut exploratorem sed ut transfugam Apparatu I. §.* 80.

XXII. Proselytos autem istos non Circumcisos, non habitos fuisse Ecclesiæ cives, qui coram Deo Justi & Salvi essent, testatur nomenclatura distincta, qua Proselytum non circumcisum vocarunt גרתושב *Proselytum habitationis*: Proselytum autem circumcisum גר צדק *Proselytum Iustitiæ*. Atque si *Majemonidem* audimus. Re integra, ubi Israelitæ viribus prævaluerunt ac suam tueri Remp. potuerunt, qui septem illa præcepta reciperet, illum ne quidem, ut Proselytum habitationis recipiebant, *nisi tempore Iubilæi. Extra Iubilæi autem tempus, non recipiebant quemquam, nisi Proselytum iustitiæ*

anium. Majemon: de Idololatria. cap. x. §. 7.

XXII. Concludimus ergo contra quoscunque; Omnibus qui stante Republica Israëlis facti sunt vel nati cives Ecclesiæ Catholicæ, imperatam fuisse Circumcisionem: ut quæ esset publicum Ecclesiæ Sacramentum; cujus, non quidem nuda per se absentia, attmen contemptus damnaret; & absque qua, ut Sacramento initiationis in Ecclesiam, Sacramento & Sacrificio Paschatis communicare nefas erat Exo. 12. 48. 46. & fores etiam Templi claudendæ fuere, Ezech. 44. 6. 7. 8. 9.

DISPUTATIO IX.

DE

Comparatione Testamenti Veteris & Novi melioris.

THES. I

PRæcognita Ecclesiæ Testamenti Veteris communi nobiscum & Salute & Fide ac Religione, examinanda jam Comparatio dispar Testamenti Veteris & Novi, ut intelligatur quæ illa sit inter utrumque differentia, qua Veteri antecellit Novum, ut melius & perfectius: Quandoquidem Tempus Novi Testamenti ab Apostolo vocatur *Tempus Correctionis* Καιρὸς διορθώσεως Hebr. 9. 10. & ipsum Testamentum, *Novum & Melius Fœdus seu Testamentum.* Hebr. 7. 22. & 8. 6. 7.

II. Hic occurrendum initio illis, qui, quod posteriori loco ab Apostolo dicitur Christus *Melioris Fœderis Mediator, quod Meliorbus promissionibus sacitum est*, arripiunt ut probent non habuisse Vetus Fœdus operum cum Adamo ante lapsum promissionem Vitæ melioris quam Animalis in Paradiso degendę: sed Novo Fœderi Gratiæ vindicandam melioris æternæ cœlestis vitæ promissionem: Maxime autem, in præsens, illis qui verba Apostoli eadem opera trahunt ad Vetustissimam Fœderis ante Mosem, nec non Veterem Mosaicam œconomiam: ut, quantum vis meliori post mortem vita potiti

titi fuerint Patres, non tamen fuerit illa cœlestis vita ipsis in Fœdere promissa, aut ex Fide promissionum ordinarie revelata; ante Christi mortem & adscensionem. Contra illos quidem in antecedentibus disputationibus expositum abunde est ac demonstratum, omnino *promissam fuisse Adamo primo vitam illam æternam cœlestem, quam Christus præstat in Fœdere Novo.*

III. De Fœdere autem Gratiæ, propria loquutione accepta verba Apostoli, (in antithesi contra Fœdus operum Vetus ante lapsum,) hoc sensu verificantur, non obstante isthac nostra assertione: Quandoquidem *ejusdem Vita æterna cœlestis, utrobique promissæ, Promissiones tamen in Novo Fœdere Gratiæ meliores sunt, quam in Veteri Fœdere operum:* quia in Veteri Fœdere suspensæ à conditione lubrica & incerta, perfectæ obedientiæ & perseverantiæ Adami primi: In Novo autem donatæ ἀμεταμελήτως, propter certitudinem infallibilem satisfactionis & obedientiæ Christi Sponsoris imputandæ fœderatis: Quin cumulatæ & roboratæ, novis promissionibus non solum de illa Justitiæ Christi donatione & imputatione, qua acquirendum erat olim, & jam quæsitum est, Jus ad vitam æternam cœlestem: Sed de præstanda quoque ipsa illius Justitiæ participatione, per Fidei donum ἀμεταμέλητον, & Spiritus S. in fœderatis operationem efficacem, qua præveniente operetur quod ad Fidei τὴν δοκιμὴν seu experientiam necessarium est, ut etiam ἡ ὑπομονὴ habent ἔργον τέλειον hoc est ut Patientia seu Perseverantia opere ipso consummetur. Jac. 1. 3. --- 6.

IV. Liquet assertionis nostræ veritas ex illis testimoniis quibus præstantiam & excellentiam Promissionum N. F. confirmat Apostolus, & loco laudato Hebr. 6. a versu 6. ad finem capitis, & Hebr. 10. 14. --- 17. Petita autem sunt ex Jeremia, apud quem exserte Novum Gratiæ Fœdus hac differentia promittitur διαφορώτερον: Quod V. T. factum sit irritum per Apostasiam: *Pangam cum domo Iuda Fœdus Novum, non secundum illud Fœdus quod pepigi cum majoribus eorum: Nam isti non perstiterunt in illo meo fœdere, & ego despexi eos. Quamobrem hoc est Fœdus quod pangam, &c. Ierem.* 31. 31. 32. Hoc autem V. F. ἀνωφελές corrigitur ista promissione nova, fore ut Deus *leges suas mentibus & cordibus inscribat, & peccato-*

rum atque iniquitatum ipsorum non recordetur amplius. vers. 33. 34. atque ut *indat illis cor unum & viam unam ad timendum Deum omnibus diebus: quo nomine;* Deus inquit, *pangam ipsis Fœdus perpetuum, quia non avertam me à prosequendis ipsis benefaciendo ipsis: & timorem meum indam animo ipsorum, ne recedant à me Ier.* 32. 39. 40. *confer Ezech.* 36. 25. --- 29.

V. Perimunt ergo illi Meliores N.F. promissiones, qui hanc V. & N. F. differentiam tollunt, qua in Novo Fœdere corrigitur illud V. F. ἀνωφελὲς à Deo illis verbis expressum, *Isti non perstiterunt in illo meo fœdere, & ego despexi eos*: Minime enim illud corrigitur, si (quod contendunt Remonstrantes) in N. F. et iam hoc fit, ut Fœderati non perstent in Novo Fœdere, & Deus tandem illos despiciat; scilicet, tentato sine successu illo Gratiæ suæ ἀποπλέσματι, quod se moliri velle testatur, puta ut indat cor lapidem, indat timorem animis, ne ab ipso recedant, servet ipsos ab omnibus inquinamentis, adeoque victus ipsorum cordis duritiæ, non persequatur ipsos benefaciendo, sed peccatorum postliminio recordetur, quod ubi fit omnino fœdus antiquatur.

VI. Hæc quæ contra Remonstrantium errorem (de Sanctorum Apostasia, & irrito Apostatis Fœdere Novo gratiæ) elenchum facit, vera διάνοια verborum Pauli, non patitur illam Vitæ æternæ promissæ (in V. F. *Animalis in terris degendæ*, in N. F. *melioris cœlestis*) differentiam ex verbis exprimi. Sed neque in verbis Apostoli patrocinium est erroris alterius, *de non promissa in V. Testamento æterna cœlesti vita, ante Christi in cœlos adscensionem.* Quia quantumvis, ex contraria hypothesi orthodoxa, non habemus nos melioris vitæ æternæ promissionem, quam habuere olim Veteres Patres ante Christum: habemus tamen ejusdem vitæ æternæ promissionem illustriorem jam, quam olim illi.

VII. Ac tametsi largiamur etiam illis idem Spirituale Fœdus Gratiæ, non lubrica & incerta, sed certissima promissione ἀμεταμελήτως sancitum, quodque irritum fieri non potuit: propter obitum à Christo (Deo mentiri nescio) vadimonium: Hoc non obstante melior & illustrior est Promissio vitæ æternæ cœlestis, omnesq; illi connexæ promissiones spirituales, in Nov. Testamento seu Nova fœderis œconomia, post Christum manifestatum in

carne

carne & mortuum, quam ante in vetustissima illa ante Mosem & Veteri Mosaïca: Quia I. nobis exhibetur, non, ut olim, Christus aliquando venturus & satisfactionem pro peccatis præstiturus, ac vendicaturus sibi & Ecclesiæ jus ad vitam æternam, & gloriam: sed jam manifestatus in carne, & mox plenissima satisfactione, & peccatorum vera expiatione, defunctus, & vitæ æternæ gloria in cœlis coronatus Heb. 1. 3.

IIX. II. Quia per Christum nobis donatur jam remissio peccatorum & vita æterna, non, ut olim, anticipata propter vadimonium à sponsore Christo obitum quidem, sed necdum exsolutum, manentibus interim in cultu instituto peccatorum Chirographis: Verum, perfecte quæsiti juris titulo, cum plenissima libertate & immunitate à Legis Cæremonialis veteris jugo: adeo ut jam porro nulla neque vera neque typica oblatione pro peccatis opus sit: accesset, in exteriori etiam cultu & religione, ista quotidie repetita peccatorum mentio, quæ Sacrificiorum veterum oblationem comitabatur, eique implicita erat. Qua quidem durante, Promissio illa Novi fœderis, *Iniquitatum eorum non recordabor amplius*, necdum habebat omnimodam suam plenitudinem. Ac propterea, post quam jam cessat in cultu publico illa peccatorum recordatio: merito, peculiari privilegio, promissio illa vindicatur Novæ œconomiæ Fœderis Novi, quæ Novum Testamentum dicitur, locis jam collatis. Heb. 8. & 10. cum Jerem. 31.

IX. Breviter ergo Meliores sunt in N. T. quam in Veteri Promissiones, quia illic typice tantum obsignatæ erat morte & sanguine pecudum: Hic plenissime confirmatæ morte & sanguine ipsius Testatoris. In quam veram & solidam confirmationem promissionum, tanquam novam necessariam Fœderis corroborationem, olim eo pacto recumbebat Fides & Spes atque exspectatio veterum credentium, ut eminus illam salutarent, tanquam suarum animarum salutis τελείωσιν perficiendam in temporis plenitudine à Deo præfinita: Asque qua τελειώσει, quia nullum fuit Promissionum τὸ ναὶ καὶ τὸ Αμὴν. Ante illam mortui credentes dicuntur non adepti promissiones, quippe qui periissent, nisi subsequutum esset ipsorum in fide obdormitionem, *istud melius, quod Deus de nobis providerat, ne illi absque nobis* τελειωθῶσι *consummate consecrerentur:*

confer

Confer. Hebr. 11. 13. 39. 40. cum Hebr. 9. 15. & accommodari potest locus 1. Cor. 15. 18.

X. De isthac jam explicata *in Promissionibus ipsis spiritualibus mutatione in melius sub Novo T. præ Veteri*, accipimus id, quod dicitur Eph. 2. 15. 16. 17. per Christum jam *facta Pax & peremptæ inimicitiæ*, Ubi quando Pax plena antonomastice vindicatur tempori N. T. assimilatur tacite status ille rerum spiritualium qualis erat sub V. T. *Induciis* quibusdam, quæ donec pleniori pace terminentur non perimunt inimicitias, sed suspendunt ad tempus: Confer *πάρεσιν dissimulationem peccatorum quæ antecesserunt sub V. T. Rom.* 3. 25. ad plenam illam *ἄφεσιν remissionem sub N. T.* Hebr. 10. 18. *Vide Disput. de T. V. Eccl. communi nobiscum salute Thes.* 7. 8. 9.

XI. Ad eandem ἐπανόρθωσιν, seu mutationem in melius ipsarum Promissionum spiritualium illustrandam, facit; Quod peculiariter N. T. vindicatur *υἱοθεσία* seu *Adoptio credentium in Filios Dei, & Spiritus Adoptionis*: ut Veteribus ante Christum mortuis in Dei populo, adscribi videatur, *si non mera Servitus & Spiritus servitutis*, saltem *Infantilis status talis sub tutoribus, & curatoribus, quo Infans à Servo nihil differt Gal. IV.*

XII. Enimvero non possunt nec debent & quæ in illam sententiam ab Apostolo disputantur, eo trahi, quasi vel omnino Spiritum adoptionis & Jus filiorum Dei non habuerint credentes ante Christum; vel saltem non ex Fœdere promissionum illis communiter dato: ac quasi Vetus illa Fœderis œconomia mere comparata fuerit ad ingenerandum Spiritum servitutis. Erroris istius nervi à nobis jam incisi sunt, asserta Communi illorum nobiscum salute & Fide ac Religione. Hoc certum est Apostolum ubi videri posset vel maxime loqui ad deprecationem istam V. T. tamen Veteres credentes facere Hæredes & Dominos omnium Gal. 4. 1. quemadmodum Israelitis olim tribuit Adoptionem & Promissiones Rom. 9. 4.

XIII. Salvo ergo Adoptionis & Hæreditatis filiorum jure communi minorennibus & adultioribus: Per *υἱοθεσίαν*, seu Adoptionem (quæ antonomastice nobis ut adultioribus in N. T. vendicatur, præ illis ut minorennibus,) indicatur augustior & illustrior

lustrior titulus Adoptionis Filiorum Dei, & jus plene quæsitum ac perfectum, minime, ut olim, pendens ab exspectatione venturi Filii Dei per quem & illis jam & nobis hæc υἱοθεσία quæsita est, cujus illi usumfructum anticipabant.

XIV. Illustranda porro est hæc comparatio Testamenti Veteris & Novi in Promissionibus Spiritualibus, per concertationem Veteris Testamenti in vetustissima ante Mosem & Veteri Mosaïca œconomia fœderis exteriori & visibili, *quoad Verbum & Sacramenta Promissionum*: Convenientia quidem hæc fuit, quod ab Adamo ad Christum Verbo promissionis de Semine venturo propagata est Fides salvifica: & cum Fidei & Spei illius professione Deo oblata sacrificia & in Sacrificiis. per fidem usurpata Sacramenta seu visibilia signa & sigilla Justificantis & Sanctificantis gratiæ Dei: atque sic juxta Canonem Verbi Dei supernaturaliter facti instituta Ecclesia, ac vocata ad felicitatis supernaturalis consequutionem.

XV. Differentia autem potissimum in eo sita fuit, Quod Promissio salutis per Semen mulieris venturum, initio quidem usque ad Abrahamum πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως variis accessionibus aucta & illustrata, præsertim indicata Genealogiæ Christi linea deducta ad Abrahamum & Semen ejus ex Isaaco nasciturum, nec non ostensa terra patria, ex qua nasciturus esset Christus; tandem sub primæ Periodi finem, gemino quasi arrhabone confirmata fuit: puta viva demonstratione veritatis, *Abrahamo facta promissionis geminæ*, 1. *De multiplicando in Isaaco Semine ipsius*, 2. *atque ejusdem Seminis vindicatione in libertatem cum Cleruchia terra Canaan.*

XVI. Hinc consequuta est hæc (quam proxima disputatione attigimus) *differentia in Sacramentis Promissionum*: Quod *Sacramentum Circumcisionis*, initio domesticum in familia & cognatione Abrahami, constituta Israelis Republica in terra Canaan, sic factum est publicum Ecclesiæ Catholicæ V. T. Sacramentum, ut illo obsignaretur, non nude ad conscientiam Justitia fidei, sed unà omnium præputiatorum carne rejectio & exclusio ab Ecclesia; quæ non fuerat obsignata pariter, non matura quippe, ante quatuor sæculorum terminum, quæ intercurrerunt in Mosem & Circumcisio-

cisionem institutam. Genes. XV.

XVII. Accessit ad Circumcisionem Judæis isthoc titulo à Mose datam (quamvis non esset ex Patribus Joh. 7. 22. *Novum quoque Paschatis Sacramentum*, in quo (quippe *veri nominis Sacrificio*) populus Israëliticus, qui servitute Ægyptiaca pressi desierant ex Veteri Patriarchali religione Sacrificia offerre, iterum postliminio initiati fuere Sacrificiorum oblationibus: ut *Regium Sacerdotum & Gens sancta. Exod.* 19. 12. quemadmodum iterum post annos XL à cessatione Circumcisionis & Sacrificiorum in deserto, repetita est populi sanctificatio, (post Circumcisionem instauratam;) per repetitam Paschatis celebrationem: transito Jordane in Gilgale. Jos. V.

XVIII. Unde satis manifestum est, *in Paschatis sacrificio* fuisse Religionis Sacrificiorum κεφάλαιον sive summam: & *in gemino Sacramento Circumcisionis & Paschatis*, characterem novæ melioris œconomiæ fœderis Mosaïcæ: quanquam non antiquatis Vetustissimæ œconomiæ ab Adamo ad Mosem *Sacramentis Sacrificialibus*: sed sic vindicatis & adsertis uni illi populo, cujus Respublica per Mosem fuit constituta: ut exclusis omnibus præputiatis, quin circumcisis Paschatis contemptoribus, penes illum solum maneret cum veteri religione Jus Sacrificandi.

XIX. Quam ergo Fidem & Spem nude obsignabant Sacramenta Sacrificialia, eandem, gemino illo, quem diximus arrhabone veritatis divinæ munitam, obsignabat geminum illud Sacramentum, (quo utroque in populum Judaïcum cooptabantur proselyti: Exod. 12. 38. seqq. Ut jam non simpliciter testarentur sacrificantes se exspectare, ad veram peccatorum expiationem perficiendam, Christum λυτρωτὴν & redemptorem spiritualem venturum in temporis plenitudine, sed eundem ex multiplicato jam in Isaaci & Jacobi posteritate semine Abrahami, & in terra promissionis sancta nasciturum.

XX. De Legis autem Pædagogia in serviente Fœderi Gratiæ notanda quoque; & convenientia & differentia V. T. ante & post Mosem. Convenientia fuit, Quod utraque V. T. œconomia, & Vetustissima Patriarchalis & Vetus Mosaïca, habuerit typum & κατήχησιν Juris divini & Moralis & Cæremonialis, illius quod anto-

antonomastice tribuitur Mosaicæ Legislationi, quia per illum utraque *Lex Moralis & Cæremonialis* in tabulas relata est, auctior tantum officiorum particularium determinatione, & variis rituum decretis loco & tempori commodis & oportunis.

XXI. Etenim Lex Moralis, quatenus perfectæ charitatis & justitiæ in natura & actionibus tota vita debitæ regula est, per se perpetua ac necessaria & immutabilis est; neque suam originem acceptam fert Mosis Legislationi, sed primæ hominis creationi, cum qua per imaginem Dei naturæ indita fuit: Ad quam imaginem renovatio hominis non constitit unquam absque catechesi ex eadem Lege per Verbum patefacta & tradita: Quamvis ante Mosem id fieret *absque scripto ex divina inspiratione* (*ad publicum Ecclesiæ usum*) *sermonis signo.*

XXII. Lex a. Cæremonialis, quatenus flagitat *Sacrificiorum religionem* ejusmodi; qua fiat peccatorum ἀνάμνησις Heb. 10. 3. & scribatur peccatorum chirographum Col. 2. 14. adeo ut ab hac cultus externi parte tota exterior œconomia fœderis denominetur *Litera occidens, Mortis ministerium & ministerium condemnationis* 2. Cor. 3. similiter non est ex Mose, sed ex Patribus, inde ab Adamo & Abele πατροπαραδότως observata: ut ulibi à nobis plenius demonstratum est.

XXIII. Antonomastice autem Mosi vindicatur Legislatio, &, cum de Veteri Testamento sermo est, tribuitur œconomiæ Mosaicæ, quidquid cum illa alias commune, habet etiam prima V. T. antiquitas: quia per Mosis ministerium videbatur adumbilicum perducta Ecclesiæ veteris institutio ex Lege, & Sacerdotii πάξις: uncto Aarone & filiis ipsius, & constituto successionis jure inviolabili usque ad Christi adventum.

XXIV. Habet autem hunc usum istæc ἀντονομασία, ut, quantumvis ad umbilicum perduxisse omnia videri possit Moses sua Legislatione, tamen appareat, non correctas fuisse, nec corrigi potuisse sub ipsa Mosaica œconomia, illas infirmitates vetustissimæ λατρείας & religionis, per quas non poterat sufficienter confirmari Dei cum homine Fœdus spirituale: sed laborasse etiam hac parte, œconomiam à Mose institutam ordinato Sacerdotio Aaronico, qua olim inde ab initio in Sacrificiorum oblationibus labo-

raverat Vetus Testamentum: Scilicet cum Fœdus operum Vetus factum esset per peccatum inutile ad hominis Justificationem & salutem, neque promissa isthoc fœdere vita æterna sperari posset, si non per Fœderis Novi Mediatorem corrigeretur τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου Legis impotentia Ro. 8. 1. Quod tam sub Mosaica œconomia, quam ante Mosem, Ecclesia Vetus habuerit istius correctionis & futurorum bonorum, in cultu instituto ejusque δικαιώμασι per se spectatis, *umbras* tantum præsentes· οὐκ αὐτὴν τὴν εἰκόνα, *non ipsam expressam formam* Hebr. 10. 1, unde δικαιώματα illa dicuntur fuisse ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα, *infirma & egena elementa*. Gal. 4. 3. 2. Col. 2. 8. 20.

XXV. Facta ergo comparatione ad N. T. communis & perpetua fuit V. T. infirmitas, quæ flagitabat Novum, gemina illa: prior, quæ *Fœderis Mediatorem* spectabat, altera, quæ spectabat *Mediationis modum* in præstanda salute animarum, & vita æterna promissa. Quoad Fœderis Mediatorem hoc desiderabatur, ut se ipse sisteret ac vadimonium expleret: quod fieri non poterat absque ejus manifestatione in carne seu natura humana mortali: quam ad mortem obeundam, necesse erat assumi in unitatem Personæ Mediatoris Hebr. 2. 10.---14. & 17. ut ipse idem Sacerdos & victima, per se proprio sanguine facta purgatione peccatorum, sibi Redemptoris titulo Ecclesiam acquireret & vindicaret. Hebr. 1. 3. Actor. 20. 28.

XXVI. In hujus itaque Incarnationis spem subrogabantur inde ab initio *Sacerdotes*, qui dona & victimas offerebant pro peccatis, ut Sponsores typici Hebr. 7. 21. cum 22. Advocabantur quoque divinitus ad spei illius corroborationem *variæ personæ Angelorum & Hominum*, qui ut *internuncii* inter Deum & Ecclesiam dici possunt fuisse typici Fœderis Mediatores: ut Moses Gal. 3. 19. Deut. 6. 27. Sed illi omnes ut servi & ministratorii Spiritus atque Ecclesiæ σύνδουλοι communiter non habebant illam dignitatem, quam inesse oportebat personæ Mediatoris & Sponsoris plene Fœdus corroboraturi: neque illis convenire unquam poterat Dominium spirituale in Ecclesiam titulo redemptionis spiritualis acquirendum.

XXVII.

XXVII. Deinde, quoad Mediationis modum seu Sacerdotii Legem, communiter omnes minime poterant constitui Sacerdotes, illa *veri Sacerdotii lege*, quam justitia Dei flagitabat, ut Sacerdos ipse se sisteret victimam & sacrificium pro peccatis: Et porro laborabant omnes hac indignitate, quod essent ipsi infirmi peccatores, & ipsi propter peccatum Deo ὑπόδικοι ad mortem: Et quod offerrent in Sacrificium nihil habebant; præter pecudum σφάγια, per quæ non poterant auferri peccata, nec purgari conscientia: Quæ fere summa est & scopus Epistolæ ad Hebræos.

XXIIX. Hinc, quamvis juxta Legislatoris Dei διάνοιαν & usum Ecclesiæ præscriptum, subesset in cultu instituto insinuatio spei melioris Hebr. 7. 10. per Fidem in Christum venturum, & Fidei illius obsignatio: atque sic Utilis omnino esset Vetus œconomia Fœderis credentibus? tamen quia Legali schemate operosum atque onerosum cæremoniarum jugum Fidem eandem obnubilabat quoque: neque patiebatur in iis rebus, quas geri videbant in præsens, Fidem quiescere: Hinc, inquam, fit ut *suppositio*, ex Christianorum Judaizantium hypothesi, *divortio inter Typicam expiationem, & Veram, post verum Christi sacrificium jam oblatum*, Paulus, in Epistolis maxime ad Galatas & Hebræos, Legem typicæ expiationis Euangelio opponat, ut *Literam occidentem, Ministerium mortis & condemnationis*: atque urgeat illud τὸ ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελὲς seu *infirmitatem & inutilitatem illam*; quod illa veteri expiatione, per mortem & sanguinem animalium, per se spectata, Deus non potuerit Fœderis nexu Patribus conciliari magis, quam per Legem Fœderis operum repetitam obtineri poterat Spiritus Adoptionis, non superveniente gratia Euangelii promissi.

XXIX. Hujus loci quoque est Comparatio Testamenti V. & Novi in Canone Theologiæ & Religionis: ubi primo se offert differentia illa insigniter palpabilis: Quod in vetustissima ante Mosem temporis periodo, Canon fuerit ἄγραφος non scriptus Θεοπνεύστως; Mosis autem ministerio factus sit ἔγγραφος, scripto sermonis seu Verbi divini signo divinitus imperato & in-

ſpirato, ad uſum Eccleſiæ publicum: quo uſque ad Moſem caruit Eccleſia, quanquam non deſtituta Verbo Dei ſupernaturaliter facto de Communi ſalute & Fide ſalvifica in Chriſtum venturum. Rurſus, Quod Canon ἐγγραφῶ initio conſtiterit ſolo Moſis Pentateucho: Deinceps autem πλυμερῶς auctior factus eſt uſque ad tempora Eſræ, aliorum librorum Propheticorum acceſſione, quorum cum libris Moſis ſyntagma à Chriſto appellatur Moſes & Prophetæ Luc. 16. 29. & ab Apoſtolo Vetus Teſtamentum 2. Cor. 3. 14. Tandem autem acceſſerit ad librorum Veteres Teſtamenti canonicorum ſyntagma, ultimum illud auctarium librorum Canonicorum, quos eadem metonymia, Novum Teſtamentum appellamus.

XXX. Vindicamus autem hic primo melioris Canonis axioma Scripturæ S. ſupra Canonem Verbi olim non ſcripti, contra Enthuſiaſtico Papiſticam hypotheſin illam, qua ſine ſcripto Traditionem Verbi Dei Scripturæ præferunt: ſcilicet ut θεοπρεπέστερον: Hic enim non cenſetur melius quod Deo videri poſſet dignius: ſed quod Eccleſiæ utilius ad certiorem ac promptiorem conſervationem contra oblivionis & corruptionis pericula; & per quod ſimul auditioni & lectioni conſultum eſt. Minime autem admittimus illam, quamvis vetuſtiſſimi non ſcripti Canonis; neque quamvis πλυμερῶς poſt ſcripti Canonis Veteris imperfectionem: ut vel hic vel ille fuerit tantum Partialis, non perfectus neque ſufficiens integræ Theologiæ ſupernaturalis Canon. Ac Theologiam ipſam ſupernaturalis Canon. Ac Theologiam ipſam ſupernaturalem, ſecundum ea, quæ hactenus diſputata ſunt, in fundamento & ſubſtantia fœderis gratuiti inde ab initio mundi unam cenſemus; circumſtantiis tantum promiſſionis principalis de Chriſto venturo cum tempore auctâ & illuſtratam. Cujus Theologiæ, quando advenit colophon, de Chriſto exhibito tandemque mortuo, & ex mortuis excitato & glorificato; hoc quoque Euangelii colophone aucta Biblia Sacra, jam meliorem nobis præſtant Fidei & Religionis Canonem: quem veneramur jam, ut Euangelium æternum Apoc. 14. 6.

CORO.

COROLARIA.

I. AN Sarcamenta Veteris Teſtamenti fuerint typi Sacramentorum Novi Teſtamenti, N.

II. An Sacramenta V. T. eandem habuerint efficaciam obſignandi ſubſtantiam Fœderis Gratiæ, cum Sacramentis N. T. A.

III. An ſcripta V T. habeant in Eccleſia N. T. cum libris N. T. uniformem auctoritatem divinam. A.

IV. An libri V. T. ab ipſo Moſe & Prophetis ſcripti interciderint ante Eſram. & ab Eſra θεοπνεύστως ſint reſtituti. N.

V. *Impiæ ſunt Grotii aſſertiones iſtæ*: Vere dixi non omnes libros, qui ſunt in Hebræo Canone dictatos à Spiritu S. *Et mox*: A Spiritu Sancto dictari hiſtorias nihil fuit opus: ſatis fuit ſcriptorem memoria valere circa res ſpectatas, aut diligentia in deſcribendis veterum commentariis. *Et mox*: Si Lucas divino afflatu dictante ſua ſcripſiſſet, inde potius ſibi ſumſiſſet auctoritatem, quam à teſtibus, quorum fidem eſt ſecutus. Sic in iis, quæ Paulum agentem vidit ſcribendis, nullo ipſi dictante afflatu opus. Quid ergo eſt, cur Lucæ libri ſint Canonici? quia pie ac fideliter ſcriptos, & de rebus momenti ad ſalutem maximi, Eccleſia primorum temporum judicavit. Gr. *in Voto pro pace Tit. de Canonicis Scripturis pag. 99. 100.*

DISP.

DISPUTATIO X.

DE *Epocha Novi Testamenti & Ministerio Iohannis Baptistæ.*

THESIS I.

POst examinatam Comparationem Testamenti Veteris & Novi melioris: disquirendum porro *De Novi Testamenti Epocha*, quando Veteri antiquato successerit; est autem necessaria hæc disquisitio propter Anabaptistas, Pontificios, aliosque, qui in sententiarum variantium divortio habent latibulum suarum hæresium, de Legis & Euangelii differentia: atque in hoc ordine versatur etiam quæstio *de Ministerio & Baptismo Iohannis Baptistæ*. Alii enim à *Die Nativitatis Christi* initium faciunt Novi Testamenti; Alii initium illud collocant in *anno Prædicationis Christi*: Tertia sententia est, Non in Nativitatis die, nec in anno, quo Christus cœpit prædicare, sed *in momento mortis Christi* statui debere finem Veteris & initium Novi Testamenti.

II. Pro *Prima* sententia facere videtur, quod Gal. 4. 4. Apostolus dicat venisse πλήρωμα τῦ χρόνυ Plenitudinem temporis, quando Deus misit filium suum factum ex muliere: & quod eo ipso die Angeli prædicarint Euangelium de Christo exhibito. Luc. 2. 10. 11. *Secunda* autem sententia videtur favere, quod Marcus cap. 1. 10. exserte conferat Initium Euangelii Jesu Christi filii Dei, in annum illum, quo prædicare cœperunt Johannes & Christus: & quod Christus dixit Luc. 16. 16. Lex & Prophetæ usque ad Iohannem; ab eo tempore regnum annunciatur: denique quod Apostolus ad Hebræos cap. 1. 1. Veteri œconomiæ Fœderis novam successisse docet, quando Deus loqui cœpit per Filium. Pro *tertia* autem sententia facit, quod adfirmat idem Apostolus, Novum Testamentum demum ratum fuisse intercedente Christi Testatoris morte. Hebr. 9. 15. 16. 17.

III. Flagitat divina Scripturarum veritas, ut nullum sit hic in testimoniis jam laudatis ναὶ καὶ οὔ seu contradictio, sed tantum quod-

quoddam ἐναπορφανὲς Scripturarum collatione conciliandum. Conciliatio autem facilis est, si plenitudini illi temporis, in qua Veteri Testamento succesſit Novum, tribuamus latitudinem aliquam; in qua per prædicationem *Euangelii de Christo exhibito* inde adie Nativitatis, cum Veteris Testamenti antiquatione Novum moliri quidem cœpit Deus, sed quod non illico habuit suam ἀκμὴν illam, ut Vetus antiquari potuerit debueritve, verum pedetentim eundo vires acquisivit, quoad Christus opus consummasset, quod Pater ipsi dederat, ut faceret, Joh. 17. 4. Et certe res ipsa loquitur, quamvis Gratia & Salus Euangelica, habuerit Prædicationis solemnius etiam, quam in Christi nativitate initium, quando per ipsum Dominum prædicari cœpit: fuisse tamen maxime solemne, quando post mortem & resurrectionem atque ascensionem Domini, ab iis, qui ipsum audiverant fuit confirmata, una testimonium præbente Deo signis & prodigiis, variisque virtutibus, & Spiritus S. distributionibus pro sua voluntate. Hebr. 2. 3. 4.

IV. Si ergo præcise spectetur, geminum illud momentum temporis, quo Euangelium de Christo exhibito ἀρχὴν λαβεῖ λαλεῖσθαι, primo in Christi nativitate per Angelos, deinde per ipsum Dominum, includendum est Periodo illi temporis quo φάσιν habuit Vetus œconomia Fœderis seu Testamentum Vetus. Illam autem temporis periodum ultimam, qua Veteri Testamento antiquato succesſit novum, inchoat demum ille tertius temporis articulus, quo idem Euangelium Christi exhibiti, per Apostolorum prædicationem ἐβεβαιώθη. Quia non ante mortem Testatoris erat διαθηκη βεβαια Testamentum ratum.

V. Veteris Testamenti manentis ac φάσιν habentis usque ad tertium illum temporis articulum fuere hi characteres evidentis. 1. Quod ipsa annunciatio & Prædicatio Euangelii, quæ facta est per Angelos, per Johannem Baptistam, per Filium Dei ipsum, per delectos illius tum duodecim tum LXX. discipulos, non egressa est extra populi Israelitici terram. Ut non de Mose tantum & Prophetis seu illorum libris sacris, sed de Verbo quoque Euangelii Christi accipi possit, quod Apostolus affirmat Judæis credita fuisse eloquia Dei. Rom. 3. 2. Quandoquidem discipulos suos Christus

mittebat cum hoc mandato, In viam Gentium ne abieritis, & in urbem Samaritanorum ne ingredimini: Sed proficiſcimini potius ad oves perditas domus Iſrael. Matth. 10. 5. 6. Et de ſe quoque affirmat, Non eſſe ſe miſſum, niſi ad oves perditas domus Iſrael. Matth. 15. 24. Et Gentiles aſſimilat Canibus, quibus non ſit objiciendus panis liberorum ſeu Filiorum Dei. Marc. 7. 27.

VI. 2. Alter character erat manentis Veteris Fœderis, quod Chriſtus ipſe praxin publicam Sacrificandi, quæ tunc vigebat ex Veteri religione, non tantum intactam reliquit, moraliter inſtruens conſcientias illorum, qui munera adducebant ad altare Matth. 5. 23. 24. & caſtigans illos, qui jurabant per altare, Matth. 23. 28. 29. 30. Verum etiam confirmavit ſuo mandato, jubens purgatum à lepra offerre ſacrificium lege Moſaica imperatum, Matth. 8. 4. Marc. 1. 44. Luc. 5. 14. quin exemplo ſuo: ipſe communicans Sacramentis ſacrificialibus, verſ. 9. comedens agnum Paſchalem cum dicipulis: *vide plura in Schola noſtra Sarifi. iorum, Problemate V.*

VII. *Non eſt ergo omnino eadem Epocha Novi Teſtamenti ſeu Novæ œconomiæ Fœderis gratiæ, quæ eſt Euangelii de Chriſto in carne exhibito:* ſed intercedunt anni illi plus minus 35. qui fluxerunt à conceptione & nativitate Chriſti uſque ad mortem & reſurrectionem ipſius: in quorum annorum fine prædicationis miniſterium expleverunt Johannes, præcurſor Chriſti, & Chriſtus ipſe. Vt quamvis Euangelicum eſſet utriuſque miniſterium, uterque tamen illud obierit ante Veteris Teſtamenti finem.

VIII. Enimvero veram Epocham Novi Teſtamenti collocamus in illo temporis articulo, qui cœpit à morte & reſurrectione Chriſti: quando de jure antiquata eſt Vetus œconomia Fœderis, per conſummatam oblationem veri ſacrificii Chriſti, cujus Veteris œconomiæ, quaſi anima erat typica Teſtamenti obſignatio per cruentam ſacrificiorum oblationem. *Antiquationem* autem illam *de jure* factam cenſemus, ex quo in morte Chriſti divino miraculo ſciſſum eſt velum Templi: Sic tamen ut rurſum anni plus minus 35. interceſſerint inter Veteris illius œconomiæ illam de jure antiquationem *& ejuſdem ἀφανισμὸν ſeu abolitionem, quam antiquatio illa flagitabat*: quæ demum accidit cum Urbis & Templi excidio ſub Veſpaſiano.

IX.

IX. Ut autem Veteris œconomiæ antiquatæ & mox abolendæ divinum ac miraculosum symbolum fuit Velum Templi scissum; Sic Novæ œconomiæ mox initium habituræ symbolum fuit institutum Cœnæ Dominicæ Sacramentum: & mox Baptismi (jam ante instituti ad obsignandam prædicationem Euangelii de Christo exhibito,) dedicatio novam Gentilium cum Judæis in Ecclesia Novi Testamenti contesserationem. Matth. 29. 19. & Marc. 16. 15. 16.

X. Solemne autem Novi Testamenti initium, quo divinitus ἐβεβαιώθη seu stabilitum est efficaciter & promulgatum, collocamus in die Pentecostes, quo missus est Apostolis è cœlo Spiritus S. cum extraordinario dono linguarum. Act. 2

XI. Ex hac determinatione Epochæ veræ, à qua initium accepit Nova Fœderis gratiæ œconomia, quæ Novum Testamentum proprie dicitur, pendet quæstio illa multum agitata & vexata: *De Ministerio & Baptismo Iohannis, præcursoris Christi: Fuerunne Iohannes Baptismo minister Novi Testamenti?* Siquidem ergo nude quæritur de temporis Epocha, quo Johannes ministerio functus est, an adhuc σκιὰν habuerit Vetus Testamentum, an de jure antiquatum fuerit, illique subrogatum fuerit Novum; *plana est responsio, functum ministerio Iohannem stante adhuc Veteri Testamento*: quod finem demum accepit à morte Christi, quando cum Sacramento Cœnæ, mandato Christi ascensuri in cœlum, Baptismi alterum Sacramentum dicatum fuit Ecclesiæ Catholicæ N. T.

XII. Interim quia viam paravit suo ministerio & Baptismo Johannes, mox initium habituro Testamento Novo: prædicans & Sacramento Baptismi, obsignans Euangelium de Christo exhibito, & veram peccatorum expiationem consummaturo; *perperam, sub quæstionis Chronologicæ προφάσει, negant Anabaptistæ & Pontificii Iohannem Baptistam fuisse ministrum Novi Testamenti, & consequenter Pontificii abrogant Baptismo Iohannis efficaciam, quam tribuunt Baptismo Ecclesiæ Christianæ*: si enim hic præscribit temporis Epocha præcisa, pariter negandum erit Christum ipsum in diebus carnis fuisse ministrum Novi Testamenti: ac necesse habent Pontificii pariter Baptismo, quem per discipulos suos Christus administrari voluit in diebus carnis suæ abrogare efficaciam abluendi peccata, atque Baptismo Johannis.

XIII. Anabaptistæ quidem negantes Iohannem fuisse ministrum Novi Testamenti, variant in determinatione Epochæ N. T. & laborant non una falsa hypothesi, Communior quidem illorum sententia est: *Doctrinam & institutionem Iohannis Baptistæ non fuisse Euangelicam, sed Legalem*: cujus doctrinę vetus typus per Christi prædicationem & doctrinam novam commutatus sit cum novo canone Euangelico & typo justitiæ Euangelicæ: ita ut Ecclesiæ N. T. non liceat pariter stare responsis Iohannis Baptistæ, quæ dedit à se baptisandis. atque mandatis Christi, quæ ipse docuit suo baptismo initiatos. Sic sentiunt, qui ex illis collocant initium N. T. in initio prædicationis Christi.

XIV. Accuratius sibi sapere videntur alii, qui nobiscum videri possent consentire de N. T. Epocha, & præ se ferunt odium hypothesios Socinianæ de Lege à Christo impleta in muneris Prophetici functione, asseruntque Legem impletam per Christum in mortis perpessione. At revera hi quidem non tantum Iohanni, sed ipsi Christo in diebus carnis abrogant plenam Euangelicæ doctrinæ prædicationem, per quam obtineri queat Justitia Euangelica. Est enim ex ipsorum magistris non nemo, qui disputat, *Non tam solide nos stare posse, ad fugam pollutionis spiritualis, Christi doctrina & exemplo ante mortem, quam post mortem ipsius*: Quamobrem quæso? si illam quidem *sectam Anabaptisticam, quam Flandricam vocant*, audimus, Quia *Petrum gladio ferientem, mox Dominum abnegantem cum sui execratione, Christus non ferit excommunicatione, neque excluſit Apostolatu*: Jam autem similiter peccantem similiter tolerare, & Excommunicatione non ferire, nefas sit.

XV. Utriusque sententię Anabaptisticę πρῶτον ψεῦδος est Heterodoxa opinio de Exhibitio. Euangelica gratiæ N. T. quasi illa consistat in *Nova Legislatione* novorum mandatorum: cujus opinionis nervi à nobis inciſi sunt alia disputatione. Ad præsens autem problema respondemus, Bipertitam fuisse semper atque etiamnum esse doctrinam & Veterum prophetarum & Johannis Baptistæ & Christi atque Apostolorum prædicantium: puta Legalem partim, partim Euangelicam: Legale est quidquid spectat vitæ & morum informationem, ut vivamus conformiter mandatis Dei & Christi: Euangelicum autem, quidquid nobis exhibet gratiam

Dei.

Dei & Christi à nobis Fide amplectendam: adeo ut omnia mandata, quibus nobis imperatur obedientia, sint Legis; omnes autem promissiones & consolationes, quibus erigimur in fidem & spem Iustificationis & salutis animarum, sint Euangelii. Ac consequenter & Legem & Euangelium docuerunt Prophetæ usque ad Johannem, & Johannes, & Christus ejusque Apostoli: sed methodo illa, ut Lex initio esset Pædagogus adducens & compellens ad Christum; sed deinde Canon & norma gratitudinis pro gratiæ dono.

XVI. Speciatim autem de Ministerio Iohannis Baptistæ sic censemus: Johannem Baptistum à matris utero segregatum, ut Christi exhibiti ministrum; qualem in virili ætate, quando ministerio illo fungi cœpit, se exhibuit, præconem scilicet ejusdem Euangelii, quod circa Christi nativitatem prædicari cœptum erat per Angelos & homines, qui Spiritu Prophetico loquuti erant de ejus in carnem adventu: & quod etiam per se ipse. & per discipulos suos annunciavit Christus: videlicet adesse jam natum ex muliere promissum Messiam, ad tollendum peccata sui corporis sacrificio, ut verum Agnum Dei, olim adumbratum typo Agni Paschalis aliorumque agnorum & victimarum, quæ mactabantur ad promissionem de ipso venturo obsignandam. Joh. 1. 37.

XVII. Hanc porro Euangelicam doctrinam obsignabat Johannes Baptismi Sacramento in nomine Domini Jesu Christi: juxta testimonium Pauli. Act. 19. 4. 5. (duobus enim illis versibus continuatus est Pauli sermo, & demum versu 6. Lucas historiæ filium pertexit suis verbis) *Iohannes quidem baptisavit baptismo resipiscentiæ, dicens populo, ut in eum, qui venturus erat post ipsum crederent, hoc est, in Christum Iesum, Qui vero illum audiebant, baptisabantur in nomen Domini Iesu.* Atque cum Baptismo Johannis omnino conjuncta erat promissio Spiritus S. & remissionis peccatorum, similiter, ut cum Baptismo Apostolorum in die Pentecostes Actor. 2. 38. Prædicabat enim Baptismum resipiscentiæ in remissionem peccatorum Luc. 3. 3. Marc. 1. 4. Et promittebat vere resipiscentibus à se baptisatis aqua, à Christo Baptismum Spiritus sancti. Matth. 3. 11. Marc. 1. 1.

XIIX. Neque patitur illam Ministerii & Baptismi Johannis

depreciationem, (ut scilicet ab eo abfuerit Euangelium & Justitia Euangelica, ac Baptismus Spiritus) factum Domini Jesu, quod ipse à Johanne sibi flagitavit Baptismi Sacramentum: Matth. 3. Quod omnino non feciſſet si non fuiſſet ἰσόπμ@ Baptismus Johannis, cum Baptismo, quem ipse per discipulos administrabat: & si non, pariter ille atque hic, habendus erat pro vinculi signo ac sigillo unionis illius mysticæ credentium, ut membrorum, cum Christo, ut capite.

XIX, Ut hoc magis planum fiat, explananda hic, per digressionem, Verba Christi à Johanne Baptismum flagitantis ista: *Ita enim decet nos implere omnem justitiam, Matth.* 3. 15. Scopus verborum istorum fuit, ut scrupulus hic eximatur Johanni Baptistæ: *Quomodo non foret mortua & inanis illa cæremonia, qua Baptismum à Johanne susciperet.* Ille qui nulla ablutione à peccatis indigebat, & à quo ipse Iohannes necesse habebat baptisari Spiritu S. vers. 14. Scrupulum illum ut eximat, docet Christus, hoc necessarium esse ex utriusque & suo & Iohannis officio: estque ista emphasis in plurali numero. *Decet Nos*, Quæ vero sit ætiologia officii, quod utrique hic incumbebat, non satis convenit interpretes, quia obscuritas aliqua est in istis verbis, *implere omnem justitiam*. Communiter fere opinantur Christum sic argumentari; Quia oportet omnem justitiam implere, non esse comittendum, ut negligatur hæc particularis justitia, quæ consistit in Baptismi susceptione: atque ea propter sibi in hac quoque particulari justitia implendam Dei voluntatem.

XX. Verum videntur hæc minus solida: sic enim quidem, ex consequenti, decuerit Johannem hoc minime prohibere: At quomodo hoc pacto dici poterit, quod verba flagitare videntur, Johannes una cum Christo, ut decuit, omnem justitiam impleviſſe, ille baptisando, Christus baptismum suscipiendo? Et quomodo satisfecerit Christus quæstioni Baptistæ? si non constet ratio, quid illa justitia susceptæ baptismi Christo opus fuerit, quæ ipso videtur indigna, quippe instituta ad obsignandam peccatoribus remissionem peccatorum & gratiam Christi: Ut videatur potius abstinendum fuisse Christo, quam appropinquandum ad Baptismum.

XXI. Placet ergo quibusdam interpretibus, ut citra ullam ne-

necessitatem obsignationis, aut ob alium finem, à Christo susceptus sit Baptismus Iohannis, quam, *ut honoraret Patris sui institutionem.* Atqui major est emphasis in verbis istis, decet nos: item in voce implendi; quam ut notent officium non necessarium, sed honorarium tantum.

XXII. Videtur omnino genuina responsionis Christi sententia petenda, ex usitata formula loquutionum Sacramentalium, per metonymiam istam, qua id fieri dicitur in Sacramento quod obsignatur. *Impletio ergo justitia significat obsignationem implenda omnis justitia, quam à Iohanne & Christo necesse erat præstari baptisando & baptismum suscipiendo*: Quomodo Christianos baptisantem & baptisatum dicemus decere, ut peccata abluant. *Decebat Iohannem Christo administrare, & Christum, ut ipsi à Iohanne administraretur Baptismus, per quem obsignaretur Christus, ut Sponsor Fœderis Fœderatorum nomine omnem justitiam impleturus.* Qua interpretatione plenus & illibatus est singulorum verborum sensus: & intelligitur finis Baptismi à Christo susceptí, & necessitas ex fine: Atque optime constat *analogia obsignationis Baptismi in Christo & Christianis baptisatis: ut utrobique sit unius ejusdemque justitiæ sigillum; sed in Christo inhærentis, Christianis vero imputatæ & donatæ: Qua analogia & Circumcisio, & Sacramentum Paschatis, & Cœna Dominica Christum obsignarunt, ut Fœderis Mediatorem. Ecclesiam vero, ut gratis donatam communione justitiæ Christi ad salutem.*

XXIII. Et jam ex ista verborum Christi explanatione, planum fit, ut in viam revertamur, *Prædicatione & ministerio Ioh. Baptistæ, Christo per baptismum Spiritus S. cooperante, (non autem antiquante Baptismum Iohannis alio novo baptismo aquæ,) exhibitam fuisse Euangelice, & obsignatam, Omnem Iustitiam, quam implevit Christus, & qua per illum & propter illum nobis donatur ex Fide.*

XXIV. Et res loquitur: Si juxta Pontificiorum & Anabaptistarum hypotheses, Christus antiquatum voluisset Baptismum Johannis novo Baptismo aquæ discipulis suis mandato, noluisset ipse Baptismi Iohannis susceptione suo muneri Prophetico inaugurari: neque videtur ipse non præiturus fuisse discipulis suis baptisando: Aqua Baptismi ἀυτυργίᾳ existimamus non alio consilio Christum abstinuisse, quam ne illa raperetur ad illam

Baptis-

Baptismi Johannis depreciationem: Atque ut indicaret se tam πρόδρομον Johannem, quam qui ipsum sequebantur Discipulos suos, ut cunctorum unicum Dominum, adhibuisse & adhibiturum ad sui Euangelii & annunciandi & per Baptismum obsignandi ministerium Joh. 3. 22. 23. & 4. 1. 2.

XXV. Neque ad illam sui Baptismi depreciationem loquutus est Johannes, Christum ut Dominum supra se extollens, cum sui ipsius depreciatione, Matth. 3. 11. Marc. 1. 7. 8. Luc. 3. 16. Joh. 1. 17. Excepta enim unica præcursoris circumstantia, nihil de se pronunciat, quod non de se & cooperariis suis scribit Paulus 1. Cor. 3. 5. 6. 7. 2. Cor. 1. 24. & 4. 5. Personas suas, & quod in ipsis situm erat, tam Apostoli, quam Johannes Baptista, censuerunt nihil esse, in ministerio ipsis mandato: si quis seorsim ipsos considerare vellet aut admirari, absque Christo & Spiritu Christi cooperante. Extra autem hoc præposteræ & nimiæ æstimationis periculum; debuit & Johannes & Apostolorum quisque duplici honore dignus censeri, propter opus ipsius, utpote Dei cooperarius, 1. Cor. 3. 9. 1. Thess. 5. 17. 1. Tim. 5. 17. Atque sic Johannes se commendat ipse, ut *Vocem Dei clamantis*.

XXVI. Flagitat porro ἐπισόμισμὸν illa Anabaptistica (*quam Thesi XIV. audivimus*) blasphemia, de Christi doctrina ante mortem minus solida & stabili, quam post mortem: quia scilicet prædicatione Euangelii Apostolica contineatur severior excommunicationis disciplina, quam docuit vel exercuit Christus ipse in terris versans cum Apostolis, & Petrum lapsum non excommunicans, nec feriens Anathemate: Falluntur illi & fallunt petitione ejus quod est in principio, quia hic initio probandum erat ex doctrina Apostolica, illum, qui similiter lapsus, ilico pœnitentiam serio testatus sit, ut Petrus, non obstante seria pœnitentiæ professione ab Ecclesia abscindendum, & feriendum anathemate. Interim laborant quoque falsa illa hypothesi, quod Petro lapso continuatus sit Apostolatus, pariter ac si Pastori Ecclesiæ ita lapso continuetur publicum ministerium. Cogitare debebant, dissipatam fuisse istis diebus Ecclesiam visibilem discipulorum Christi; quæ dici posset Novi Testamenti Ecclesia, quando Petrus Dominum abnegabat: Neque Petrum, quando ad discipulos postliminio ex illa dissipatione

tione rediit, usurpasse aliquod Apostoli officium, donec nova solemni vocatione à Christo ipso post resurrectionem jussius fuit pascere oves Christi, Joh. 21. 15. 16. 17. &c. Si hanc instaurationem Apostolatus Petri spectant ac illam censent Pastoralis officii continuationem, jam in Ecclesia Christiana minime ferendam in Pastore lapso; dicant necesse est, nec ante mortem, neque post resurrectionem doctrinam Christi ita solidam ac perfectam fuisse, ut per illam satis cautum sit Ecclesiæ ad fugam pollutionis: atque sic bis erunt blasphemi & perimunt suam in morte Christi Epocham impletæ Legis.

XXVII Ad præsentis ergo disputationis Epilogum dicimus à Novi Fœderis Sponsore Christo Testamentum Fœderis Gratiæ Vetus antiquatum, & Novum confirmatum id morte, quod annunciari quidem cœptum, per Euangelium de Christo exhibito, inde à nativitate; ac maxime in annis ministerii Christi, quando Sacramentum Baptismi primo institutum fuit, & per Johannem ac Christum ipsum, & Discipulos, vocatæ primitiæ Ecclesiæ N. T. plene autem promulgatum in die Pentecostes post ultimum Christo θανάσιμον Paschatis Festum.

COROLLARIA.

Impium est Decretum Concilii Tridentini Sess. 7 Can. 1. de Baptismo.

Si quis dixerit Baptismum Johannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi, Anathema sit.

II. Blasphema est Menonis, à quo Anabaptistæ dicti Mennonitæ, assimilatio Pædobaptismi ad Papisticum Campanarum Baptismum.

III. Nullum Anabaptismi præsidium est, ex iis, quæ de duodecim viris à Johanne baptisatis narrat Lucas. Actor, 19.

IV. An vera causa, cur Baptismus repeti non debeat, sit illa, quam expressit Concilium Sess. 7. de Sacramentis in genere. Can. 2. Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet confir-

matione & Ordine, non imprimi characterem in anima; hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, Anathema sit? Neg.

V. An vere secundum ejusdem Concilii definitionem, (ibidem, Canone 8.) Per. N. T. Sacramenta ipsa ex opere operato conferatur gratia? Neg.

VI. An matrimonium, si ex Papistarum hypothesi Sacramentum sit, ullo schemate numerari queat inter Sacramenta Novi Testamenti, seu (ut loquitur Concilium Tridentinum ibidem Canone 1.) Novæ legis, à Jesu Christo instituta? Neg.

DISPUTATIO XI.

DE

Mediatoris Novi Testamenti Officiis.

THESIS I.

FOederis Novi Gratiæ Sponsor Christus, quando, in Antithesi ad Testamentum Vetus ejusque Mediatores typicos, salutatur *Novi melioris Testamenti Mediatoris Heb. 7. 22. §. 8. 6. §. 9. 2. §. 12. 24.* Non intelligitur nude Mediationis gratia, quam fecit homini lapso filius Dei per Sponsionem & vadimonium obitum, quæ initium habuit ilico à lapsu in prima hominis lapsi restauratione, & communis est Veteri & Novo Testamento: à qua absolute dicitur *Mediator Dei & Hominum. 1. Tim. 2. 5.* Sed spectantur Officia Christo à Patre mandata & injuncta, in Temporis illa plenitudine, qua missus est in mundum, & in forma servi exhibitus. Phil. 2. 6. 7. 8.

II. Quamvis autem accenseri soleant functionibus officii Mediatorii, etiam Actiones illæ, Fidejussio, &, quæ illam consequutæ sunt in V. T. quibus ante Incarnationem se exhibuit Ecclesiæ Doctorem, & Regem, defensorem ac custodem, ut contra Anti Trinitarios solide evincitur ex 1. Pet. 3. 19. 20. & Gen. 48. 16. aliis-

aliisque testimoniis pluribus: tamen, (quandoquidem accuratè oquendo ante formam servi assumptam mandata accipere non potuit) Non fuerunt illæ actiones seu functiones officii Mediatorii; sed actiones, quas operatus est Dei filius in forma Dei existens, solitariâ efficientiâ naturæ divinæ; In officii autem Mediatorii functione flagitatur naturæ divinæ cum humana concursus, quo, distincte quidem, utraque agat quod suum est, sed unitè.

III. Nec efficit, quod Filius, ut Veteris Ecclesiæ Rex, defensor & protector, *Angelus* dictus est Gen. 48. 16. Exod. 23. 20. --- 23. Nomen illud, nullam, illo quidem tempore, notat Minoritatem Filii, aut functionem officii mandati à Patre; sed tantum futuram olim in mundum missionem, in forma servi assumenda.

IV. Facit tamen hoc maxime ad demonstrandam illam eminentiam Officiorum Christi incarnati, quæ Mediatorii muneris appellatione continentur: Quod Officia illa obierit in forma servi, idem ille, qui, ἀτρέπτως, & ante & post formam servi assumptam, unus cum Patre & Spiritu S. summus est Doctor & Rex, qui omnes Prophetas & Reges sibi habet subditos, habuitque à mundi initio.

V. Ab illa ergo eminentia est denominatio illa *Summi* Prophetæ, Regis & Sacerdotis, quæ non nude significat humanæ naturæ Christi in suo ministerio summum fastigium, sed illud Personale Christi hominis privilegium, quo ipse, qui alias, spectata carnis suæ origine, non erubescit homines fratres appellare, Hebr. 2. 11. 12. propter unionem hypostaticam causæ secundæ ministerialis agentis, quod suum est, cum causa prima efficiente principali Deitate ipsa, in Officiis ipsi à Patre mandatis, nullos agnoscit fratres aut Collegas, ne quidem in Prophetico munere. Matth. 23. 8. *Unus est Doctor vester,* (καθηγητὴς) *Christus: omnes autem vos fratres estis.*

VI. In officii autem Mediatorii actionibus & functionibus, denominatio *Hominis* aut *Filii Hominis* Mediatori attributa, aut *Servi* indigitamentum, consignificat cum veritate humanæ naturæ, vel assumptæ in V. T. vel assumptæ in N. T. formam servi ad officiorum functionem comparatam. Verum denominatio *Filii Dei* nullam habet significationem officii, aut muneris mandati, sed

adhibetur illa emphasi, quæ expressa est Hebr. 5. 8. q. d. καίπερ ὢν υἱὸς, *Quamvis esset Filius*: ut intelligatur Gratia Christi, qua se exinanivit libere ad officiorum functiones, ipse Filius, Pateræqualis, hæres omnium.

VII. Ad Officiorum autem Christi functionem publicam cum auctoritate, quamvis ἀκμὴν etiam humanæ sapientiæ, successivo ejus incremento, exspectarit præstitutus temporis & ætatis Christi articulus, annus circiter tricesimus Luc. 2. 52. cum 3. 23. Tamen per Unionem hypostaticam Persona divina naturam humanam assumptam, à primo incarnationis momento, imbuit illa dignitate & axiomate, ut etiam infans salutandus fuerit & adorandus Magister, & Rex, ac Sacerdos summus, Spiritu Sancto unctus, ipso Messiæ & Christi nomine, & ad officiorum istorum functionem conceptus & natus Johan. 18. 37. Matth. 2. 2.

VIII. Inauguratio autem Christi, circa annum ætatis 30. visibilis, superveniente ad Baptismum Iohannis viva voce Patris è cœlo & descensu Spiritus S. in specie columnæ, Matth. 3. 16. 17. Luc. 3. 22. non facta est ad solius Prophetici muneris functionem obsignandam, sed ad integrum Munus Mediatorium confirmandum. Obsignavit enim Pater voce cœlesti, & Spiritus S. descensu visibili, idem, quod Christus testatus est, Baptismum flagitans (juxta id, quod antecedenti disputatione ostendimus:) se esse illum, qui omnem justitiam muneris sui functione esset impleturus, tanquam N. F. Sponsor & Sacerdos Matth. 3. 15. cum Hebr. 7. 21. 22. & Rom. 10. 4. Vadimonium se jam admisisse testatur Pater, dicens, *in te acquiesco*, Luc. 32. 2. atque una Regni hæreditatem obsignat verbis illis, *Tu es Filius meus*. Hebr. 1.

IX. His in genere præcognitis, veniendum ad distinctam trium officiorum, quæ munere Mediatorio continentur, enucleationem: Sunt autem illa tribus in V. T. Unctorum ordinibus analoga, *Officium Sacerdotale Propheticum & Regium. Officii Sacerdotalis Christi functio est*, Principale illud opus Christi θεανθρώπου, cujus gratia factus est Mediator & Sponsor fœderis gratiæ: per quod Deo reconciliamur & servamur, salute illa, quam ipse Prophetici muneris functione annunciatam, Regii officii potestate dispensat ac præstat.

X.

X. *Sacerdotis* nomen Christo venturo tributum est *Psalm.* 110. 4. *Iuravit Iehovah & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedeck.* Sacerdotalis autem officii apoteleſma prænunciatum est oraculo Danielis & 9. 27. 24. Corroboratio fœderis, per Expiationem iniquitatis, & adductionem æternæ justitiæ. Ad explicationem autem officii Sacerdotalis facit, 1. Sacrificantis personæ axioma, 2. ipsa officii functio. Axioma Sacrificantis est, supra merum hominem, θεανθρωπικὸν: Quod specialiter flagitabat juge ac permanens Sacerdotis veri non umbratilis typici, Sacerdotium, divino jurejurando ἀμεταμελήτως confirmatum, ad veram ac solidam peccatorum expiationem Hebr. 7. 25. 28. 25.

XI. Hoc axiomate θεανθρωπικῷ Christus est Sacerdos, ille, qui vere *nec initium dierum, neque vitæ finem habuit*, quippe Dei Filius æternus, Hebr. 7. 3. qui proinde non tantum ipse exstitit ante initium dierum carnis suæ, Heb. 5. 7. sed etiam quotquot ab initio mundi ante ipsum exstiterunt Sacerdotes, sibi obnoxios habuit, ut vicarios suos, qui (donec venisset ipse in carne, & facta per se peccatorum vera & solida exiatione, fungeretur solida intercessione nunquam interrumpenda) typica expiatione, & vicaria intercessione, defungerentur: quapropter dicuntur illi ab Apostolo deserviisse exemplari & umbræ rerum cœlestium. Hebr. 8. 5. cum 9. 5. & 10 1.

XII. Hic quæritur: An non semper Christus etiam ante carnem assumptam ex Mediatoris officio pro Ecclesia apud Patrem interceſſerit? Respondendum ex jam prœcognitis: designatum quidem ab æterno, & statim cum prima Fœderis gratiæ κυρώσει obsignatum Christo ac juratum fuisse Mediatoris officium: atque propter vadimonium obitum vere etiam fuisse ipsum Ecclesiæ V. T. Mediatorem: At non interceſſit ex officio Mediatoris, ut Patris mandato & imperio subjectus, ad obedientiam & Adorationem, donec in carne assumpsit formam servi, in qua demum factus est minor Patre, ut se *& Mediatorem & Medium* sisteret atque interponeret inter Deum & homines. Atque hoc illud est, quod testabatur vicaria Sacerdotii typici functio; puta desiderari & exspectari veram Sacerdotalis officii functionem: siquidem umbrarum

præsentia testatur veritatis & corporis absentiam.

XIII. Officii Sacerdotalis functio bipertita est, *Immolatio* & *Intercessio*. *Immolatio* est, qua idem Sacerdos offerens & victima oblata, per Spiritum æternum, id est, spiritualem Deitatis essenetiam, naturam humanam subjecit morti crucis, Heb. 9. 14. cum 26. *Intercessio* est viva apud Patrem interpellatio pro Ecclesiæ salute propter Immolationem sui ipsius Rom. 8. 34. Hebr. 9. 24,

XIV. Immolationem sui ipsius ad peccatorum expiationem Orthodoxi vocare solent *Satisfactionem*, in disputatione contra Socinum; Quod sic accipiendum non est, quasi in Morte Christi seorsim à reliqua Christi justitia & obedientia sita sit solida debiti à Sponsore solvendi solutio: ut solvere demum & satisfacere cœperit Christus, cum illo sui ipsius cruento sacrificio: Verum intelligitur Christus, per immolationem sui ipsius, Satisfactioni colophonem imposuisse, tanquam solutione ultimi quadrantis.

XV. Rationes ergo satisfactionis solidæ seu persolutionis debiti nostri conficiuntur tota Christi obedientia & justitia universali, quam, ex Fœderis Legalis violati conventione, tam in natura, quam in actione & passione, à nobis peccatoribus, ad solidam Justificationem cum merito vitæ æternæ, flagitabat rigor Justitiæ divinæ. Ad illam autem ultimi quadrantis solutionem Synecdochice omnis Satisfactio jure merito revocatur, atque illuc à Scriptura, ut ad umbonem fidei & galeam salutis, afflictæ & trepidæ conscientiæ diriguntur, & illinc contra terrores Legis & Satanæ insultus consolatione afficiuntur Ro. 8. 34. Hebr. 10 12. 1. Joh. 1. 7. Quin, absque illa, solutio reliqua nulla censeretur, ac nihil promeritus fuisset Christus.

XVI. Ab Immolatione sui ipsius, quæ in ara crucis consummata est, distincta est, ut altera officii Sacerdotalis functio, Intercessio, qua Christus ut παράκλητος Advocatus noster perpetuo pro nobis in Dei conspectu apparet. Heb. 9. 24. 1. Joh. 2. 1. Ab illa intercessiione cum adjectione dicitur *Pontifex* noster *talis, qui consedit ad dexteram Throni Majestatis illius, cœlestis sanctuarii minister, ac veri illius Tabernaculi, quod fixit Dominus & non Homo Hebr.* 8. 1. 2. *Pontifex magnus, qui penetravit cœlos Hebr.* 4. 14. Quia implet perfectissime illa, quæ in Levitico Sacerdotio repræsentabantur per

Sum-

Summi Pontificis ingressum in Sanctum sanctorum, semel quotannis Hebr. 9. 7. cum v. 11. 12. In illo autem ingressu in Sanctuarium cœleste per sanguinem suum, perperam, & contra omnem sacrificiorum typicorum analogia, Socinus collocat primam Sacrificii Christi oblationem & Sacerdotii inchoationem.

XVII. Quamvis autem Intercessio quoque Sacerdotalis censeri debeat Christi precatio pro Ecclesia in diebus carnis. Tamen ad Typi illius singularis analogiam, qua semel quotannis, in Festo expiationis solemni, Sacerdotalis intercessio peragebatur cum ingressu in Sanctuarium, antonomastice dicitur Christus intercessione fungi cœpisse, quando oblatione illa deprecationum & supplicationum, cum clamore valido & lacrymis ex metu mortis, defunctus fuit Heb. 5. 7.

XIIX. In cœlis autem jam, quamvis nulla sit ejusmodi cum lacrymis supplicatio, peragitur tamen Intercessio non sine humanæ Christi commiserationis visceribus Hebr. 2. 17. 18. & 4. 15. nec sine vera Adoratione, qua ipse, ut Homo minor Patre, Patrem orat pro Ecclesia, quamvis, ut Deus & Dei Filius, ipse Adorabilis & Adorandus à nobis & ab Angelis: ac speciatim à nobis Invocandus ex Fide, ut Oret pro nobis; Qua Invocatione solicitamus quidem etiam humanæ commiserationis viscera, per quæ ipse, ut in omnibus similiter tentatus afficitur infirmitatum nostrarum sympathia: Sic tamen, ut non existimandus, sit alia, quam divina omniscientia, ipse carne sua à nobis absens, audire invocantes: aut alia, quam divinæ Omipotentiæ operatione in nos influere benedictiones, quas ejus intercessione obtinemus. Atque hoc pacto, Intercessio est opus Christi Θεανδρικὸς: in quo, ad modum causæ προηγουμένης & procatarcticę, per repræsentationem juris quæsiti, & orationem ex sympathia pro nobis, humana voluntas intercedit: efficaciam autem exauditionis præstat voluntas Christi divina, ut causa prima & principalis: adeoque quamvis, *ratio formali sub qua seu Objecti ut Objectum est*, Christum invocemus & Adoremus *ut Mediatorem*, sola tamen in Christo adoretur Deitas & Persona divina, ut unica *Ratio formalis*, *Qua & Per quam adorandus est.*

XIX. II. Jam *de Muneris seu Officii Prophetici functione* dicendum. Christum futurum Prophetam prænunciatum est illustri oraculo

culo Deut. 18. 18. 19. Quod ut Christo soli vindicaretur, Johannes Baptista negavit se Prophetam illum esse Joh. 1. 21. Vindicatur autem Christo Act. 3. 22. 23. In illo autem oraculo orbis illis, *sicut tu es*, Comparatione facta cum Mose, indicabatur futurus magnus supra Prophetas alios: sicut illis eminentior erat Moses Num. 12. 6. 7. 8. Post Mosem autem ipso Mose eminentior futurus significatur, quia de ipso testimonium scripsit Moses Joh. 5. 46. Neque ante rejectum apud Judæos Christum, de illius eminentiæ demonstratione apud illos magnopere laborandum fuit: cum illud esset in ore omnium etiam fœminæ Samaritanæ: *Scio Messiam venturum, ille nobis annunciabit omnia*, Joh. 4. 25. Asserit autem hoc eminens axioma officii Prophetici Christi Apostolus, generatim quidem supra prophetas Veteres Hebr. 1. 1. &c. nominatim supra Mosem, ut servum Filio Domino minorem Hebr. 3. 1 --- 6.

XX. Parallela illi oraculo sunt loca *Esai.* 55. 4. *En testem nationum constituo eum.* & Hebr. 2. 12. ex Psal. 22. *Enarrabo nomen tuum fratribus meis*, & illustre illud oraculum Esai. 61. 1. quod sibi asseruit Christus Luc. 4. 18. 19. *Unxit me* εὐαγγελίζεσθαι *ad Evangelisandum* לבשר *ad prædicandum* לקרא. Synonyma autem sunt axiomati muneris Prophetici, alia etiam indigitamenta. 1. *Apostolus professionis nostræ.* Hebr. 3. 31. 2. *Pastor ovium magnus, ac Episcopus animarum.* Hebr. 13. 20. 1. Pet. 2. 25. Confer Esai. 40. 11. Ezech. 34. 23. 24. Zach. 13. 7. cum Matth. 26. 31. Marc. 14. 27. & Joh. 10. 1. --- 14.

XXI. Eminentia autem summa Officii Prophetici Christi, quam stabiliunt Mosis & Prophetarum de Christo testimonia & prædictiones: contra Anti-Trinitarios (nomine Christianos θεοδρικὴ esse, demonstratur comparatione non tantum illa cum Apostolis loco ante indicato Matth. 23. 8. sed etiam Christi & Johannis Baptistæ antithesi, *Non erat ille lux illa, sed missus fuit, ut testaretur de illa luce*, Joh. 1. 8. Indicatur enim Christus, quamvis ministerio functus, ut Testis de Luce Johanni similis, ipse esse Lux illa: adeoque non tantum humanæ sapientiæ summo gradu Summus Theologus, sed etiam θεοπρεπῶς idem Theologus & ipsa res Theologica; Quo supra quosvis homines privilegio, ipse ut Lux illa

illa *de se ipso testari* potuit, Joh. 9. 12. 14. ut unus ex tribus illis Personis, quæ è cœlo testantur, 1. Joh. 5. 7. ipse λόγος Joh. 1. 1.

XXII. Illo privilegio, quando Christum salutamus Prophetam summum, intelliginus ita eximium; ut ipse sit Verbi, à se humano ore prædicati, secundum naturam divinam, auctor, qui sibi asserit, quidquid è cœlo missus Spiritus S. Apostolos docuit, ut verbum suum, Joh. 16. 14. & Potestatem omnem in cœlo & in terra, quam flagitat Verbi & Sacramentorum ministerii institutio Matth. 28. 18. nec non missionem & effusionem Spiritus S. ad ministerii efficaciam Joh. 16. 7. cum Matth. 3. 11. 1. Joh. 1. 27. Luc. 24. 45.

XXIII. Hoc non obstante, quamvis per Unionem hypostaticam, suæ Deitatis luce, fidem sibi per se Christus facere potuerit absque ullo in terris testimonio Prophetico. Joh. 8. 14. & functio muneris ipsius Prophetici per Unctionem Spiritus S. esset ἀναμάρτητος & ἀψευδής, ut nec fallere nec falli posset: minime tamen illa fuit ἄνομος *Exlex;* sed ὑπὸ νόμον sub Lege, ad Legis scriptæ Canonem adstricta, quod evincit & generatim hypothesis Apostoli, Christum factum sub Lege: Gal. 4. 4. & specialiter Christi provocatio ad Scripturarum scrutationem, & ad Mosis testimonium in doctrinæ suæ examine: ut nollet ratum aut verum haberi, quantumvis αὐτόπιστον suum de se ipso testimonium absque Mosis & Prophetarum scripto testimonium, Joh. 5. 36. 39. --- 45. cum versu 31. qui ἐναυλοφαὲς habet cum loco indicato Joh. 8. 14. sed hoc pacto conciliatur.

XXIV. Neque (quod populari errore sic accipitur à multis) Exlegem muneris Prophetici functionem demonstrat illa Christi contestatio. *Filium hominis esse etiam Dominum Sabbati Matth.* 12. 6. 8. *Marc.* 2. 28. *Luc.* 6. 5. Nam hoc tantum egit Christus, ut sibi assereret infallibilem Legis interpretationem, quam non habebat, ut ab alio disceret, quippe ipse Legislator, quamvis factus sub Lege: Ipsam tamen suam Legis de Sabbato interpretationem infallibilem, demonstrans per evidentem Legis scriptæ διάνοιαν; Matth. 12. Marc. 2. Luc. 13. & 14. ac secundum illam quæ legendo percipi poterat διάνοιαν; se subjiciens severo citra προσωπολημψίαν

judicio, Joh. 7. 24. *Ne judicate* Κατ' ὄψιν, *sed justum judicium judicate.*

XXV. Ante muneris Prophetici functionem publicam, quam inchoavit Christus demum à Johanne baptizatus Marc. 1. 14. Matth. 4. 17. cum Act. 1. 1. Christo tamen incarnato, ut auctori & magistro, imputandum & acceptum ferendum Euangelium prædicatum, de ipsa conceptione & nativitate Christi, & quidquid acti Spiritu S. loquuti sunt Zacharias, Elisabet, Angeli & pastores Beth'eemitici, Simeon, Anna Prophetissa, Luc. 1. & 2. Nec non officii Prophetici specimen à Christo editum in Templo, cum annos natus esset duodecim, Luc. 2. 46. 47. Quod perperam Sociniani volunt tantum *specimen* fuisse *indolis & ingenii*, munere Prophetico, scilicet indignum: quia *Doctores auscultarit & eos interrogarit*: quam objectionem ab unde refellit Christi in publica functione muneris Prophetici, & Ecclesiæ Apostolicæ praxis similis: Matth. 22. 41. Marc. 8. 27. 1. Cor. 14. 27. 28. 29. & vel maxime ad stabiliendam auctoritatem in docendo adhibita. Marc. 11. 29. 30.

XXVI. Quod autem illi flagitant sibi probari Christum, si quid tunc temporis istos doctores docuit; *id docuisse quod Postea annos natus* 30. *docuit*. id non eget alia demonstratione, quam ex incremento illius sapientiæ, quam habuit Christus inde à puero: Quod perimitur ab istis hominibus, quando sapientiam Christi pueri à sapientia, quam assequutus est 30. annos natus toto objecto seu rerum cognitarum natura divellunt, atque volunt sic toto cœlo distare, ut necesse habuerit *priusquam publice docere inciperet prius in cœlum ascendere, ut à Deo illic Euangelium disceret.* Atque hic illi somniant, *Nihil absurdi esse quod eo raptus sit hoc modo, quo in cœlos post resurrectionem assumptus est, Act.* 1. 9. Temporis quoque articulum Smalcius fingit *illis* 40. *diebus & totidem noctibus, quas jejunus in deserto consumsit.*

XXVII. Isti commento Paradoxo, quo fingitur Christus *bis* in cœlos ascendisse, opponimus affirmationem Apostoli: Ingressus est ἐφάπαξ *semel* in sacrarium, Heb. 9. 12. De illo autem 40. dierum & totidem noctium tempore, credimus Scripturæ affirmanti, Christum *tentatum fuisse à Diabolo, & fuisse cum feris*, Marc. 1. 23.

Luc.

Luc. 4. 2. *ut* verius ad inferos descenderit, quam in cœlos ascenderit, quippe eo fine *subductus in desertum à Diabolo tentaretur*, Matth. 4. 1. Cui subductioni non respondet raptus Pauli in cœlum. 2. Cor. 12. 2. sed potius afflictio illa Pauli, quando ipsi datus est Angelus Satanas colaphisans, vers. 7. Neque facere potuit subductio illa *ad videndam faciem Dei*: sed verius fuit aliqua à facie Dei ablegatio, adumbrata veteri typo hirci illius emissarii, quem Deus jubebat peccatis onustum ablegari in desertum, & feris exponi, Levit. 16.

XXIIX. Præpostera vero est, & Deo indigna, ac Christo probrosa, quæ fingitur, adscensio Christi in cœlum *ad discendum Euangelium quod doceret*, postquam jam voce Patris è cœlo & desensu Spiritus S. publice inauguratus esset ad muneris Prophetici functionem. Ab hominibus quidem renunciantur Doctores, qui porro docendo discant: præpostere tamen & illegitime creati censeri debent, si primo ipsis quod doceant discendum sit: de divino Doctoratus Christi testimonio apage cogitationes istas. Præpostere vero istius figmenti πρῶτον ψεῦδος est: Quod, si Socinum audimus, in terris necdum extaret τύπος διδαχῆς seu exemplar doctrinæ, quam doceret Christus: quod destruit Religionis Christianæ veram antiquitatem; & sufficientiam ac perfectionem Scripturarum V. T. ac adoptat impias illas voces, *Quis nobis ascendet in cœlum*, confer 2. Tim. 3. 15. 16. 17. cum Deut. 30. 12. & Rom. 10. 6.

XXIX. Discens autem Christus secundum naturam humanam didicit Theologiam ex Scriptis Mosis & Prophetarum, quod certum nobis est, quia quæ didicerat docens, docuit, per *apertionem & interpretationem Scripturarum*, Luc. 24. 27. 32. 44. Et Spiritus S. per Apostolos in nomine Christi docens Euangelium, *nihil* docuit *extra ea, qua Prophetæ ac Moses futura prædixerant*. *Act.* 26. 22. Neque tamen qua Christus didicit ex Mose & Prophetis, edoctus est ab alio, quam à se ipso, quia ipse est λόγος *Sermo* ille, qui *in principio erat apud Deum* Patrem, cum Patre unus Deus, qui per Spiritum ὀυσιῶδον Mosem & Prophetas inspiravit. Atque hæc est vera *Divinitas Prophetici muneris Christi*, fundans certitudinem religionis Christianæ, Joh. 1. 1. --- 18. Matth. 11. 27. 1. Pet. 1. 11. Atq; ex hac Analogia explicanda loca illa, quibus affirmatur Chri-

ſtus *prius fuiſſe ibi, quo poſtea aſcendit, nimirum in cœlo, Ioh.* 3. 11. *Exiviſſe à Patre*, Joh. 16. 28. *Veniſſe ſuperne è cœlo*, Joh. 3. 31. atque *illic vidiſſe & audiviſſe, quæ loquatur eſt*, Joh. 3. 11. & 32. Quæ quidem ad ipſam incarnationem ſpectant, qua *ipſe Dominus è cœlo*, deſcendit metaphorice in terram, in terra factus homo & ſervus Dei.

XXX. Ad functionem officii Prophetici referenda Miraculorum patratio θεανθρωπικὴ Qua ſecundum naturam quidem divinam fuit miraculorum cauſa efficiens principalis prima: ut ſolide ex illis confirmetur Chriſti vera Deitas: ſed interceſſit natura Chriſti humana, ut cauſa eorundem miniſtra, in operatione à Deitate dependens, quippe illam impetrans precibus, Joh. 6. 11. & 11. 41. 42. Quin etiam in miniſterio illo, quo ipſe impetrabat miracula, ad prædicationis Propheticæ ſuæ à Deo Patre confirmationem extraordinariam, hactenus fuit etiam Legi obnoxius; ut miracula flagitare nec debuerit, nec potuerit, ad novæ, qualis à Socinianis aliiſque fingitur, Religionis fundationem, quam ex Moſe & Prophetis nec didiciſſet, nec doceret: & quæ ex iſta hypotheſi haberet Apoſtaſiam à Moſe. Feciſſet enim, quod abſit, ſe obnoxium juſtæ occiſioni, per Legem, Deutor. 13. 1. de vitando & occidendo Propheta, qui doceat Apoſtaſiam, à Moſe, quamvis miraculo faciat.

XXXI. Quamvis autem immediata functio muneris Prophetici defunctus ſit Chriſtus, eum adſcenſione in cœlum; implevit tamen, & implebit uſque ad finem mundi, Propheticum illud munus, per Apoſtolos, & Apoſtolorum ſucceſſores in Verbi miniſterio Paſtores & Doctores, qui ſunt jam Prophetæ ordinarii, deficientibus Prophetis extraordinariis. 1. Cor. 12. 28. cum cap. 14. 32. 37.

XXXII. Ad muneris Prophetici functionem humanam porro ſpectat *exemplum Sanctæ Chriſti obedientiæ in vita & morte*, quod nobis reliquit ad ſui Imitationem, 1. Cor. 11. 1. 1. Theſſ. 1. 6. 1. Joh. 2. 6. 1. Joh. 3. 16. 1. Pet. 2. 21. Hic neceſſario diſtinguendum inter *Imitationem* μίμησιν, à qua dicimur μιμηταὶ Imitatores, 1. Cor. 11. 1. & inter *Obſequium*, quo jubemur Chriſtum ſequi, ἀκολουθεῖτωμοι, Matth. 13. 24. Marc. 8. 34. Luc. 9. 23. Quæ confundunt fere qui vernacule ſcribunt, propter vocis Nachvolgin-

ge

ge ambiguitatem. *Imitatio* enim in *Obsequio* distincte notat conformationem obsequii ad exemplar sanctitatis. Ac rursus distinguendum inter *Imitationem Dei*, Matth. 5. 48. Eph. 5. 1. cum qua identitatem habet Imitatio Sanctitatis Christi divinæ: Et illam proprie dictam *Christi Imitationem*, quæ est ad exemplum humanæ Sanctitatis & Obedientiæ Christi, qua se non *Deum ipsum*, sed *Dei Imitatorem* exhibuit, praxi omnis, quam Lex præscribit, charitatis in in Deum & proximum. Iterum exemplum illud spectandum vel in communi vita & conversatione, vel in Officiorum Prophetici, Sacerdotalis & Regii functione: Nam est quidem functionis officiorum istorum Analogice aliqua imitatio; qua, quotquot Christiani sunt, censentur Prophetæ Sacerdotes & Reges: at solidam illorum officiorum functionem æmulari velle nefas esset: solidam autem ac veram imitationem flagitat isthic, & humilitatis, & fidelitatis, & charitatis humanæ Christi affectus: quod, neque lucro suo inhiarit, Phil. 2. 4. 5. &c. Nec absque vocatione se ad Officiorum functionem ingesserit, Hebr. 5. 4. 5. Fidelis fuerit, Hebr. 3. 2. Non succubuerit opprobriis & contradictionibus impiorum, 1. Pet. 2. 21. Hebr. 12. 2. 3. In vita & morte demonstrarit zelum dilectionis Dei & proximi, 1. Joh. 3. 16.

XXXIII. Ultimo loco ad muneris Prophetici Christi functionem, spectat etiam *Mors Christi*. spectata ut *Martyrium* obsignans Prædicationem Christi: quo respexit Apostolus, dicens, Jesum Christum *testatam feciſſe coram Pontio Pilato bonam illam Professionem*, 1. Tim. 6. 13. Et hac emphasi videtur dici Jesus Christus, *Fidus ille Testis, primogenitus ille ex mortuis*, Apoc. 1. 5. cum. 3. 14.

XXXIV. De istis autem cunctis Prophetici muneris functionibus sciendum, quamvis hoc titulo etiam Christus dici possit *Servator*: tamen, ex hypothesi Sociniana, Christus (ψιλὸς ἄνθρωπος) si sit Savator ille unicus dici nequit. Quia notione illa communi vocis Servator, & axiomate mere humano, plures sunt λεγόμενοι dicti Servatores, qui & suas & aliorum animas servari intelliguntur; nulla operatione principalis causæ, sed tantum ut causæ ministræ Deo subordinatæ, Ro. 11. 14. 1. Cor. 9. 22. 1. Tim. 4. 16. Jac. 5. 20. cum Obad. 21.

XXXV. Servatorem autem uni cum in munere Prophetico

Christum salutamus Orthodoxa fide, non simpliciter nec per se propter θεανθρώπικὸν muneris fastigium, quo ipsi subjicimur ad Fidei obedientiam: Subjectio enim illa etiam Angelis nobiscum communis est, qui etiam illo Doctore discunt, Eph. 3. 10. 1. Pet. 1. 12. quorum tamen non est, univoca notione, communis Servator. Verum attendimus Gratiam prædicatam, qua nobis, *opus habentibus Medico fit Medicina*, Esai. 53. 5. Matth. 9. 12. nec non Gratiæ illius solidam exhibitionem, qua & foris illam docet authentice per Verbum suum, & intus inscribit cordibus per Spiritum Consolatorem, 2. Cor. 3. 3.

XXXVI. III. Superest Mediatoris N. T. *functio officii Regii* explicanda: Fungitur autem officio Regio, titulo & jure Dominii Spiritualis in Ecclesiam, ad Ecclesiæ ædificationem, & tutelam, ac tandem glorificationem æternam: Quod Dominium hic, ut *Personale Regnum Christi Mediatoris* distingui solet à *Regno Christi Essentiali*, quod commune habet cum Patre & Spiritu S. Qua tamen distinctione circumspecte utendum, quia Dominium illud spirituale in Ecclesiam, si spectetur Potentiæ & potestatis plenitudo, quam habet Mediator in cœlo & in terra, Matth. 28. 18. quæ vocatur, *Nomen quod est supra omnem nomen, in quo genu omne flectendum*, Phil. 2. 9. 10. 11. est ipsissimum illud Regnum, quod cum Patre & spiritu S. commune habet: & ex quo demonstratur coessentialis vera Deitas Mediatoris, collatis locis Rom. 14. 11. cum Esai. 45. 23. Personale autem dicitur, Personæ Filii appropriatum, ac vindicatum & adsertum, Personali titulo ac jure quæsito, ut ipse sibi tanquam capiti, ut corpus suum, unitam Ecclesiam, in se & à se vivificatam, glorificet: atque etiam totius universi gubernationem ordinet ad Ecclesiæ salutem, 1. Cor. 3. 21. 22. 23. Rom. 8. 28. cum Eph. 1. 22. 23. & Hebr. 1. 14.

XXXVII. Quare neque *Novus? Rex* aut *Novus Legislator* credendus aut salutandus est Mediator N. T. qui Veteri Legislatori Mosi, qui Rex erat Veteris populi, Deuter. 33. 4. 5. successerit: Sed ut ipse Verus Deus & Rex Israelis, Jehovah ipse, unicus ille Legislator, Esai. 44. 1. & Joh. 1. 50. cum Jac. 4. 2. Dominus & Deus Mosis servi fidelis, in Legislatione & in Reipublicæ Israelis administratione adhibiti. Heb. 3. 5. 6.

XXXIIX.

XXXIIX. Non ergo à Majestate Regia inferiori Majestate Regia Patris intelligenda denominatio Regni Mediatorii; neque sic accipiendum illud, quod Christus, tandem quando *finis erit*, hoc est, consummata Ecclesiæ salus, dicitur, *traditurus regnum Patri.* 1. Cor. 15. 24. quasi futurum sit, ut Regia sua Personali Majestate exuatur Christus, quæ temporaria fuerit, ac minime θεοπρεπὴς, vel ipsi, qua homini propria & conveniens: Sed quod illa communis gubernationis divinæ ordinatio ad Ecclesiæ glorificationem perficiendam, quam respexit Christus, quando dixit, *Pater non judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio, Iob.* 5. 22. 23. finem habitura sit.

XXXIX. Interim denominatio Regni Mediatorii cum Majestate divina communi, jure Personali Filio appropriata, duo porro consignificat, quæ Christum dicunt Servatorem nostrum; nostro bono fungentem officio Regio, & Regnantem. 1. Gubernationem Regiam. Sacerdotali intercessione temperatam, usque ad tempus glorificationis Ecclesiæ, quando Sacerdotali officio Christus defungetur, & *Deus erit omnia in omnibus.* 1. Cor. 15. 28. 2. Sequestrationem benedictionum cœlestium, in exaltatione naturæ Christi humanæ, ac vindicatum ipsi, ut sequestro dominium illud in reliquas creaturas, cujus ex prima creationis Lege natura humana est subjectum δεκτικὸν, à Deo & sub Deo, Hebr. 2. 6. cum Psal. 8. 5. & Hebr. 6. 20.

XL. Scripturæ autem loca, quæ limitare videntur imperium Christi, quasi arctioribus limitibus circumscriptum, quam divinum: & quasi in Ecclesiam imperium habeat Majestate inferiori, ut *Mandatarius Patris*, non ut Dominus universi: illa minime de Christo regnante aut regnantis Majestate alter: quin neque de Ecclesiæ gubernatione ἀυτοκραρρικῇ Christi θεανθρώπε accipienda sunt *formaliter*, sed *subjective*: ut Regni Mediatorii nomine intelligatur Ecclesia, cujus bono, Regia Majestas, Christi salutare illud temperamentum habet ad tempus præfinitum, ut ipse secundum naturam humanam Officium à Deo & sub Deo obeat, ut Patris mandatarius.

XLI. Officium itaque Regium facere eoque fungi dicitur Christus, quatenus, modo nobis ineffabili, adhibetur à Majestatis divinæ

divinæ imperio: Humana etiam Christi cura de Ecclesia; cujus specimina habemus in Pauli è cœlo reprehensione & consolatione. Act. 9. 4. &. 18. 9. & missione Angeli ad Petrum è carcere liberandum. Act. 10. 11. 17. & in futura apparitione ad universale judicium & Ecclesiæ in cœlum assumptionem: in qua erit humanæ functionis colophon. Joh. 5. 27. Actor. 17. 31. Tamen *Regni ejus non erit finis*, 1. Cor. 15. 24. 25. cum Luc. 1. 32. 33.

COROLLARIA.

CLariss. Piscator in *Exegesi Aphorismorum*, ad *Aphor. VI. Unctionis Christi typum facit duorum tantum in populo Israelitico ordinum Unctionem, Summorum Sacerdotum & Regum. Nam quod Prophetæ quoq; uncti fuerint in sacra historia, inquit, non legitur. Legitur quidem* 1. *Reg.* 19. *vers.* 16. *Deum mandavisse Eliæ, ut in Prophetam loco suo ungeret Elizeum: sed illic ungendi verbum, inquit, accipitur per Synecdochen speciei de vocatione: Movet Piscatorem, quod Elias quum Elizeum ad munus Propheticum vocaret, non legatur eum unxisse, sed tantummodo pallium suum ei injecisse, versu* 19. *ac nititur illa hypothesi; Quia Scriptura tales actiones, quæ magni sunt momenti plene narrare solet. Resp. Si valida est isthæc hypothesis & solida. Proclive quoque erit negare, Christum octavo die circumcisum esse, quia neque hoc plene enarrat Lucas cap.* 2. 21.

II. *An præter Iosuam, Regem populi Israelitici, qui Mosi successit & alterum Iosuam filium Salathiel Sacerdotem. Es.* 3. 2. *tertius Iesus, typicus Propheta, censeri possit aut debeat, auctor Ecclesiastici Iesus Syrach. N.*

FASCI-

FASCICVLUS

XIIX. Selectarum

DISPVTATIONVM

THEOLOGICARUM.

NOMINA RESPONDENTIUM.

1 Wilhelmus Wiermannus Trans-Iuſlanus.
2 Sebaſtianus Magirus Neopaludano-Gelrus.
3 Gerlacus Rynviſch Elburgo-Gelrus.
4 Joh. Jacobus Munkerus Sigenenſis Naſſovius.
5 Samuel Neomagus Mœtſenſis.
6 Matthias Nethenus Reeſſenſis.
7 Daniel Nicolai Arenacenſis.
8 Juſtus Wilhelmus Mollerus Herborn. Naſſov.
9 Johannes à Breyl Daventrienſis.
10 Johannes Wiermannus Trans-Iſulanus.
11 Otto Henricus Schlebuſch Colonienſis.
12 Altetus Goſſuini Hattemius.
13 Gerlacus Rynviſch Elburgenſis.
14. Rudolphus Landmeſſer Iulia-Waſſenburg.
15 Theodorus à Bruch Heinsberga-Iuliacus.
16 Altetus Goſſuini Hattemius.
17 Cornelius à Thiel Harderovicenus.
18 CaſparusCaroli Haderovicenus.

Qua asseritur

Religionis Christianæ Fundamentum

Christus, Deus mentiri nescius & Homo Impeccabilis.

Contra Hypotheses Remonstrantium in Apologia Confessionis Capite XVII.

DE

LIBERA CHRISTI OBEDIENTIA.

THESIS I.

NEcessaria est præsens Disputatio propter Remonstrantium Spiritum contradictionis: qui ex Scholasticorum lacunis haustum impium dogma obtrudere satagunt Ecclesiis, constans potissimum gemina hac assertione. 1. Non implicari contradictionem in terminis propositionis istius, Θεάνθρωπος *peccat.* 2. Neque in terminis alterius propositionis, *Christus peccat.* Non admittunt enim hanc Orthodoxorum Thesin (Mortem Christi & totam ejus justitiam, quam pro nobis complevit, habuisse rationem veræ obedientiæ, quamvis ex hypothesi unionis hypostaticæ, & Unctionis Spiritus supra omnes consortes suos, voluntati Patris non potuerit non obedire,) Ac de illa quasi confutata triumphant *in Apologia Confessionis cap.* XVII. *& in Responsione ad Excerpta Specimine* XVIII.

II. Vindicabimus initio geminum fundamentum Impeccabilitatis Christi Θεανθρώπου, quod ipsa illa appellatione continetur. Est autem I. Unio Hypostatica, è qua appellatur Θεάνθρωπος. II. Unctio Spritus, quo unctus est supra omnes consortes, à qua appellatur Christus. De priori sic pronunciaut Remonstrantes:

Vnio personalis, inquiunt, per se nihil aliud efficit circa naturam Christi humanam, quam quod ei substentiam personæ divinæ det. ita ut natura humana, quæ alioqui persona completa fuisset, non subsistat, nisi in persona τῦ λόγυ Tantum itaque abest, ut ejus vi factum dici possit, quod Christus non potuerit peccare, ut ne quidem ejus vi factum fuerit, quod actu non peccarit: non magis sane, quam ejus vi factum fuit, ut, non dicimus, nihil posset ignorare, sed ut multa non ignoraret, utque non proficeret sapientia & gratia.

III. Nos contra demonstramus Contradictionem implicare propositionem istam, Θεάνθρωπ@· *potest peccare*, & Θεάνθρωπ@· *peccat*.

II. Quia posita illa propositione, propter communicationem idiomatum (per quam quod de Persona Θεανθρώπῳ affirmatur fas est enunciare, cum ejus denominatione etiam à natura divina,) verificaretur blasphemia ista, *Deus potest peccare*: & consequenter etiam altera illa, *Deus potest merito suo damnari*: Neque impietas sita esset in solo schemate dictionis, sed revera redundaret in suppositum divinum peccatum humanæ naturæ assumptæ: quod recte confirmat ex Pontificiis *Gregorius de Valentia in Thomam Tomo* 4. *Disp.* 1. *quæst.* 15. *De Christi anima, puncto* 2.

IV. II Primam istam rationem roborant etiam sequentes istæ. Quandoquidem Unio hypostatica major est naturæ humanæ cum divina agglutinatio & fortior, quam est Societas Federis, qua qui Deo agglutinatur unus spiritus est, 1. Cor. 6. 17. efficit omnino præter subsistentiam naturæ humanæ in persona divina. Amicitiam intimam & arctissimum pacis indissolubilis vinculum: Atque ea propter peccatum cum Unione hypostatica contradictionem eatenus implicat; quatenus ex peccato resultat ἔχθρα πρὸς θεὸν Inimicitia adversus Deum: & peccator, qua peccator Inimicus Dei est: & peccatum facit divortium inter Deum & hominem Ro. 8. & 5. Esai. 59. 2.

V. III. Huic rationi etiam ista connexa est: Quandoquidem juxta Catholicam fidem Unio hypostatica facta est ἀχωρίστως, ut nullum unquam possit fieri naturæ alterius ab altera divortium: Quisquis non admittit Christi humanam naturam vi Unionis hypostaticæ impeccabilem fuisse; is elabi non potest, quin vel con-

tra

tra Fidem Catholicam negèt Unionis τὸ ἀχώριστον, ac affirmet Christum potuisse excidere Gratia Unionis: Vel Christum quamvis peccasset, tamen mansurum fuisse Θεάνθρωπον, atque appellandum Deum & Dei filium: Atque sic mansuram fuisse Unionem hypostaticam, etiam soluta fœderis societate, & ingressa naturarum inimicitia.

VI. De Ignoratione aliquorum mysteriorum, quæ non revelata fuere humanæ naturæ Christi, & de Profectu in sapientia, dissimile est negotium: quia ad notitiam eorum, quæ revelat, non sunt, & ad experimentalis sapientiæ habitum ilico à nativitatis aut creationis primo momento consummatum, nulla est naturæ humanæ obligatio, quemadmodum ad sanctitatis & Justitiæ cum Creatione insitæ conservationem & expressionem.

VII. De altero porro impeccabilitatis Christi fundamento, sic obloquuntur: *Nec sufficiens fundamentum in Unctione Spiritus supra omnes consortes ponitur. Unctio enim, quâ talis, impeccabilitatem non ponit: Ut supra consortes ungi, non necessario est isto modo ungi, ut, cum consortes peccare possint, is qui supra eos ungitur, peccare non possit, quasi vox supra istum modum arguat.*

VIII. Contradicunt Remonstrantes verbis istis veritati, absque ullo argumento, quo contradictionem muniant: Argumenti vice est illa, quasi limitatio, *Unctio quâ talis*, per quam quid velint δυσνόητον est, & difficilis divinationis: Disquirere licet, An intelligant talem aliquam Unctionis ideam, juxta quam univoce nos & Christus dicamur Unctionis consortes: sic ut Unctionis utriusque qua Christus & nos Uncti dicimur Spiritu S. forma consistat in indivisibili, quamvis illa participemus impari modulo. Atqui non patitur in Christo supra consortes uncto; moduli tantum majoris indonorum Spiritus S. participatione prærogativam. Johannis Baptistæ de Christo testimonium Joh. 3. 24. Spiritum S. ipsi datum οὐκ ἐκ μέτρου, hoc est, non dimenso aliquo modulo.

IX. Quid ergo? Limitatio illa, quâ talis, sano sensu accepta flagitat descriptionem singularem ejus Unctionis, qua D. Jesus unctus est supra consortes: quæ ista est, quod per Unctionem illam habeat eminentiam illam, qua est Ecclesiæ caput, & convenientem illi eminentiæ plenitudinem, qua Ecclesiam potest suæ unctionis partici-

ticipem facere, atque illam Baptizare Spiritu S. Matth. 3. 11. Joh. 1. 16. Quæ Unctio, quâ talis, si non potuit impeccabilitatem; potuit in ipso exaruisse fons omnis nostræ Unctionis Spiritualis; & corruisse illud fundamentum Ecclesiæ universalis, præter quod aliud poni non potest, 1. Cor. 3. 11.

X. Enimvero, ex Unctione illa non ἐκ μέτρου, quâ talis, porrò hanc petimus demonstrationem Impeccabilitatis Christi: Quandoquidem Unctio Christi summum Prophetam, quâ talis, ponit Infallibilitatem in Doctrina veritatis & Fidei ac pietatis: Unctio Christi in Regem Spititualem, quâ talis, ponit impeccabilitatem in exemplo sanctitatis & Justitiæ, quo præire salvandis debet salutis ἀρχηγὸς & Dux. Nimis manifeste esset ἐκ μέτρου Unctio ista, per quam Christus fingitur non pariter utrobique ἀναμάρτητος: scilicet Infallibilis quidem Doctor; quem audire queas absque periculo erroris: Sed non impeccabilis Dux Viæ ad Vitam, quem sequi & imitari queas absque periculo seductionis peccati.

XI. Vindicato gemino fundamento impeccabilitatis Christi à Remonstrantium cavilis: Castigandum est, quod affirmant? *Non defuisse inter Scholasticos, nec deesse hodieque, qui adseruerunt adserunt que sine ullo periculo, Christum non tantum potuisse non obedire, sed etiam potuisse peccare: ut*, inquiunt, *in Apologia demonstratum est.* Verba sunt Remonstrantium in *Responsione ad Excerpta Specim.* 18. Dixerant *in Apologia capite.* 17. pro *secunda Responsione*: dato scilicet non concesso *Christum Iesum eodem modo, quo nos Legi divinæ obstrictum fuisse: Tum necesse est, ut statuamus fieri potuisse, ut Legi divinæ non obediret, & sic non obediendo peccaret*: *Quod quidem nos*, inquiunt, *non audemus affirmare: Quanquam si id omninò affirmaremus nec primi nec soli essemus: Certum est enim complures olim fuisse hodieque esse inter Scholasticos ipsos, qui id publico & sine periculo adserverunt adserunt que*: laudant inter alios *Durandum in lib.* 3. *sent. dist.* 12. *quæst.* 2.

XII. Si quod in hac quæstione adseruerunt Scholastici, nominatim Durandus, adserverunt sine periculo: Quodliberica ergo saltem est, apud Remonstrantes, quæstio; An Christus potuerit peccare: Ac si Durandus sine periculo illam determinavit; negant Remonstrantes periculum esse in ista Durandi determina-

tione

tione, quæ exstat loco à Remonstrantibus indicato: *Quod additur postea*, inquit, *si peccare potuit, damnari potuit, concedatur: quia quum damnari sonet in pœnam, non est majus inconveniens dicere Christum damnatum, quam mortuum vel passum: utrumque enim convenienter fuisset factum ex parte Dei, si voluisset: nec video, quare persona divina non possit assumere naturam hominis damnati.* Quis pius hic non videat profunda Satanæ; ubi Remonstrantes negant periculum esse.

XIII. Veniendum ad domesticam Remonstrantium sententiam, quam prima & principali *responsione* hac dictant: *Obedientia Christi alterius fuit generis, quam obedientia nostra est, de qua hic agimus: in hoc tamen conveniens, quod prorsus fuerit libera: Christus obedivit voluntati Patris sui, non uti nos Legi divinæ obedimus, sub comminatione mortis æterna si non obediamus. Absit: sed ut Legatus Regi suo, aut ut Filius dilectus Patri suo obedire dicitur: quando Rex aut Pater ei provinciam honorariam defert, ut eam exequatur, addita promissione magnificæ alicujus remunerationis, si eam libere atque in gratiam ejus subire velit. Qui hac ratione obedit, id est, provinciam illam ultro in se suscipit, is sane proprie & libere obedit, non quod proprie peccaturus esset, si eam non susciperet, aut susceptam cum bona Patris gratia iterum deponeret: nedum quod pœnam æternam mereatur, si eam non subeat, aut ab ejus onere suscipiendo & ferendo se excuset, uti nos, cum non obedimus Deo & Legi ipsius, pœnam mereri certissimum est: Nulla enim talis pœnæ comminatio Christo facta fuit, sed quod eam potuit non suscipere, aut quum suscepit oneri ejus se subducere, atque ita promisso præmio non gaudere aut excidere.*

XIV. Basis præcipua hujus ipsorum responsionis ista est: quam urgent in *Respons. ad Excerpta Specimine* 18. *Si potuit obedire*, inquit, *imo si proprie obedivit, potuit non obedire. Qui enim non potest non obedire is, non obedit alter, quam cœlum atque astra Deo dicuntur obedire: Qui non potest nolle non potest dici velle: Et hæc tantum non prima notio est.* Nos credimus hoc esse Remonstrantium πρῶτον ψεῦδος, quod si admittitur, consequens erit, nec Angelos sanctos, nec animas sanctorum consummatorum Deo aliter obedire, aut velle obedire, quam cœlum atque astra: consequetur quoque, nec Christum jam exaltatum libere perseverare in subjectione, qua secundum carnem Patri subjicietur in omnem æternitatem. Neque hic

de

de Christi, vel Angelorum, vel beatorum in cœlis, subjectione impeccabili, stante illa hypothesi, se expedient Remonstrantes, quin cum Enthusiastis tueantur monstroſam naturæ creatæ saltem in cœlis ἀνθέωσιν seu Deificationem.

XV. Quod urgent Obedientiam Christi fuisse alterius generis, quam est nostra obedientia, (quia Christus non obedierit sub comminatione mortis æternæ. si non obedierit,) nullius est momenti: Quia id nequaquam est inconveniens, sed maxime consentaneum exinanitioni Christi facti sub Lege, quin nostri causa necessarium: ut quemadmodum sub promissione mercedis, ita sub comminatione quoque pœnæ seu pacto pœnali, serviret servitutem, quasi induceratdiebus canis. Qui enim scrupulus hic suboritur, de metu & terrore, quem conscientię incutit comminatio divina æternę mortis, qui terror & metus conscientiæ Christi fuerit minime conveniens: ille nullo negotio eximitur, si animum advertamus, terrorem illum conscientiis incuti à comminatione divina per accidens tantum, supposito periculo lapsus: comminationes a. per se tantum conscientias informare de odio Dei, quo ipse odit peccatum, ut inflammentur ipsæ quoque ad peccati & injustitiæ odium.

XVI. Ad rem autem ut respondeamus: In ista sua principali responsione Remonstrantes confundunt Gratiam Christi, qua se exinanivit ad obedientiam, cum ipsa obedientia Christi exinanti. Gratiam hanc Christi agnoscimus tam fuisse liberam, ut potuerit nolle illam exinanitionem, qua indueret obligationem ad obedientiam: atque sic non negamus in sensu diviso Christum potuisse abstinere ab obediendi necessitate. At verò in sensu composito, censemus non potuisse abstinere ab obedientia; & nihil hic abesse à blasphemia Assertionem istam. *Christum potuisse non obedire voluntati Patris sui: potuisse provinciam à Patre impositam non suscipere: aut cum eam suscepit oneri ejus se subducere, atque ita promisso præmio non gaudere aut excidere.*

XVII. Nos assertionem istam confutamus rationibus I. A Præordinatione Christi, qua, volens ipse, ut coæternus cum Patre Deus à Patre ab æterno præordinatus est propter nos ad exinanitionem & obedientiam, 1. Pet. 1.20. sic ut Deus mentiri nescius hoc nomine dicatur nos in ipso Prædestinasse, & spem vitæ æternæ nobis

nobis promisisse ante tempora sæcularia. Eph. 1. 5. 11. Tit. 1. 2. Hinc n. consequens est: Christum non potuisse non suscipere in temporis plenitudine provinciam illam: Ni enim suscepisset, non fuisset ipse Deus mentiri nescius: nec fuisset Deus omnipotens, quippe qui, etiam volens divina voluntate in persona sua provinciam suscipere, non potuerit, ex hypothesi, voluntatem humanam flectere, ad id exsequendum, propter quod natura humanam assumpta erat.

XVIII. II. Accedunt, ad Præordinationem & Prædestinationem æternam infallibilem, Promissiones omnes quotquot factæ sunt per Prophetas de hæreditate benedictionum in Christo: interposito etiam jurejurando, ut valida esset consolatio per duas res immutabiles, in quibus fieri non potest, ut mentitus sit Deus Patribus ἐπαγγειλάμενος Hebr. 6. 13. --- 18. Luc. 1. 63. Omnino potuerunt illæ ea Remonstrantium hypothesi fallere, & fefellissent hæredes promissionum: Si Christus provinciam non suscepisset, vel cum eam suscepisset, se oneri ejus subduxisset.

XIX. III. Tertia ratio contra assertionem Remonstrantium hæc esto, Si Christus potuit provinciam semel susceptam deserere, & oneri ejus se subducere: potuit vadimonium deserere, & pactionem à Deo respectu sui προκεκυρωμένην, jam ante confirmatam, irritam facere: quod ab eo, qui fidejussit absque peccato fieri non potest, ne quidem in pactione, quæ humana tantum auctoritate confirmata est, Gal. 3. 15. 16. 17. Quod ergo hic volunt Christum proprie peccaturum non fuisse, si non obediviſſet, futile & frivolum est: quia postquam ipsi cum Patre ictum fuit Fedus, quo Pater cum ὁρκωμοσίᾳ seu adjuratione in ipsius introductione in mundum ipsi mandavit provinciam Sacerdotii æterni secundum ordinem Melchisedeki, olim ipsi designatam Heb: 7. 16. --- 21. Et quo ipse à Patre exivit ad opus consummandum, quod ipsi dederat, ut faceret, Joh. 17. 4. --- 8. Quomodo absque peccato potuisset esse humanum illud liberum arbitrium: quod prestare noluisset obedientiam illam, quam per illud seimplecturum iterato sponderat Filius Dei naturam humanam assumens: vel quod manu semel admota aratro respexisset εἰς τὰ ὀπίσω ad ea, quæ retro sunt.

XX. IV. Quarta ratio nostra hæc esto: Si Christus sua vadi-

monii defertione potuit non gaudere promisso præmio aut eo excidere; Vel fateantur necesse est potuisse hypostatice uniri Deitati & ἀχωρίστως inseparabili nexu unitam manere naturam humanam nunquam præmio coronandum: Vel nullam fuisse unionem Hypostaticam ἀχωρίστο naturæ humanæ cum divina, ante Christi ex mortuis resurrectionem.

XXI. V. Quid quod per hanc hypothesin, potuisse Christum non gaudere aut excidere promisso præmio, adoptatur tacitè Durandi blasphemia? quam audivimus Thesi XII. *Christum damnari potuisse.* Damnatur enim, esto non ad pœnam sensus, saltem ad pœnam damni, natura humana, quæ Dei judicio excluſa à spe promissi præmii, quia provinciam Dei mandato susceptam semel deseruit. Nec forte Damnationis nomine Durandus aliud intellexit, quam Damnificationem illam, seu pœnam Damni: quod nihilominus censemus detestabilem blasphemiam, ab efficacia erroris in Scholasticis, qui cum Durando sentiunt, & in Remonstrantibus, de ejusmodi arbitrii libertate, quæ contradictionem implicet cum omni Necessitate.

SELE-

Qua asseritur

Vera antiquitas Religionis Christianæ:

Contra Hypotheses Socinianorum, & Remonstrantium Confessionis & Apologiæ cap. 16. & Apologiæ cap. 2.

DE NOVO CULTU ET ADORATIONE CHRISTI.

THESIS I.

RElegio Christiana, quæ Christianis exhibet Deum Redemptorem, jam reconciliatum per Christum exhibitum, cognoscendum & colendum; quemadmodum à novissimo gratiæ, quæ per Christum facta est cumulo, & novissima Federis Dei spirituatalis œconomia, merito jure Nova prædicatur, quod juxta Apostolum Vetera præterierint ecce nova facta sint omnia. 2. Cor. 5. 17. Ita in Christo Antiquissimo Ecclesiæ Domino & Magistro merito quoque jure, contra quosvis Novatores triumphat Antiquitatis encomio: ut, quando de Veritate disquisitio est, non Hæreticis tantum inter Christianos, sed ipsis Judæis & Veteri Gentilismo, opponere liceat illud *Tertulliani: Si semper Christus, & prior omnibus, atque Veritas sempiterna & antiqua res. Libr de Virginibus velandis, edit. Basil. per Rhonanum* 1528. *pag.* 491.

II. Ut ergo cum Veritate Religionis Christianæ sarta tecta sit Fides de Vera Religionis Christianæ Antiquitate, hoc agemus præsenti Disputatione: ac demonstrabimus, Quantumvis Nova sit post exhibitum Christum externa & visibilis œconomia Fœderis Dei cum homine spiritualis; quin ipsa spiritualis gratiæ plenitudo: Non tamen habendum esse aut dicendum in Religione Christiana Christum aut Novum σέβασμα seu numen, aut Novam Legislatorem.

III. Novum σέβασμα seu numen faciunt in Religione Chri-

ſtiana Chriſtum Anti-Trinitarii omnes, qui credere ſe profitentur in ψιλὸν ἄνθρωπον, nudum hominem: craſſius ex Anti Trinitariis Sociniani, qui contra Arianos tuentur nudi illius hominis Adorationem: quos hoc nomine Ariani merito incuſant idololatriæ, quod adorent illum, qui non ſit Naturâ Deus Gal. 4. 8. qui tamen ipſi credentes in illum, qui nihil ſit præterquam, id quod in plenitudine temporis factus eſt Caro, Joh. 1. 14. non effugiunt divinum Anathema illud, Maledictus homo, qui confidit in homine & ponit carnem brachium ſuum. Jer. 17. 5.

IV. De Novo Legislatore dicemus Diſputatione ſequenti: in præſens agemus contra Socinianorum de nova Chriſti, ut novi numinis, Adoratione hypotheſes, & contra Remonſtrantes, qui hic ab omni *idololatria & falſi cultus* crimine non obſcure ſuo calculo Socinianos abſolvunt, *Confeſſionis* ſuæ *cap.* 16. adeo ut in illius *capitis* 16. *Apologia* pronuncient *Æquiſſimum eſſe omnino* (quando Chriſtum probamus Deum æternum, eſſe, quia Adorandus eſt) *ut argumento iſto plumbeo non amplius pugnemus, Ferendum*, inquiunt, *utique non eſt, ut res certiſſima præſidio nitatur frigide probationis*, pag. 155.

V. Argumentum quo Orthodoxi hic utuntur ejuſmodi eſt: Qui ab Angelis & Hominibus religioſe Adorandus eſt, ille eſt Verus & Æternus Naturâ Deus. Deut. 6. 4. cum Matth. 10. & Gal. 4. 8. Apocal. 19. 10. & 22. 6. Atqui Chriſtus ab Angelis & Hominibus religioſe eſt Adorandus. Heb. 1. 6. Joh. 15. 3. Ergo Chriſtus eſt Verus & Æternus Naturâ Deus.

VI. Sociniani ut elidant vim teſtimoniorum Scripturæ S. maxime loci Gal. 4. 8. ubi character Idololatriæ ſtatuitur ab Apoſtolo, Adorare numen quod non ſit Naturâ Deus: excipiunt ad Majorem, Veram eſſe illam reſpectu Veteris Religionis Moſaicæ in illo tempore: Non autem in Chriſtiana Religione, in qua jam ſit, juxta unum Verum Deum, Adorabilis & Adorandus Homo Chriſtus, quâ Mediator eſt. Ad quam Evaſionem reſpondemus: I. Quia ne quidem verus Mediator eſſe poteſt ſecundum Scripturas ψιλὸς ἄνθρωπος ſeu homo habens unam tantum naturam humanam creatam: non elabi Socinianos, conceſſa Hypotheſi de Chriſto, quâ Mediator eſt adorando; De qua concedenda an neganda diſquiritur

tur inter Orthodoxos, & nos mox dicemus.

VII. 2. Deinde respondemus: Si in Novi Testamenti, seu Religionis Christianæ Adoratione, non esset standum Legi de uno Jehova vero Deo Israelis adorando; non faceret ad Christianæ Ecclesiæ institutionem, verbum hoc Christi Matth: 4. 10. Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies: quod non veritus est Socinianè asserere Remonstrantium primipilus, *Poppius Homilia 3. in Ioh. 17. 3.* ut scilicet persuadeat, Joh. 17. 3. Novum illud esse, quod Deo Patri & Christo unus idemque cultus vindicetur: *Christus*, inquit, *Deo adjungitur, & unus idemque cultus attribuitur Deo & Christo. Hoc non pariter invenitur in Veteri Testamento, sed Euangelio proprium est. In Veteri Testamento dicitur. Diliges Dominum Deum tuum Deut 6. 4.* (NB. *quod Christus verba isthæc ad eundem modum citet Matth. 4. 10. & aliis locis, hoc facit cum respectu ad Testamentum Vetus*) *At in Novo Testamento dicitur, Cognoscesunum illum verum Deum, & quem ille misit Iesum Christum. Ioh. 17. 3.*

IIX. Ad ἐναλλοφανὲς ex loco Joh. 17. 3. convenientissimam censemus responsionem illam: Deo Patri & Jesu Christo commune esse Prædicatum illud; Unum illum verum Deum, cui Christus non adjungitur, sed includitur.

IX. Verbum autem Christi Matth. 4. 10. facere etiam ad Christianorum Adorationem confirmat Angelus ad Johannem loquens Apoc. 19. 10. Deum adora. & 22. 9. & character Idololatriæ ille, Rom. 1. 25. si juxta Creatorem Creatura adoretur & colatur, quæ non est Natura Deus, Gal. 4. 8.

X. Remonstrantibus adeo non displicet hæc Socinianorum evasio, ut *Confessionis suæ* & *Apologiæ* capite jam indicato, in illorum gratiam singant Novam aliquam Christi propriam Majestatemipsi à Deo Patre collatam, etiam *quatenus homo est & Filius hominis ad cultum ejus proprium*: quem cultum Christi proprium censent illi deberi etiam remota cogitatione τῆ ὁμοουσίᾳ æternæ Deitatis: Profitentur enim *Apologiæ Confess. cap. 50. 51. Se judicasse à Cultis divino argumentum irrefragabile ad probandam æternam Filii Deitatem peti non posse, quia ex Scriptura didicerunt Deum Patrem Christo Filio, suo, quatenus Θεὸς ἄνθρωπος Mediator, Homo, Filius Dei & filius hominis in una eademque persona est, Deus denique manifestatus in carne, cultum &*

honorem divinum graficatutim esse: Impossibile autem est, inquiunt, *ut concipiatur Deum filium suum Iesum dignatum esse honore isto in tempore, si ratio adorationis sit tantum divina ejus natura, quam per generationem à Patre aterno habuit.*

XI. Respondemus ad locum Phil. 2. 9. (quem hic potissimum urgent cum Socinianis Remonstrantes, & ex illo verbum ἐχαρίσατο. Nos agnoscere ab Apostolo attributam illic Carni & humanæ naturæ Christi novam quandam excellentiam, & quidem ejusmodi, quæ necessario etiam occurrit, & mentibus obversatur, quando jam Christus religiose adoratur: atque ejus causa adhibitum verbum illud ἐχαρίσατο. At tamen nequaquam concedimus, illam carnis Christi novam excellentiam, aliqua ex parte constituere in Christo Majestatem adorabilem, seu fundamentum & objectum novum Adorationis religiosæ.

XII. Excellentiæ enim istius novæ Carnis Christi, quam in Christi exaltatione Pater ipsi ἐχαρίσατο, seu dedit, ut χάριν mercedem obedientiæ exantlatæ, summus apex ille est, quod glorisissime jam in ipsa, ut in Templo suo habitet, atque in illa adoretur in cœlo & in terris præsens Deitatis Majestas.

XIII. Majestas illa Deitatis, quæ in Templo carnis Christi adoratur ab Angelis & Hominibus, non est adoranda nec adorabilis *cum Carne* Christi, magis quam olim in Typico Templo habitans Deitas adoranda aut adorabilis erat cum Templo, Matth. 23. 21. Idololatrica enim est omnis illa Adoratio, qua per ἀποθέωσιν seu Deificationem natura creata statuitur adorabilis & adoranda juxta creatorem suum, ἡκτίσις παρὰ τὴν κτίσαντα, Rom. 1. 25. vide Thes. 9.

XIV. Ex hac hypothesi haud gravatim largiemur esse peculiarem aliquam & *propriam Mediatoris* majestatem & gloriam adorabilem, quam Apostolus vocat ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα Nomen quod est supra omne nomen, & mox, nomen Jesu, in quo se flectat omne genu Phil. 2. 9. 10. Sed illam credimus, Modaliter tantum, non Realiter distinctam esse à Majestate & gloria *absolute suprema & pure divina*, ac consequenter non ita esse Mediatoris propriam, ut fundare possit *cultum proprium*, qui in re non sit communis Filio cum Patre & Spiritu S. Quod confirmat illud Joh. 11.

14.

14. δοξαν ὡς μονογένους παρὰ πατρὸς, Gloriam ut unigeniti à Patre; item illud, Qui vidit me, vidit Patrem, Joh. 14. 9.

XV. Deinde haud gravatim largiemur in tempore factam esse Christo à Patre Gratificationem Nominis illius supra omne nomen *quâ Mediator est* θεάνθρωπος: Sed negamus Gratificationem illam dicere Novitatem seu initium existentiæ Nominis illius, quod Pater Christo est gratificatus; Quid ergo? Gratificatio dicit tantum Novitatem illius usufructus, qui à natura carnis creata percipitur ex Deitatis, quæ in ipsa inhabitat, nova assertione & vindicatione, Joh. 17. 5. per quam ipsa quoque caro vindicata est à contemptu & opprobrio, quod ante sustinuerat, & asserta in gaudium illud glorioſissimum, jugiter manans ex glorioſissima Deitatis in ipsa inhabitatione.

XVI. Largimur & hoc quoque; Gratificationem illius Nominis factam esse Christo, *qua Homo est*; sed ea Lege, ut à Nomine illo Denominatio Numinis adorabilis & adorandi extrinseca sit carni seu Naturæ humanæ in Abstracto; quamvis enim propter Unionem hypostaticam & Nomen & Attributa Dei. Attribuantur Personæ etiam donominatæ à naturæ creata: adeo ut non vereamur dicere in Concreto: Homo Jesus est Deus: Homo Jesus habet in se ipso vitam Joh. 5. 26. & ἀναλόγως Homo Jesus habet in se ipso Majestatem & gloriam religioſe adorabilem & adorandam. Attamen nefas est dicere in abstracto Caro Iesu est Deus aut Deitas. Quapropter etiam censemus recte abstineri illis loquutionibus, *Caro Christi* adoranda est, vel, *Christus cum carne sua* adorandus est, vel, *Christus quâ Homo* adorandus est, &c.

XVII. Breviter ergo dicimus prævaricari Remonstrantes, quando in gratiam Socinianorum, qui Christum volunt esse Christianæ Religionis Novum σέβασμα seu Numen colendum & adorandum, tuentur Adorationem Novam & *Cultum* novum *Christo proprium*. quem non habeat cum Patre communem, & ex quo frustra quæratur demonstratio æternæ Deitatis Christi contra Socinianos.

XIIX. Ne quid dissimulemus, quia acropolis Socinianorum est Hypothesis illa *de Christo Adorando, Qua Mediator est*; Hoc quoque agendum est *in* præsens, ut demonstretur, nihil in illa esse præsi-

præsidii, pro tuendo Novo numine adorando in Religione Christiana. Atque hic vellemus non feciſſe ex Adoratione Chriſti, qua Mediator eſt Novum genus Adorationis diſtinctum ab Adoratione Religioſa Chriſti, quâ Deus eſt, *P. Martyrem in Gen. c. 18. v. 2.* & poſt illum *L. Danæum Aſſertione contra Iac. Andræ filium pag. 37. 38.* Quandoquidem enim ex neutrius mente dici poteſt *Civilis, Adoratio* illa Chriſti, quâ Mediator eſt, cum ſit Spiritualia & per illam à Chriſto flagitemus bona ſpiritualia ad animæ ſalutem: quomodo extra λογομαχίαν fiet, ut non appelletur: *Adoratio Religioſa?* & quomodo reſpondebitur ad Pontificiorum hypotheſes in Diſputatione de idololatria; conantur enim illic elabi per diſtinctionem geminam, quæ etiam ſupponitur utraque: prior eſt diſtinctio cultus *Sacri*, & *Religioſi*. altera eſt Diſtinctio *Excellentiæ* duplicis adorabilis *Divinæ & Humanæ*. Videatur *Cl. Rivetus in Exod. 20. Diſſertatione peculiari de cultu Religioſæ adorationis.*

XIX. Movit *P. Martyrem & L. Danæum*, procul omni dubio, quod τὸ Mediator videatur diſtinguere inter Deum ut bonorum Spiritualium *cauſam primam & principalem, ac ſupremum auctorem:* & Chriſtum ut *Collatorem* bonorum Spiritualium *inferiorem*, adeoque *cauſam miniſtram & inſtrumentalem*: Quod ipſum movit *Zanchium*, & poſt illum alios magnos Theologos, ut negent Chriſtum Adorabilem aut Adorandum eſſe *ſub illo formali quâ mediator eſt*: Nos autem hoc minime movet: quia cum Chriſtum credamus Mediatorem eſſe ſecundum utramque naturam divinam & humanam: ſic ſtatuimus τὸ Mediator dicere in Chriſto utramque bonorum Spiritualium cauſam efficientem, & primam & principalem, & ſecundam miniſtram atque inſtrumentalem: ſic ut non per ſecundæ miniſtræ atque inſtrumentalis cauſæ cauſalitatem inferiorem collator ſit bonorum Spiritualium, ſed cauſalitate primæ & principalis cauſæ efficientis. Confert enim bona ſpiritualia per Baptiſmum Spiritûs S. Matth. 3. 11. quæ Collatio eſt extra ſphæram activitatis cauſæ ſecundæ miniſtræ & inſtrumentalis, & propter Spiritus S. Deitatem, per quam ipſe Spiritus S. eſt cauſa prima & principalis: & propter abſentiam à nobis in cœlis, quæ prohibet influxum in nos cauſalitatis, inſtrumentalis: ſalvo tamen concurſu humanæ Chriſti commiſerationis ad modum cauſæ Proëgumenæ

&

& Procatarcticæ cum divina Christi misericordia, ad Collationem bonorum Spiritualium: quem etiam flagitamus Adorantes Christum, quâ Mediator est, *Hebr.* 4. 14. 15. 16.

XX. Ad rem ergò: τὸ Mediator non dicit præcisè Novam novè à Mediatore assumptam formam servi, quam ut causam ministram & instrumentalem cum subjectione sub causa prima & principali agere certum est: Sed τὸ Mediator dicit Personam divinam, quæ, ut causa prima & principalis, per instrumentum illud, quod intime illud unitum habet Unione Personali, illud perficiens ac elevans, hoc egit, quod agendum fuit ad redimendam Ecclesiam.

XXI. Τὸ Mediatio quoque non dicit præcise illam subjectionem, cujus nomine Christus, in Fidei & Adorationis objecto, contradistinguitur primæ & principali causæ efficienti salutis & bonorum Spiritualium: Fuit enim Christus Mediator circiter 4000. annis, antequam fieret Patre minor, aut Patris servus: Quo tempore constitit Mediatio illa Gratia Filii Dei qua se statim ab initio mundi stitit Fœderis Sponsorem; & vadimonium obiit: Quæ Gratia Fidejussionis fuit Gratia non Hominis, sed Magni Dei & Servatoris, ac gratiosa Personæ divinæ (existentis & manentis in Forma Dei non humiliatæ nec exinanitæ) συγκαταβάσεως Quæ nullam *in divina Christi natura Minoritatem importavit* in illo tempore, magis quam ab æterno ante mundum conditum, & ante Adami lapsum eandem importavit Christi præordinatio seu Prædestinatio ad munus Mediatorium. Neque illam *Minoritatem in natura divina* (quam qui statuunt *relativam* vocant) probat, quod Christus dixit jam Forma servi assumpta, Joh. 14. 28. Pater Major me est.

XXII. Quamvis enim ex illo tempore jam τὸ Mediator in concreto dicat Hominem, qui utrumque est & victima & Sacerdos: tamen quemadmodum olim notabat Filium Dei, Deum magnum & Servatorem, præter quem unum verum Deum Israelis, nemo erat Servator, Esaj. 44. 1. 45. 15. 17. 21. Hos. 13. 4. &c. Sic jam notat eundem Deum servatorem, manifestatum in carne, reconciliantem sibi mundum in se ipso; Deum redimentem sibi Ecclesiam proprio sanguine, 1. Timot. 3. 16. Tit. 2. 13. 2. Cor. 5. 19. Actor. 20. 28. Dei Filium, qui per se ipsum operatus

tus est purgationem peccatorum nostrorum, Hebr. 1. 3. Denique Sacerdotem magnum ἀμήτορα, ἀγενεαλόγητον, sine matre, sine genealogia, nec initium dierum nec vitæ finem habentem, qui per Spiritum æternum Deitatis se ipsum obtulit, Hebr. 7. 3. & 9. 14.

XXIII. Breviter damus & concedimus Hypothesin de Christo Adorando, quâ Mediator est: tamen negamus in Christiana religione Christum esse Novum σέβασμα, seu Numen adorabile & adorandum seu colendum nova Adoratione aut cultu proprio; quia, variatâ *tantum ratione formali sub qua, manet immota unica ratio formalis, quæ & ratio formalis quâ seu per quam* Christus à nobis adoratur, τὸ ὁμοούσιον Deitatis, qua ipse Deus est & Persona divina habens cum Patre & Spiritu S. unum nomen & Numen, cujus *Per omnia & Vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate colere oportet.*

Athanasius in Symbolo.

Selectarum Disputationum Theologicarum III.

Qua asseritur

Vera Antiquitas Religionis Christianæ,

Contra Papistarum, Anabaptistarum, Socinianorum & Remonstrantium Hypothesin,

DE CHRISTO NOVO LEGISLATORE.

THESIS I.

Post adsertam superiori disputatione contra Novatores veram antiquitatem Religionis Christianæ in Numine Adorabili & Adorando, hac demonstratione, quod Christus adoratus, etiam qua Mediator, non adoretur nec colatur religiosè

giosè quâ homo, proprio & humanæ excellentiæ appropriato cultu, ut novum σέβασμα seu Numen, sed tantum, ut magnus Deus & Servator Patri & Spiritui S. ὁμοούσιος; prima & principalis salutis causa, per humanæ naturæ instrumentum sibi intime unitum conficiens redemptionis negotium: Succedit jam altera veræ Antiquitatis Religionis Christianæ adsertio, contra Novatorum hypotheses de Christo Religionis Christianæ novo legislatore: Cujus adserrionis demonstratio hactenus pendet etiam ex superiori disputatione, quod necessaria consequentia Novus legislator est Novus Deus, novum numen: quia ut unicus Deus est, solus supremum & independens jus vitæ & necis habens, Matth. 10. 28. Sic idem unicus est Legislator hoc nomine metuendus, Jac. 4. 2.

II. Neque huic demonstrationi officere potest, quod Novi legislatoris titulus Christo tribuatur, quâ Mediator est, novæ illius inaugurationis ad Propheticum & Regium munus intuitu: qua Mosi legislatori & summo olim Prophetæ successit ex promissione illâ Deut. 18. quia ἀναλόγως illis, quæ de adoratione Christi, quâ Mediator est, disputata sunt, illa ratio formalis sub quâ, quæ Regnum Christi Mediatorium à Regno Patris distinguit, non perimit, sed supponit rationem formalem, quâ seu per quam Christus ut Patri ὁμοούσιος solus dignus est Mediatorio illo Regno; quod quia in se habet Spirituale Dominium in Ecclesiam, quo illam regit non tantum verbi, sceptro, sed etiam spiritu S. non cadit in ψιλὸν ἄνθρωπον.

III. Similiter ratio formalis sub quâ Christum ut Prophetam summum à Patre missum intuemur, non perimit, sed supponit rationem formalem, quâ seu per quam Christus ut λόγος Patri ὁμοούσιος nos & foris authentice per verbum suum, & intus per Spiritum Sanctum docet, eoque nomine solus summi Prophetæ & Doctoris munere dignus: quia neutrum præstitit ψιλὸς ἄνθρωπος, nec præstare potuit, ne Moses quidem, qui non ut filius Dominus, sed tantum ut fidus servus loquutus est & præfuit domui Dei Hebr. 1. & 3. Ea propter quamvis Prophetæ nomen sit ministerii, ac notet Christum servum & ministrum verbi Dei: Adjectio tamen *Summi* Christum facit ita eximium, ut omnium verbi

ministrorum ipse intelligatur Magister, & verbi, cujus ministerium ad tempus obiit, ipse auctor: qui consquenter quamvis humiliatus & exinanitus, nullos salutavit in munere Prophetico collegas, Matth. 23. 8. 10. & sibi asserit quidquid missus è cœlo Spiritus S. Apostolos docuit, ut verbum suum, Joh. 16. 14. quin ipsam missionem & effusionem Spiritus S. Matth. 3. 11. Joh. 16. 7. & consequenter unctionem intus docentem omnia, 1. Joh. 2. 27.

IV. Hinc manifestum quare (non obstante illa successione, qua Mosi in Prophetici muneris ministerio successit Christus) Christus tamen salutandus non sit Novus legislator & fundator Religionis Christianæ, post Mosem legislatorem & fundatorem Religionis Judaicæ: quia τὸ Legislator dicit non humanum muneris Prophetici ministerium, cum de Christo sermo est; sed divinum magisterium, cum jure dominii divino, quo potest servare & perdere, Jaco. 4. 14. quod secus se habet, quando Moses dicitur Legislator: quia summum ejus axioma intra servi formam continetur, Hebr. 3. 5. Et quia divinum magisterium, & jus vitæ & necis divinum, omni Religione & Legislatione prius est & antiquius: dato non concesso Christianam Religionem novâ Legislatione definiendam esse: tamen non absque divini magisterii & dominii divini depreciatione dici posset Christus Novus Legislator, Mose posterior; sed deberes nihilominus Moses hoc testimonium Christo, quod ipsi dabat Joh. Baptista, ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ἔμπροσθέν μου γέγονεν, Post me venit, ante me fuit, Joh. 1. 27. 30.

V. II. Sed neque τύπος διδαχῆς seu formula doctrinæ Mosaicæ exhibens Christum antiquissimum antiquissimæ Patriacharum ab Adamo ad Mosem Religionis immobile fundamentum, idem heri & hodie &, in secula, Hebr. 13. 8. hoc patitur, ut Novus Legislator salutetur Christus in Religione Christianâ: quippe qui, ut olim prænunciatus à Mose & Prophetis, ita in plenitudine temporis exhibitus est, ut Sponsor & Mediator fœderis: non novo legis jugo Ecclesiam oneraturus; sed etiam illo legis jugo symbolico, quod situm erat in ritum decretis, atque universim omni legalis servitutis spiritu illam liberaturus: adeo ut Fidei & Spei omnium ab initio credentium hoc sit τὸ ναὶ καὶ τὸ Αμὴν in Christo: Post-

quam

quam venit plenitudo temporis, emisit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, Gal. 4. 4. 5. cum 2. Cor. 1. 20. Quamvis ergo in Persona Christi θεανθρώπῳ non implicent contradictionem, Legislatorem esse, & factum esse sub lege: tamen, in Gratiæ quæ per Christum facta est conceptu, sunt ἀντικείμενα contrariè opposita, ut alterum secum trahat benedictionem, alterum maledictionem. Esse sub Gratia, & Esse sub Lege, Gal. 3. 10. 18. Rom. 6. 14. 15.

VI. Quandoquidem ergo fide salvifico de Gratia nobis facta per Christum ipsum salutamus factum sub lege: perimit fides salvifica de Gratia Christi, si illum salutemus factum novum Legislatorem. Neque hic officit, quod eadem fides salvifica credat Christum Legislatorem in Regio & Prophetico munere, quia salvificus salvificæ fidei actus, qui hic attenditur, non habet in Christo Legislatore aliud objectum proprium, quam Gratiam Christi, qua salvetur: quæ neque in Legislatione nec in Regii & Prophetici muneris autoritate & imperio, quo nobiscum etiam Angeli Christo obstringuntur ad fidem & obedientiam legalem, sita est, sed in sacerdotii Apotelesmate, quo Legislatori, per Sponsoris facti sub lege plenissimam obedientiam, pro nobis satisfactum est, & nobis impetrato Regii & Prophetici muneris salutaris ἐνέργεια, qua Medico opus habentibus nobis fit Medicina, Esai. 53. 5. Matth. 1. 12. doctrina salutari non foris tantum proposita ad Justificationis & Sanctificationis oblationem, sed etiam in cordibus oblatorum collationem ἀμεταμέλητον. Adeo ut in Fidei salvificæ objecto, qua tali, omnis Prophetici & Regii muneris intuitu muneris sacerdotalis, atque illi subordinatus sit, non coordinatus.

VII. III. Enimvero neque Theologiæ Legalis originalis διατύπωσις Mosaïca, seu repetita œconomice doctrina, ob ullam sui imperfectionem flagitabat Novæ legislationis ἐπανόρθωσιν seu correctionem, per meliora præcepta: neque novæ mercedis promissionem. Præcepta enim legis moralia spiritualia sunt Rom. 7. 12. 14. commendata perfectionis elogio Prohpetico. Psalm. 19. 8. & Apostolico testimonio sufficientiæ plenissimæ in instructione ad omne opus bonum. 2. Tim. 3. 15. 16. 17. quare etiam protestatus est Christus, se non

veniſſe legis Antiquæ per Novam antiquandæ cauſa: ſed tantum ut legem, præſtita per obedientiam omni juſtitia à lege præſcripta, impleret. Matth. 5. 17. cum 3. 15.

VIII. Neque novæ mercedis promiſſiones cenſeri debent in Chriſtianâ Religione. Promiſſiones meliores, quibus novum fœdus à Chriſto auctum eſt, quas prædicat Apoſtolus Heb. 8. 6. quæ meliores ſunt propter novum, quod acceperunt robur, quod illarum τὸ ναὶ & τὸ Αμὴν in Chriſto vocat Apoſtolus 2. Cor. 1. 20. quo fit ut jam non tantum melior ſit promiſſio vitæ æternæ in fœdere Gratiæ ἀμεταμέλητος, quæ irrita fieri nequit, promiſſione vitæ æternæ, quæ erat in Fœdere operum ſuſpenſa à conditione lubrica & incerta perfectæ obedientiæ Adami primi, Hebr. 8. 9. ex Jer. 31. 32. verum etiam melior eſt jam ipſa illa ἀμεταμέλητος vitæ æternæ promiſſio, quam olim, propter vitæ æternæ demum in morte Chriſti plene quæſitum jus, & ſequeſtrationem per Chriſti in cœlos glorioſam aſcenſionem. Heb. 9. 11. 28.

IX. In Re autem ipſa non novam in Chriſtianâ Religione, ſed Antiquiſſimam eſſe promiſſam mercedem vitæ æternæ, demonſtramus contra quoſcunque ex illa Scripturæ hypotheſi, qua promiſſiones, quotquot exſtant, de danda operanti & imputanda ex debito mercede vitæ æternæ (exſtant autem Levit. 18. 5. Rom. 10. 5. Gal. 3. 12. Matth. 19. 16. Marc. 10. 17. Luc. 10. 25.) negantur facere ad conſtitutionem Theologiæ poſt lapſum traditæ divinitus; quia poſt lapſum non eſt data lex, quæ poſſet vivificare Gal. 3. 21. Quia ergo in Theologia poſt lapſum tradita verificari non poſſunt, neceſſario pertinent ad Theologiam legalem originalem, Adamo olim traditam & inſitam ſupernaturali revelatione, per Moſem autem poſtliminio œconomice repetitam ex veteri cum Adamo Fœdere operum.

X. Promiſſæ mercedi vitæ æternæ, ejuſdem in veteri ante lapſum fœdere operum, quam in Chriſtiana Religione credimus & exſpectamus, demonſtratio altera eſto, ex myſterio Arboris vitæ in medio Paradiſi, Gen. 2. 9. cui Deus ſacramentaliter tribuit efficaciam ad vitam æternam, Gen. 3. 22. Quem ſacramentalem arboris illius uſum, qui ſupponit verbum promiſſionis ſupernaturaliter factum confirmat 1. Nomenclatura illa, qua Paulus

Pa-

Paradisum vocat tertium cœlum, 2. Cor. 12. 2. 4. 2. Consolatio illa ad latronem in cruce conversum, Hodie mecum eris in Paradiso, docens Mansionem in cœlo fuisse rem significatam & adumbratam mansione in Paradiso, Luc. 23. 43. 3. Indigitamentum illud cœlestis beatitudinis in vitâ æternâ, quo utitur Christus, Apoc. 2. 7. promittens manducationem ex arbore vitæ, quæ est in medio Paradiſi Dei: quæ non tantum est figurata Poëtica allusio, sed demonstratio τῦ ναὶ καὶ τῦ Ἀμὴν in Christo primæ promissionis illius, quæ Sacramento istius Arboris Adamo primo fuit obsignata, tunc pendens à conditione perfectæ obedientiæ.

XI. Denique necessario federi antiquissimo coævam esse promissionem vitæ æternæ, non Animalis in Paradiso, sed Spiritualis in cœlo degendæ, demonstramus ex concessa à Theologis Reformatis secus sentientibus hypothesi illa: *Federalem quamcunque promissionem, quæ habet restipulationem officii, tantum esse, ut illam non possit imputare Amori illi, qui naturalis est proprietas in Deo, ex quo suapte natura inclinat ad remunerationem aliquam debiti à creatura officii; sed superabundanti liberalitati liberrimè tantam compensationem decernenti supra exspectationem.* Enimvero ecquis vel cogitando fingét Adamum sibi perse veranti ἀμεταμελήτως in debitâ obedientiâ polliceri potuisse minorem ullam remunerationem, quam ut per amorem Dei consequentem ipsi prorogaretur perenniter Paradisi domicilium & vitę in Paradiso animalis usus? Unde nam quæso metuere poterat, ut citra ullam offensam semel concessis beneficiis mulctaretur? Concludimus ergo, per opinionem de promissa tantum vita Animali in Paradiso degenda, perimi omnem Federis naturâ, quia tollitur illa liberalis liberrimæ voluntatis compensatio, qua Deus vult in Federe remunerari obedientiam supra exspectationẽ.

XII. Post trinam hanc demonstrationem veræ Antiquitatis Religionis Christianæ, contra ἐπιροδοξίαν de Novo legislatore Christo, & de connexa Nova Doctrina legis & Euangelii, quæ fundamentum fidei & Religionis adulterat: indicasse istius ἐπιροδοξίας in fundamentali Religionis Christianæ Articulo de Justificatione Gangrænam ex Remonstrantium (cum Socinianis & Anabaptistis, Pontificiorum doctrinam de Merito & dignitate operum ac justitia propria πρὸφάσει tantum oppugnantium) asser-

assertionibus; erit eandem refutasse, quantum ex præsenti instituto satis est.

XIII. Apertè & ipsis Pontificiis impudentius *Poppius* Remonstrantium primipilus *Epistola dedicatoria Homiliarum* definit Religionem Christianam *opere, quod facit homo intuitu Dei & Christi, quod Deo & Christo debet, quod tantum ex mandatis Dei & Christi, & quidem cunctis, exercet sub spe vitæ æternæ.* Et in ipso Homiliarum opere conceptis verbis affirmat: *quod merces vitæ æternæ dabitur nemini nisi iis, qui laborem obedientiæ usque ad vitæ finem consummaverint, neque* NB. *alio pacto, quam intuitu in illud ipsum plene consummatum opus,* pag. 282. quod ἀλλόκοτον dogma simplicioribus passim instillat, *obedientiam mandatorum Christi* appellans indigitamento *obedientiæ Christi,* (quod in Reformatis Ecclesiis enutriti consueverunt intelligere obedientiam, qua Christus ipse Patri obediit factus sub lege) hac æquivocatione nostræ obedientiæ opus substituens in locum Obedientiæ à Christo præstitæ, ut *unicum medium nostræ cum Deo reconciliationis.*

XIV. Idem *Poppius* huic Euangelii adulterationi substernit distinctionem *duplicis conciliationis,* ut *una* sit, *qua Deus se nobis exhibet placabilem: altera, qua illum experimur placatum, de qua utraque distincte loquutum vult Apostolum 2. Cor. 5. de illa versu 19. de hac versu 20. Illam Christum in morte sua impetrasse seu acquisivisse: alteram tunc verbo & Spiritu suo in nobis efficere, quando nos eo vocat ac ducit, ut credentes in Christum præbeamus nos conciliandos Deo. Homilia 2. in Iob. 17. pag.* 314. Quæ est ex Poppio popularis paraphrasis dictionis Scholasticæ, qua olim *contra Amesium* pugnavit, alter Remonstrantium πρόμαχος. *Grevinchovius* distinguens inter *Reconciliationem impetratam & applicatam.*

XV. Distinctionis istius mysterio negant Remonstrantes morte Christi peractam, ne quidem unius individui, plenam reconciliationem cum Deo: sed volunt viam tantum patefactam novo fœderi, in quo ipsi nostris operibus Deum, quem *placabilem* nobis fecit Christus, faciamus *placatum*: Adeo ut ne unus quidem fuerit Testamento illo, quod Christus morte sua confirmavit scriptus aut nuncupatus certus & indubitatus hæres vitæ æternæ: quod olim profitebatur *Grevinchovius* asserens, *Potuisse omnibus impetra-*

fratam esse Redemptionem, & tamen nullis eam applicari propter intervenientem omnium incredulitatem. Dissert. contra Amesium, pag. 14. Et adseruerunt cum illo reliqui *fieri posse, ut impetratio reconciliationis facta tecta maneat, suisque numeris perfecta constet, etiamsi incredeli omnes morientes, nulli forte essent, qui fructum ejus impetrationis ob incredulitatem suam propriam perciperent. Declar. sent. in Synodo Art.* 2. *pag.* 285.

XVI. Quia vident se hic premi argumento à Christi præordinatione infallibili in Regem & Caput Ecclesiæ, quæ ἀσύστατον est, cum hypothesi de nulla certo prædestinata Ecclesia, & nullo certo futuro Ecclesiæ & Capitis Christi membro, frontem perfricant, asserentes, *Non necessarium fuisse aliquos subditos & membra Christi fieri, ne Christus non esset Rex aut Caput, ac prædestinatum in Regem & Caput, Regem & Caput manere, etiamsi nec subditos nec membra habeat, qui ei obedire velint. Istos enim*, inquiunt, *ut rebelles judicabit & puniet, quod Regiæ potestatis in eos signum est. Hæc fusius disputantur in Apologia confess. cap.* 9. *fol.* 101. 103. 104.

XVII. Opponimus huic assertioni Oraculum divinum de Uncto Christo Rege super Sion montem, Ps. 2. 6. quod fallere potuit, si potuit Christus Rex esse absque fidelibus ullis subditis, sola rebellium punitione regnans: esset enim hoc, juxta Apostolum, non regnare in monte Sion, sed in monte Sinai, Gal. 4. 24. 31. Deinde repugnat assertio illa promissioni Christo factæ, de videndo semine seu liberis spiritualibus, ut fructus percipiendo ex labore animæ suæ, quo satiaretur: & prædictioni propheticæ de admirabili Ecclesiæ Christianæ in gignendis illis liberis spiritualibus fœcunditate, Esai. 53. 10. 11. & cap. 54. & Psal. 87. quæ potuerunt fallere, si potuit nullum videre laboris animæ suæ fructum, nullum semen fidele, ac nihil habere, quo se satiaret, præter rebellium & perduellium sanguinem.

XVIII. Hac μεθοδείᾳ τῆς πλάνης itum est, per Theologiam quinque articulanam de Prædestinatione & annexis capitibus, ad adulterntionem Religionis Christianæ in Articulo de Justificatione; cujus basis est Doctrina de Theologiæ Legalis & Euangelicæ differentia: in qua idem sentiunt cum Dominicanis & Jesuitis, quod loquitur Doctrinæ ipsorum collatio, cum scriptione *P à Soto*

Dominicani *contra Articulum Confessionis Wirteb. de Euangelio Christi*, & *Gregorii de Valentia* Jesuitæ *contra fundamentum Doctrinæ Lutheri & Melanchthonis*, tractatu singulari *de Vera & falsa differentia Veteris & Novæ legis*.

XIX. Cretisant ergo, ad sui cum Pontificiis syncretismi dissimulationem, per æquivocationes in vocibus Meriti & dignitatis operum, & Justitiæ propriæ, quas repudiant adoptata Pontificiorum doctrina in re ipsa, Anabaptistarum & Socini exemplo: quando in una *contra Danielem Heinsium*, edita *anno* 1620. *Necessaria Apologia*, Orthodoxam doctrinam Lutheri & Melanchthonis de Justitia Christi imputata hoc scommate substannant: quod *similiter dicamus hominem peccatorem à Deo pronunciari justum, ac si album & candidum pronuncies, Æthiopem candida veste candidatum, aut albis coloribus illitum ac pictum*: & imperito Lectori persuadere conantur, *à Luthero & Melanchthone non fuisse motam Pontificis controversiam de Justificatione ex propria obedientia & operibus Euangelicis: sed de bonorum operum opinione imaginaria, aut Meritis ejusmodi operum, quæ tantum sita sint in externis cæremoniis, quæ vel hominibus imperantur ab aliquibus Sacerdotibus, vel, quæ ipsi voveni per ἐθελοθρησκειαν, ut sunt Peregrinationes, Supplicationes votivæ, Processiones nudipedes seu discalciatæ.*

XX. Remonstrantium confessio aperta exstat: *Capite controverso de Prædestinatione cum annexis articulum Justificationis quoque concernenti: libello vernaculo de Remonstrantium ab Ecclesiis Reformatis in suas synagogas secessione*, 1619. Der Remonstranten Kerckgangh *pag.* 126. super quo Justificationis articulo cum nulla sit inter Ecclesias Euangelicas dividia, fitque idem Doctrinæ Lutheri & Melanchthonis fundamentum, quod cum Confessione Ducis Wirtebergici in Confessionum Harmonia approbarunt hactenus Ecclesiæ Reformatæ: vere dictum à *Paulo Tarnovio Rostochiensi*, quod jactato olim (à Remonstrantibus & à Vito magni nominis illorum advocato) cum Melanchthone in Capite de Prædestinatione cum annexis consensui opponimus, *Illi licet idem nobiscum* (num Lutheri & Melanchthonis discipulis) *oppugnant, tamen non idem propugnant & ὅμοια λαλοῦντες ἀνόμοια φρονοῦσι, hoc est, similia loquentes, dissimilia sentiunt. Exer. Bibl. 4. pag.* 904. 905.

XXI.

XXI. Dicendum paucis de argumento à Novo Christianorum nomine, in quo fundant Novatores Religionis Christianæ Novitatem illam, quod illius Novus legislator sit Christus: scilicet, quia Apostolorum discipuli novum Christianorum nomen asciverint, ut testarentur se merito Mosi veteri Legislatori valedicere, postquam nacti essent novum Mose majorem & meliorem Legislatorem Christum. Tale enim Religionis Mosaïcæ & Christianæ divortium insinuat Poppius in Homiliarum dedicatione.

XXII. Respondemus perperam à nova χρηματωνύμια nominis Christiani, quod Apostolorum discipulis Antiochiæ usurpari cœpit Act. 11. 26. concludi, Christianos nominis illius usu valedixisse Mosi Legislatori, extra legis Cæremonialis & Politiæ specialis Judaicæ negotium: quomodo si Mosi valedixissent, certe neminem Christianum tangeret illud: habent Mosem & Prophetas; audiant illos, Luc. 16. 29.

XXIII. Ut illo Christianorum nomine Mosi & Religioni Mosaicæ valedixerint discipuli Apostolorum, ac professi sint Religionis suæ Novitatem, non patitur sequentium annorum historiâ, quæ testatur, non passos Religionis Christianæ Antistites Apostolos, sibi aut discipulis suis imputari Apostasiam à Mose, Actor. 21. v. 22.

XXIV. Contrarium verum est: Voluerunt Apostoli & Apostolorum discipuli, contra Judæos carnales Christum oppugnantes servantesque tantum Religionis veræ Judaicæ corticem extetiorem, contestari veram Religionis Christianæ antiquitatem, quippe quæ servaret veteris veræ religionis verum nucleum, antiquissimam de Christo fidem: qui Christus inde à prima promissione facta in Paradiso fundamentum permanens est, non tantum Veteris veræ Judaicæ seu Mosaicæ religionis, sed etiam vetustissimæ ab Adamo ad Mosem Patriarcharum religionis: adeo ut Patriarchæ, ac Moses & Prophetæ, & quotquot ipsorum prædicatione edocti à mundi initio crediderunt & sperarunt adventum Christi, fuerint revera (etiam si non reperto nec usitato istius nominis indigitamento) χριστιανοὶ Græce à Christo, Hebraice loquendo à Messia, qui משיחים omnes

XXV. Subest ergo sub Christianorum nomine eadem illa litis

conteſtatio, quam dictat Apoſtolus Roman. 2. 28. 29. & Chriſtus ipſe Apocal. 3. 9. Chriſtianos, non autem in carne circumciſos Chriſti hoſtes, eſſe veros Judeos: ac conſequenter in profeſſione Chriſtianiſmi ſitum eſſe verum Judaiſmum: qui Deo placet & acceptus eſt.

Cenſura D. M. Lutheri in commentario ad Galatas c. 4. v. 4.

Monachi & Sophiſtæ non minus pernicioſe errarant & non minori contumelia Chriſtum afficiunt; quod imaginantur eum tuliſſe novam legem ultra Moſi; quam Turcæ, qui jactant Mahometem novum & meliorem Legiſlatorem poſt Chriſtum.

Cenſura Phil Mel.

Non leves ſunt hi errores, ſed Euangelio tenebras inducunt, obſcurant beneficium Chriſti, tollunt veram conſolationem conſcientiarum, & veram invocationem: Quare neceſſe eſt Eccleſiam de his tantis rebus monere. Humana cœcitas & ſecuritas non intelligit iræ Dei magnitudinem adverſus peccatum, ideo fingit eam placari humana diſciplina, & Chriſtum amplectitur, ut Doctorem illius diſciplinæ, ſeu Legiſlatorem, non ut victimam pro peccato. In Locis communibus Baſileæ per Oporinum 1555. pag. 211. & 231.

COROLLARIUM.

Quæritur Quænam fuerit Adoratio, Civilis an Religioſa, qua Magi Chriſtum adorarunt Matth. 2. v. 2. & 11.

Reſp. Affirmamus fuiſſe Adorationem Religioſam: & Confirmamus.

I. *Judicium de hac adoratione fieri debet ex vocatione Dei, qua Magos ex oriente evocavit. Vocavit autem illos Deus non tantum objecto extrinſecus novo ſidere, ex quo illi ſcilicet Aſtrologica divinatione didicerint,*

ea-

natum esse in Judea Regem: Nulla enim naturali Astrologia aut Magia ista scire fas fuit. At, quemadmodum post, ita omnino ante susceptum iter, censendum est illos fuisse χρηματισθέντας κατ' ὄναρ, vide vers. 12. Fuit vero ista Prophetica revelationis species, Num. 12. 6. Atque apparet [ex Herodis illa percunctatione post habitam cum Magis communicationem vers. 4. Ubi Christus ille nasceretur] illos ex revelatione Prophetica didicisse, Natum esse Regem illum, qui erat Christus. Iam neutiquam fuerit Θεοπρεπὲς Deum & oraculo Christum manifestasse Magis, utque excivisse illos ad Christi Regis adorationem, neque tamen illuminasse oculos mentis ipsorum, ut scire possent, quæ illi Christo deberetur adoratio.

II. Ipsa generalis miraculorum natura, quod sint signa subsequentia, quibus Deus cooperatur doctrinæ Euangelii, Marc. 16. 20. flagitat, ut dicamus Magos non civili adoratione adorasse Regem natum, cujus regnum censerent per errorem fore de hoc mundo: sed adoratione religiosa ex fide vera Euangelii, quo revelatur regnum Christi spirituale & cœleste, & Christus rex cœli, & exercitus cœlestis Dominus: quo sensu dicunt vers. 2. vidimus ejus stellam.

Selectarum Disputationum Theologicarum IV.

DE
Sacramentorum Christianæ, Religionis Institutione, antiqua, an nova.

Cum Censura in Dissertationem Anonymi de Cœna, An semper Communicandum per Symbola.

THESIS I.

DIsquisitio hęc connexa est disquisitioni de vera Antiquitate Religionis Christianæ: ut liqueat, an Sacramentorum Baptismi & Cœnæ Dominicæ institutione demonstrari possit in Fundamento Religionis facta Novatio, quæ adsertam à nobis Antiquitatem destruat; quod pernegamus, quia statuimus

ministrorum ipse intelligatur Magister, & verbi, cujus ministerium ad tempus obiit, ipse auctor: qui consequenter quamvis humiliatus & exinanitus, nullos salutavit in munere Prophetico collegas, Matth. 23. 8. 10. & sibi asserit quidquid missus è cœlo Spiritus S. Apostolos docuit, ut verbum suum, Joh. 16. 14. quin ipsam missionem & effusionem Spiritus S. Matth. 3. 11. Joh. 16. 7. & consequenter unctionem intus docentem omnia, 1. Joh. 2. 27.

IV. Hinc manifestum quare (non obstante illa successione, qua Mosi in Prophetici muneris ministerio successit Christus) Christus tamen salutandus non sit Novus legislator & fundator Religionis Christianæ, post Mosem legislatorem & fundatorem Religionis Judaicæ: quia τὸ Legislator dicit non humanum muneris Prophetici ministerium, cum de Christo sermo est; sed divinum magisterium, cum jure dominii divino, quo potest servare & perdere, Jaco. 4. 14. quod secus se habet, quando Moses dicitur Legislator: quia summum ejus axioma intra servi formam continetur, Hebr. 3. 5. Et quia divinum magisterium, & jus vitæ & necis divinum, omni Religione & Legislatione prius est & antiquius: dato non concesso Christianam Religionem novâ Legislatione definiendam esse: tamen non absque divini magisterii & dominii divini depreciatione dici posset Christus Novus Legislator, Mose posterior; sed deberes nihilominus Moses hoc testimonium Christo, quod ipsi dabat Joh. Baptista, ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ἔμπροσθέν μου γέγονεν, Ponè me venit, ante me fuit, Joh. 1. 27. 30.

V. II. Sed neque τύπος διδαχῆς seu formula doctrinæ Mosaicæ exhibens Christum antiquissimum antiquissimæ Patriacharum ab Adamo ad Mosem Religionis immobile fundamentum, idem heri & hodie &, in secula, Hebr. 13. 8. hoc patitur, ut Novus Legislator salutetur Christus in Religione Christianâ: quippe qui, ut olim prænunciatus à Mose & Prophetis, ita in plenitudine temporis exhibitus est, ut Sponsor & Mediator fœderis: non novo legis jugo Ecclesiam oneraturus; sed etiam illo legis jugo symbolico, quod situm erat in ritum decretis, atque universim omni legalis servitutis spiritu illam liberaturus: adeo ut Fidei & Spei omnium ab initio credentium hoc sit τὸ ναὶ καὶ τὸ Αμὴν in Christo: Post-

quam

quam venit plenitudo temporis, emisit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, Gal. 4 4. 5. cum 2. Cor. 1. 20. Quamvis ergo in Persona Christi θεανθρωπω non implicent contradictionem, Legislatorem esse, & factum esse sub lege: tamen, in Gratiæ quæ per Christum facta est conceptu, sunt ἀντικείμενα contrariè opposita, ut alterum secum trahat benedictionem, alterum maledictionem. Esse sub Gratia, & Esse sub Lege, Gal. 3. 10. 18. Rom. 6. 14. 15.

VI. Quandoquidem ergo fide salvifico de Gratia nobis facta per Christum ipsum salutamus factum sub lege: perimit fides salvifica de Gratia Christi, si illum salutemus factum novum Legislatorem. Neque hic officit, quod eadem fides salvifica credat Christum Legislatorem in Regio & Prophetico munere, quia salvificus salvificæ fidei actus, qui hic attenditur, non habet in Christo Legislatore aliud objectum proprium, quam Gratiam Christi, qua salvetur: quæ neque in Legislatione nec in Regii & Prophetici muneris autoritate & imperio, quo nobiscum etiam Angeli Christo obstringuntur ad fidem & obedientiam legalem, sita est, sed in sacerdotii Apotelesmate, quo Legislatori, per Sponsoris facti sub lege plenissimam obedientiam, pro nobis satisfactum est, & nobis impetrato Regii & Prophetici muneris salutaris ἐνέργεια, qua Medico opus habentibus nobis fit Medicina, Esai. 53. 5. Matth. 1. 12. doctrina salutari non foris tantum proposita ad Justificationis & Sanctificationis oblationem, sed etiam in cordibus oblatorum collationem ἀμεταμέλητον. Adeo ut in Fidei salvificæ objecto, qua tali, omnis Prophetici & Regii muneris intuitu muneris sacerdotalis, atque illi subordinatus sit, non coordinatus.

VII. III. Enimvero neque Theologiæ Legalis originalis δευτέρωσις Mosaïca, seu repetita œconomice doctrina, ob ullam sui imperfectionem flagitabat Novæ legislationis ἐπανόρθωσιν, seu correctionem, per meliora præcepta: neque novæ mercedis promissionem. Præcepta enim legis moralia spiritualia sunt Rom. 7. 12. 14. commendata perfectionis elogio Prohpetico. Psalm. 19. 8. & Apostolico testimonio sufficientiæ plenissimæ in instructione ad omne opus bonum. 2. Tim. 3. 15. 16. 17. quare etiam protestatus est Christus, se non

veniſſe legis Antiquæ per Novam antiquandæ cauſa: ſed tantum ut legem, præſtita per obedientiam omni juſtitia à lege præſcripta, impleret. Matth. 5. 17. cum 3. 15.

VIII. Neque novæ mercedis promiſſiones cenſeri debent in Chriſtianâ Religione. Promiſſiones meliores, quibus novum fœdus à Chriſto auctum eſt, quas prædicat Apoſtolus Heb. 8. 6. quæ meliores ſunt propter novum, quod acceperunt robur, quod illarum τὸ ναὶ καὶ τὸ Αμὴν in Chriſto vocat Apoſtolus 2. Cor. 1. 20. quo fit ut jam non tantum melior ſit promiſſio vitæ æternæ in fœdere Gratiæ ἀμεταμέλητος, quæ irrita fieri nequit, promiſſione vitæ æternæ, quæ erat in Fœdere operum ſuſpenſa à conditione lubrica & incerta perfectæ obedientiæ Adami primi, Hebr. 8. 9. ex Jer. 31. 32. verum etiam melior eſt jam ipſa illa ἀμεταμέλητος vitæ æternæ promiſſio, quam olim, propter vitæ æternæ demum in morte Chriſti plene quæſitum jus, & ſequeſtrationem per Chriſti in cœlos glorioſam aſcenſionem. Heb. 9. 11. 28.

IX. In Re autem ipſa non novam in Chriſtianâ Religione, ſed Antiquiſſimam eſſe promiſſam mercedem vitæ æternæ, demonſtramus contra quoſcunque ex illa Scripturæ hypotheſi, qua promiſſiones, quotquot exſtant, de danda operanti & imputanda ex debito mercede vitæ æternæ (exſtant autem Levit. 18. 5. Rom. 10. 5. Gal. 3. 12. Matth. 19. 16. Marc. 10. 17. Luc. 10. 25.) negantur facere ad conſtitutionem Theologiæ poſt lapſum traditæ divinitus; quia poſt lapſum non eſt data lex, quæ poſſet vivificare Gal. 3. 21. Quia ergo in Theologia poſt lapſum tradita verificari non poſſunt, neceſſario pertinent ad Theologiam legalem originalem, Adamo olim traditam & inſitam ſupernaturali revelatione, per Moſem autem poſtliminio œconomice repetitam ex veteri cum Adamo Fœdere operum.

X. Promiſſæ mercedi vitæ æternæ, ejuſdem in veteri ante lapſum fœdere operum, quam in Chriſtiana Religione credimus & exſpectamus, demonſtratio altera eſto, ex myſterio Arboris vitæ in medio Paradiſi, Gen. 2. 9. cui Deus ſacramentaliter tribuit efficaciam ad vitam æternam, Gen. 3. 22. Quem ſacramentalem arboris illius uſum, qui ſupponit verbum promiſſionis ſupernaturaliter factum confirmat 1. Nomenclatura illa, qua Paulus

Pa-

Paradisum vocat tertium cœlum, 2. Cor. 12. 2. 4. 2. Consolatio illa ad latronem in cruce conversum, Hodie mecum eris in Paradiso, docens Mansionem in cœlo fuisse rem significatam & adumbratam mansione in Paradiso, Luc. 23. 43. 3. Indigitamentum illud cœlestis beatitudinis in vitâ æternâ, quo utitur Christus, Apoc. 2. 7. promittens manducationem ex arbore vitæ, quæ est in medio Paradisi Dei: quæ non tantum est figurata Poëtica allusio, sed demonstratio τῦ ναὶ ἐν τῦ Αμὴν in Christo primæ promissionis illius, quæ Sacramento istius Arboris Adamo primo fuit obsignata, tunc pendens à conditione perfectæ obedientiæ.

XI. Denique necessario federi antiquissimo coævam esse promissionem vitæ æternæ, non Animalis in Paradiso, sed Spiritualis in cœlo degendæ, demonstramus ex concessa à Theologis Reformatis secus sentientibus hypothesi illa: *Federalem quamcunque promissionem, quæ habet restipulationem officii, tantum esse, ut illam non possit imputare Amori illi, qui naturalis est proprietas in Deo, ex quo suapte natura inclinat ad remunerationem aliquam debiti à creatura officii; sed superabundanti liberalitati liberrimè tantam compensationem decernenti supra exspectationem.* Enimvero ecquis vel cogitando fingat Adamum sibi perse veranti ἀμεταμελήτως in debitâ obedientiâ polliceri potuisse minorem ullam remunerationem, quam ut per amorem Dei consequentem ipsi prorogaretur perenniter Paradisi domicilium & vitæ in Paradiso animalis usus? Unde nam quæso metuere poterat, ut citra ullam offensam semel concessis beneficiis mulctaretur? Concludimus ergo, per opinionem de promissa tantum vita Animali in Paradiso degenda, perimi omnem Federis naturâ, quia tollitur illa liberalis liberrimæ voluntatis compensatio, qua Deus vult in Federe remunerari obedientiam supra exspectationē.

XII. Post trinam hanc demonstrationem veræ Antiquitatis Religionis Christianæ, contra ἐπιροδοξίαν de Novo legislatore Christo, & de connexa Nova Doctrina legis & Euangelii, quæ fundamentum fidei & Religionis adulterat: indicasse istius ἐπιροδοξίας in fundamentali Religionis Christianæ Articulo de Justificatione Gangrænam ex Remonstrantium (cum Socinianis & Anabaptistis, Pontificiorum doctrinam de Merito & dignitate operum ac justitia propria πρόφασιν tantum oppugnantium) asser-

assertionibus; erit eandem refutasse, quantum ex præsenti instituto satis est.

XIII. Apertè & ipsis Pontificiis impudentius *Poppius* Remonstrantium primipilus *Epistola dedicatoria Homiliarum* definit Religionem Christianam *opere, quod facit homo intuitu Dei & Christi, quod Deo & Christo debet, quod tantum ex mandatis Dei & Christi, & quidem cunctis, exercet sub spe vitæ æternæ.* Et in ipso Homiliarum opere conceptis verbis affirmat: *quod merces vitæ æternæ dabitur nemini nisi iis, qui laborem obedientiæ usque ad vitæ finem consummaverint, neque* NB. *alio pacto, quam intuitu in illud ipsum plene consummatum opus, pag.* 282. quod ἀλλόκοτον dogma simplicioribus passim instillat, *obedientiam mandatorum Christi* appellans indigitamento *obedientiæ Christi,* (quod in Reformatis Ecclesiis enutriti consueverunt intelligere obedientiam, qua Christus ipse Patri obediit factus sub lege) hac æquivocatione nostræ obedientiæ opus substituens in locum Obedientiæ à Christo præstitæ, ut *unicum medium nostræ cum Deo reconciliationis.*

XIV. Idem *Poppius* huic Euangelii adulterationi substernit distinctionem *duplicis conciliationis,* ut *una sit, qua Deus se nobis exhibet placabilem: altera, qua illum experimur placatum, de qua utraque distincte loquutum vult Apostolum* 2. *Cor.* 5. *de illa versu* 19. *de hac versu* 20. *Illam Christum in morte sua impetrasse seu acquisivisse: alteram tunc verbo & Spiritu suo in nobis efficere, quando nos eo vocat ac ducit, ut credentes in Christum præbeamus nos conciliandos Deo. Homilia* 2. *in Ioh.* 17. *pag.* 314. Quæ est ex Poppio popularis paraphrasis dictionis Scholasticæ, qua olim *contra Amesium* pugnavit, alter Remonstrantium πρόμαχος. *Grevinchovius* distinguens inter *Reconciliationem impetratam & applicatam.*

XV. Distinctionis istius mysterio negant Remonstrantes morte Christi peractam, ne quidem unius individui, plenam reconciliationem cum Deo: sed volunt viam tantum patefactam novo fœderi, in quo ipsi nostris operibus Deum, quem *placabilem* nobis fecit Christus, faciamus *placatum*: Adeo ut ne unus quidem fuerit Testamento illo, quod Christus morte sua confirmavit scriptus aut nuncupatus certus & indubitatus hæres vitæ æternæ: quod olim profitebatur *Grevinchovius* asserens, *Potuisse omnibus impetra-*

fratam esse Redemptionem, & tamen nullis eam applicari propter interve-nientem omnium incredulitatem. Differt. contra Amesium, pag. 14. Et adseruerunt cum illo reliqui *fieri posse, ut impetratio reconciliationis sar-ta tecta maneat, suisque numeris perfecta constet, etiamsi increduli omnes morientes, nulli forte essent, qui fructum ejus impetrationis ob incredu-litatem suam propriam perciperent. Declar. sent. in Synodo Art.* 2. *pag.* 285.

XVI. Quia vident se hic premi argumento à Christi præordinatione infallibili in Regem & Caput Ecclesiæ, quæ ἀσύστατος est, cum hypothesi de nulla certo prædestinata Ecclesia, & nullo certo futuro Ecclesiæ & Capitis Christi membro, frontem perfricant, asserentes, *Non necessarium fuisse aliquos subditos & membra Christi fieri, ne Christus non esset Rex aut Caput, ac prædestinatum in Regem & Caput, Regem & Caput manere, etiamsi nec subditos nec membra habeat, qui ei obedire velint. Istos enim,* inquiunt, *ut rebelles judicabit & puniet, quod Regiæ potestatis in eos signum est. Hæc fusius disputantur in Apologia confess. cap.* 9. *fol.* 101. 103. 104.

XVII. Opponimus huic assertioni Oraculum divinum de Uncto Christo Rege super Sion montem, Ps. 2. 6. quod fallere potuit, si potuit Christus Rex esse absque fidelibus ullis subditis, sola rebellium punitione regnans: esset enim hoc, juxta Apostolum, non regnare in monte Sion, sed in monte Sinai, Gal. 4. 24. 31. Deinde repugnat assertio illa promissioni Christo factæ, de videndo semine seu liberis spiritualibus, ut fructus percipiendo ex labore animæ suæ, quo satiaretur: & prædictioni propheticæ de admirabili Ecclesiæ Christianæ in gignendis illis liberis spiritualibus fœcunditate, Esai. 53. 10. 11. & cap. 54. & Psal. 87. quæ potuerunt fallere, si potuit nullum videre laboris animæ suæ fructum, nullum semen fidele, ac nihil habere, quo se satiaret, præter rebellium & perduellium sanguinem.

XVIII. Hac μεθοδείᾳ τῆς παλαίης itum est, per Theologiam quinque articulanam de Prædestinatione & annexis capitibus, ad adulterntionem Religionis Christianæ in Articulo de Justificatione, cujus basis est Doctrina de Theologiæ Legalis & Euangelicæ differentia: in qua idem sentiunt cum Dominicanis & Jesuitis, quod loquitur Doctrinæ ipsorum collatio, cum scriptione *P à Soto*

Dominicani *contra Articulum Confessionis Wirteb. de Euangelio Christi*, & *Gregorii de Valentia* Jesuitæ *contra fundamentum Doctrinæ Lutheri & Melanchthonis*, tractatu singulari *de Vera & falsa differentia Veteris & Novæ legis*.

XIX. Cretisant ergo, ad sui cum Pontificiis syncretismi dissimulationem, per æquivocationes in vocibus Meriti & dignitatis operum, & Justitiæ propriæ, quas repudiant adoptata Pontificiorum doctrina in re ipsa, Anabaptistarum & Socini exemplo: quando in una *contra Danielem Heinsium*, edita *anno* 1620. *Necessaria Apologia*, Orthodoxam doctrinam Lutheri & Melanchthonis de Justitia Christi imputata hoc scommate substannant: quod *similiter dicamus hominem peccatorem à Deo pronunciari justum, ac si album & candidum pronuncies, Æthiopem candida veste candidatum, aut albis coloribus illitum ac pictum*: & imperito Lectori persuadere conantur, *à Luthero & Melanchthone non fuisse motam Pontificis controversiam de Justificatione ex propria obedientia & operibus Euangelicis: sed de bonorum operum opinione imaginaria, aut Meritis ejusmodi operum, quæ tantum sita sint in externis cæremoniis, quæ vel hominibus imperantur ab aliquibus Sacerdotibus, vel, quæ ipsi vovent per ἐθελοθρησκειαν, ut sunt Peregrinationes, Supplicationes votivæ, Processiones nudipedes seu discalciata.*

XX. Remonstrantium confessio aperta exstat: *Capite controverso de Prædestinatione cum annexis articulum Justificationis quoque concernere: libello vernaculo de Remonstrantium ab Ecclesiis Reformatis in suas synagogas secessione*, 1619. **der Remonstranten Kerckgangh** *pag.* 126. super quo Justificationis articulo cum nulla sit inter Ecclesias Euangelicas dividia, sitque idem Doctrinæ Lutheri & Melanchthonis fundamentum, quod cum Confessione Ducis Wirtebergici in Confessionum Harmonia approbarunt hactenus Ecclesiæ Reformatæ: vere dictum à *Paulo Tarnovio Rostochiensi*, quod jactato olim (à Remonstrantibus & à Vito magni nominis illorum advocato) cum Melanchthone in Capite de Prædestinatione cum annexis consensui opponimus, *Illi licet idem nobiscum* (num Lutheri & Melanchthonis discipulis) *oppugnant, tamen non idem propugnant & ὅμοια λαλοῦντες ἀνόμοια φρονοῦσι, hoc est, similia loquentes, dissimilia sentiunt. Exer. Bibl. 4. pag.* 904. 905.

XXI.

XXI. Dicendum paucis de argumento à Novo Christianorum nomine, in quo fundant Novatores Religionis Christianæ Novitatem illam, quod illius Novus legislator sit Christus: scilicet, quia Apostolorum discipuli novum Christianorum nomen asciverint, ut testarentur se merito Mosi veteri Legislatori valedicere, postquam nacti essent novum Mose majorem & meliorem Legislatorem Christum. Tale enim Religionis Mosaïcæ & Christianæ divortium insinuat Poppius in Homiliarum dedicatione.

XXII. Respondemus perperam à nova ὀνοματοπλία nominis Christiani, quod Apostolorum discipulis Antiochiæ usurpari cœpit Act. 11. 26. concludi, Christianos nominis illius usu valedixisse Mosi Legislatori, extra legis Cæremonialis & Politiæ specialis Judaicæ negotium: quomodo si Mosi valedixissent, certe neminem Christianum tangeret illud: habent Mosem & Prophetas; audiant illos, Luc. 16. 29.

XXIII. Ut illo Christianorum nomine Mosi & Religioni Mosaicæ valedixerint discipuli Apostolorum, ac professi sint Religionis suæ Novitatem, non patitur sequentium annorum historiâ, quæ testatur, non passos Religionis Christianæ Antistites Apostolos, sibi aut discipulis suis imputari Apostasiam à Mose, Actor. 21. v. 22.

XXIV. Contrarium verum est: Voluerunt Apostoli & Apostolorum discipuli, contra Judæos carnales Christum oppugnantes servantesque tantum Religionis veræ Judaicæ corticem exteriorem, contestari veram Religionis Christianæ antiquitatem, quippe quæ servaret veteris veræ religionis verum nucleum, antiquissimam de Christo fidem: qui Christus inde à prima promissione facta in Paradiso fundamentum permanens est, non tantum Veteris veræ Judaicæ seu Mosaicæ religionis, sed etiam vetustissimæ ab Adamo ad Mosem Patriarcharum religionis: adeo ut Patriarchæ, ac Moses & Prophetæ, & quotquot ipsorum prædicatione edocti à mundi initio crediderunt & sperarunt adventum Christi, fuerint re vera (etiam si non reperto nec usitato istius nominis indigitamento) χριστιανὸι Græce à Christo, Hebraice loquendo à Messia, qui משיחים omnes

XXV. Subest ergo sub Christianorum nomine eadem illa litis

natum esse in Judea Regem: Nulla enim naturali Astrologia aut Magia ista scire fas fuit. At, quemadmodum post, ita omnino ante susceptum iter, censendum est illos fuisse χρηματισθέντας κατ' ὄναρ, *vide vers. 12. Fuit vero ista Prophetica revelationis species, Num. 12. 6. Atque apparet [ex Herodis illa percunctatione post habitam cum Magis communicationem vers. 4. Ubi Christus ille nasceretur] illos ex revelatione Prophetica didicisse, Natum esse Regem illum, qui erat Christus. Iam neutiquam fuerit* Θεοπρεπὲς *Deum & oraculo Christum manifestasse Magis, utque exciviße illos ad Christi Regis adorationem, neque tamen illuminasse oculos mentis ipsorum, ut scire possent, quæ illi Christo deberetur adoratio.*

II. *Ipsa generalis miraculorum natura, quod sint signa subsequentia, quibus Deus cooperatur doctrinæ Euangelii, Marc. 16. 20. flagitat, ut dicamus Magos non civili adoratione adorasse Regem natum, cujus regnum censerent per errorem fore de hoc mundo: sed adoratione religiosa ex fide vera Euangelii, quo revelatur regnum Christi spirituale & cœleste, & Christus rex cœli, & exercitus cœlestis Dominus: quo sensu dicunt vers. 2. vidimus ejus stellam.*

Selectarum Disputationum Theologicarum IV.

DE
Sacramentorum Christianæ, Religionis
Institutione, antiqua, an nova.

Cum Censura in Dissertationem Anonymi de Cœna, An semper Communicandum per Symbola.

THESIS I.

DIsquisitio hęc connexa est disquisitioni de vera Antiquitate Religionis Christianæ: ut liqueat, an Sacramentorum Baptismi & Cœnæ Dominicæ institutione demonstrari possit in Fundamento Religionis facta Novatio, quæ adsertam à nobis Antiquitatem destruat; quod pernegamus, quia statuimus

Novationem tantum factam invisibilibus signis Sacramentalibus, manente eadem re signata, quæ olim antiquis, nunc novis Sacramentis significatur, & credentibus obsignatur: sola interveniente differentia Euangelii, olim exhibendi, nunc exhibiti Christi.

II. Contra Novatores, qui *Rem* signatam *novant in Religione* Christiana, *ut nemo somniet Nova dogmata*, putavit vir doctissimus *Brougthonus*, sed sæpe hyperbolibus, *commentario in Danielem, pag.* 46. ne signa quidem visibilia in Baptismo & Cœna Dominica Novè à Christo mandata, *De Baptismo*, inquit, *celebrato Iudæis inde à temporibus Davidis & Salomonis ex collectione ad Legem, non aperto mandato* (*Exo.* 19. *Maimon. tom.* 2. *fol.* 136.) *sigillum instituit intrandi in requietem Messiæ & abjiciendi reliquas ceremonias: Iudæorum infirmitatem, ex inventis super lumine naturæ fundatis, ad magnos usus reducit. Ex pane & uvæ sanguine partibus Cœnæ Agni, haudquaquam ex mandato, sed ex communi prudentia, quam Deus animis insculpsit, sancit sigillum sui ipsius veri corporis & sanguinis, &c.*

III. Laudat Broughtonum Anonymus Novator, qui nuper edita *dissertatione de Cœna*, Problemate illo, *An semper Communicandum per Symbola*, hoc satagit præter & contra Brougthoni mentem, ut neget in ritibus illis sanctionem & institutionem sigilli absolute divinam esse, aut *habere*, ut ille loqui amat, *definitum imperium*, hoc est, præceptum semper obligans ad communicandum per Symbola. Quia scilicet *verissimum est, quod vir doctissimus Hugo Brougthonus ad Danielem notavit, Nullos à Christo institutos ritus novos.*

IV. De Novorum *Rituum institutione* haud repugnamus, nullos Christum nove impetasse, qui inauditi vel inusitati essent Judæis, adeoque offendiculo esse possent: atque hic communi prudentia quam mandato Christum uti maluisse in utriusque Sacramenti institutione: Sed absque novorum externorum rituum institutione, nolle agnoscere. Novam in ritibus antiquis, novi *Sacramenti & sigilli divinam institutionem*, & cum institutione conjunctum mandatum & præceptum de Sacramenti & sigilli usu: vel indoctum vel impium est.

V. Operæ precium erit sigillatim de utroque Sacramento disquirere ad Dissertationem: ex hujus Disputationis scopo: *Baptis-*

mus,

mus, inquit, in more erat Hebræorum, quoties aliquis ab Idololatria, ad Iudaismum accederet: Meminit sæpe Maimonides, & in hunc diem mos ille apud Iudæos manet. Iohannes Baptista, ut ostenderet Iudæos, quamquum unius Dei cultum profitentes, moribus ea ætate non minus fuisse corruptis & à Lege Dei dissentaneis, quam ii erant, qui falsos Deos colebant ac proinde expurgationis egentes, àpari ad par transfato vetere baptizandi ritu, id ipsum significavit. Esto hoc verissimum: at falsissima est notatio marginalis ista: *Baptismus Iohannis non primo neque absolute divinæ institutionis est; sed ex hypothesi, & conditione moris apud Iudæos recepti, quatenus iste ad id quod prædicabat Iohannes rite transferri ac usurpari se sinebat.*

VI. Pergit Dissertator: *Servavit*, inquit, *morem in utroque genere hominum Christus, addita professione sui quoque nominis & promisso Spiritus S.* Servavit ergo Christus. si dissertatorem audimus, morem Judaicum à Johanne servatum, & non dedit illum Apostolis in mandatis, absolute definitio imperio, sed ex hypothesi & conditione moris apud Judæos recepti: ut ubi Judæorum & moris Judaici non esset habenda ratio, non esset imperatus Baptismus aquæ: Quæ est ipsissima *Socini* & Socinianorum sententia, qui verbis Pauli 1. Cor. 1. 17. male arreptis, quæ non absolute, sed comparate accipienda sunt, negant Christi mandato prædicationi Euangelii ad finem mundi duraturæ, Baptismi administrationem annexam esse. *Socinus de Baptismo.*

VII. Quod asserit Dissertator *Baptismum Iohannis non primo neque absolute divinæ institutionis fuisse*, contradicit Johanni, dicenti Deum misisse ipsum ad Baptisandum aqua, Joh. 1. 33. & Christo asserenti Baptismum Johannis è Cœlo esse, Matth. 21. 25. Et refellitur ex hypothesi de imperata Johanni prædicatione, verbis Marci istis, Baptizabat Johannes in deserto, & prædicabat Baptismum, Marc. 1. 4.

VIII. Quod dicit Christum *addidisse* moris Judaïci Baptismo servato *Professionem sui quoque nominis & promissum Spiritus S.* verum est, non ex mente Dissertatoris, de illa tantum Baptismi dedicatione nova, quæ facta est die ascensionis Christi, sed de prima institutione Baptismi Johannis & discipulorum Christi: Promittebat enim ab initio: Johannes vere resipiscentibus à se Baptizatis aqua,

in

veniſſe legis Antiquæ per Novam antiquandæ cauſa: ſed tantum ut legem, præſtita per obedientiam omni juſtitia à lege præſcripta, impleret. Matth. 5. 17. cum 3. 15.

VIII. Neque novæ mercedis promiſſiones cenſeri debent in Chriſtianâ Religione. Promiſſiones meliores, quibus novum fœdus à Chriſto auctum eſt, quas prædicat Apoſtolus Heb. 8. 6. quæ meliores ſunt propter novum, quod acceperunt robur, quod illarum τὸ ναὶ & τὸ Αμὴν in Chriſto vocat Apoſtolus 2. Cor. 1. 20. quo fit ut jam non tantum melior ſit promiſſio vitæ æternæ in fœdere Gratiæ ἀμεταμέλητος, quæ irrita fieri nequit, promiſſione vitæ æternæ, quæ erat in Fœdere operum ſuſpenſa à conditione lubrica & incerta perfectæ obedientiæ Adami primi, Hebr. 8. 9. ex Jer. 31. 32. verum etiam melior eſt jam ipſa illa ἀμεταμέλητος vitæ æternæ promiſſio, quam olim, propter vitæ æternæ demum in morte Chriſti plene quæſitum jus, & ſequeſtrationem per Chriſti in cœlos glorioſam aſcenſionem. Heb. 9. 11. 28.

IX. In Re autem ipſa non novam in Chriſtianâ Religione, ſed Antiquiſſimam eſſe promiſſam mercedem vitæ æternæ, demonſtramus contra quoſcunque ex illa Scripturæ hypotheſi, qua promiſſiones, quotquot exſtant, de danda operanti & imputanda ex debito mercede vitæ æternæ (exſtant autem Levit. 18. 5. Rom. 10. 5. Gal. 3. 12. Matth. 19. 16. Marc. 10. 17. Luc. 10. 25.) negantur facere ad conſtitutionem Theologiæ poſt lapſum traditæ divinitus; quia poſt lapſum non eſt data lex, quæ poſſet vivificare Gal. 3. 21. Quia ergo in Theologia poſt lapſum tradita verificari non poſſunt, neceſſario pertinent ad Theologiam legalem originalem, Adamo olim traditam & inſitam ſupernaturali revelatione, per Moſem autem poſtliminio œconomice repetitam ex veteri cum Adâmo Fœdere operum.

X. Promiſſæ mercedi vitæ æternæ, ejuſdem in veteri ante lapſum fœdere operum, quam in Chriſtiana Religione credimus & exſpectamus, demonſtratio altera eſto, ex myſterio Arboris vitæ in medio Paradiſi, Gen. 2. 9. cui Deus ſacramentaliter tribuit efficaciam ad vitam æternam, Gen. 3. 22. Quem ſacramentalem arboris illius uſum, qui ſupponit verbum promiſſionis ſupernaturaliter factum confirmat 1. Nomenclatura illa, qua Paulus

Pa-

Paradisum vocat tertium cœlum, 2. Cor. 12. 2. 4. 2. Consolatio illa ad latronem in cruce conversum, Hodie mecum eris in Paradiso, docens Mansionem in cœlo fuisse rem significatam & adumbratam mansione in Paradiso, Luc. 23. 43. 3. Indigitamentum illud cœlestis beatitudinis in vitâ æternâ, quo utitur Christus, Apoc. 2. 7. promittens manducationem ex arbore vitæ, quæ est in medio Paradiſi Dei: quæ non tantum est figurata Poëtica allusio, sed demonstratio τῦ ναὶ καὶ τῦ Αμὴν in Christo primæ promissionis illius, quæ Sacramento istius Arboris Adamo primo fuit obsignata, tunc pendens à conditione perfectæ obedientiæ.

XI. Denique necessario federi antiquissimo coævam esse promissionem vitæ æternæ, non Animalis in Paradiso, sed Spiritualis in cœlo degendæ, demonstramus ex concessa à Theologis Reformatis secus sentientibus hypothesi illa: *Federalem quamcunque promissionem, quæ habet restipulationem officii, tantum esse, ut illam non possit imputare Amori illi, qui naturalis est proprietas in Deo, ex quo suapte natura inclinat ad remunerationem aliquam debiti à creatura officii; sed superabundanti liberalitati liberrimè tantam compensationem decernenti supra exspectationem.* Enimvero ecquis vel cogitando fingèt Adamum sibi perse veranti ἀμεταμελήτως in debitâ obedientiâ polliceri potuisse minorem ullam remunerationem, quam ut per amorem Dei consequentem ipsi prorogaretur perenniter Paradisi domicilium & vitę in Paradiso animalis usus? Unde nam quæso metuere poterat, ut citra ullam offensam semel concessis beneficiis mulctaretur? Concludimus ergo, per opinionem de promissa tantum vita Animali in Paradiso degenda, perimi omnem Federis naturâ, quia tollitur illa liberalis liberrimæ voluntatis compensatio, qua Deus vult in Fedele remunerari obedientiam supra exspectationē.

XII. Post trinam hanc demonstrationem veræ Antiquitatis Religionis Christianæ, contra ἑτεροδοξίαν de Novo legislatore Christo, & de connexa Nova Doctrina legis & Euangelii, quæ fundamentum fidei & Religionis adulterat: indicasse istius ἑτεροδοξίας in fundamentali Religionis Christianæ Articulo de Justificatione Gangrænam ex Remonstrantium (cum Socinianis & Anabaptistis, Pontificiorum doctrinam de Merito & dignitate operum ac justitia propria προφάσει tantum oppugnantium) asser-

assertionibus; erit eandem refutasse, quantum ex præsenti instituto satis est.

XIII. Apertè & ipsis Pontificiis impudentius *Poppius* Remonstrantium primipilus *Epistola dedicatoria Homiliarum* definit Religionem Christianam *opere, quod facit homo intuitu Dei & Christi, quod Deo & Christo debet, quod tantum ex mandatis Dei & Christi, & quidem cunctis, exercet sub spe vitæ æternæ.* Et in ipso Homiliarum opere conceptis verbis affirmat: *quod merces vitæ æternæ dabitur nemini nisi iis, qui laborem obedientiæ usque ad vitæ finem consummaverint, neque* NB. *alio pacto, quam intuitu in illud ipsum plene consummatum opus,* pag. 282. quod ἀλλόκοτον dogma simplicioribus passim instillat, *obedientiam mandatorum Christi* appellans indigitamento *obedientiæ Christi,* (quod in Reformatis Ecclesiis enutriti consueverunt intelligere obedientiam, qua Christus ipse Patri obediit factus sub lege) hac æquivocatione nostræ obedientiæ opus substituens in locum Obedientiæ à Christo præstitæ, ut *unicum medium nostræ cum Deo reconciliationis.*

XIV. Idem *Poppius* huic Euangelii adulterationi substernit distinctionem *duplicis conciliationis,* ut *una sit, qua Deus se nobis exhibet placabilem: altera, qua illum experimur placatum, de qua utraque distincte loquutum vult Apostolum* 2. Cor. 5. *de illa versu* 19. *de hac versu* 20. *Illam Christum in morte sua impetrasse seu acquisivisse: alteram tunc verbo & Spiritu suo in nobis efficere, quando nos eo vocat ac ducit, ut credentes in Christum præbeamus nos conciliandos Deo. Homilia* 2. *in Ioh.* 17. *pag.* 314. Quæ est ex Poppio popularis paraphrasis dictionis Scholasticæ, qua olim *contra Amesium* pugnavit, alter Remonstrantium πρόμαχος. *Grevinchovius* distinguens inter *Reconciliationem impetratam & applicatam.*

XV. Distinctionis istius mysterio negant Remonstrantes morte Christi peractam, ne quidem unius individui, plenam reconciliationem cum Deo: sed volunt viam tantum patefactam novo fœderi, in quo ipsi nostris operibus Deum, quem *placabilem* nobis fecit Christus, faciamus *placatum*: Adeo ut ne unus quidem fuerit Testamento illo, quod Christus morte sua confirmavit scriptus aut nuncupatus certus & indubitatus hæres vitæ æternæ: quod olim profitebatur *Grevinchovius* asserens, *Potuisse omnibus impetra-*

tratam esse Redemptionem, & tamen nullis eam applicari propter interuenientem omnium incredulitatem. Dissert. contra Amesium, pag. 14. Et adseruerunt cum illo reliqui *fieri posse, ut impetratio reconciliationis facta tecta maneat, suisque numeris perfecta constet, etiamsi increduli omnes morientes, nulli forte essent, qui fructum ejus impetrationis ob incredulitatem suam propriam perciperent. Declar. sent. in Synodo Art.* 2. *pag.* 285.

XVI. Quia vident se hic premi argumento à Christi præordinatione infallibili in Regem & Caput Ecclesiæ, quæ ἀνύπαρκτος est, cum hypothesi de nulla certo prædestinata Ecclesia, & nullo certo futuro Ecclesiæ & Capitis Christi membro, frontem perfricant, asserentes, *Non necessarium fuisse aliquos subditos & membra Christi fieri, ne Christus non esset Rex aut Caput, ac prædestinatum in Regem & Caput, Regem & Caput manere, etiamsi nec subditos nec membra habeat, qui ei obedire velint. Istos enim,* inquiunt, *ut rebelles judicabit & puniet, quod Regiæ potestatis in eos signum est. Hæc fusius disputantur in Apologia confess. cap.* 9. *fol.* 101. 103. 104.

XVII. Opponimus huic assertioni Oraculum divinum de Uncto Christo Rege super Sion montem, Ps. 2. 6. quod fallere potuit, si potuit Christus Rex esse absque fidelibus ullis subditis, sola rebellium punitione regnans: esset enim hoc, juxta Apostolum, non regnare in monte Sion, sed in monte Sinai, Gal. 4. 24. 31. Deinde repugnat assertio illa promissioni Christo factæ, de videndo semine seu liberis spiritualibus, ut fructus percipiendo ex labore animæ suæ, quo satiaretur: & prædictioni propheticæ de admirabili Ecclesiæ Christianæ in gignendis illis liberis spiritualibus fœcunditate, Esai. 53. 10. 11. & cap. 54. & Psal. 87. quæ potuerunt fallere, si potuit nullum videre laboris animæ suæ fructum, nullum semen fidele, ac nihil habere, quo se satiaret, præter rebellium & perduellium sanguinem.

XVIII. Hac μεθοδεία τῆς παλαίας itum est, per Theologiam quinque articulanam de Prædestinatione & annexis capitibus, ad adulterntionem Religionis Christianæ in Articulo de Justificatione, cujus basis est Doctrina de Theologiæ Legalis & Euangelicæ differentia: in qua idem sentiunt cum Dominicanis & Jesuitis, quod loquitur Doctrinæ ipsorum collatio, cum scriptione *P à Soto*

Dominicani *contra Articulum Confessionis Wirteb. de Euangelio Christi*, & *Gregorii de Valentia* Jesuitæ *contra fundamentum Doctrinæ Lutheri & Melanchthonis*, tractatu singulari *de Vera & falsa differentia Veteris & Novæ legis*.

XIX. Cretisant ergo, ad sui cum Pontificiis syncretismi dissimulationem, per æquivocationes in vocibus Meriti & dignitatis operum, & Justitiæ propriæ, quas repudiant adoptata Pontificiorum doctrina in re ipsa, Anabaptistarum & Socini exemplo: quando in una *contra Danielem Heinsium*, edita *anno* 1620. *Necessaria Apologia*, Orthodoxam doctrinam Lutheri & Melanchthonis de Justitia Christi imputata hoc scommate substannant: quod *similiter dicamus hominem peccatorem à Deo pronunciari justum, ac si album & candidum pronuncies, Æthiopem candida veste candidatum, aut albis coloribus illitum ac pictum*: & imperito Lectori persuadere conantur, *à Luthero & Melanchthone non fuisse motam Pontificis controversiam de Justificatione ex propria obedientia & operibus Euangelicis: sed de bonorum operum opinione imaginaria, aut Meritis ejusmodi operum, quæ tantum sita sint in externis cæremoniis, quæ vel hominibus imperantur ab aliquibus Sacerdotibus, vel, quæ ipsi vovent per ἐθελοθησκειαν, ut sunt Peregrinationes, Supplicationes votivæ, Processiones nudipedes seu discalciata.*

XX. Remonstrantium confessio aperta exstat: *Capite controverso de Prædestinatione cum annexis articulum Justificationis quoque concerneri: libello vernaculo de Remonstrantium ab Ecclesiis Reformatis in suas synagogas secessione*, 1619. der Remonstranten Herkgang) *pag.* 126. super quo Justificationis articulo cum nulla sit inter Ecclesias Euangelicas dividia, sitque idem Doctrinæ Lutheri & Melanchthonis fundamentum, quod cum Confessione Ducis Wirtebergici in Confessionum Harmonia approbarunt hactenus Ecclesiæ Reformatæ: vere dictum à *Paulo Tarnovio Rostochiensi*, quod jactato olim (à Remonstrantibus & à Vito magni nominis illorum advocato) cum Melanchthone in Capite de Prædestinatione cum annexis consensui opponimus, *Illi licet idem nobiscum* (num Lutheri & Melanchthonis discipulis) *oppugnant, tamen non idem propugnant & ὅμοια λαλοῦντες ἀνόμοια φρονοῦσι, hoc est, similia loquentes, dissimilia sentiunt. Exer. Bibl. 4. pag. 904. 905.*

XXI.

XXI. Dicendum paucis de argumento à Novo Christianorum nomine, in quo fundant Novatores Religionis Christianæ Novitatem illam, quod illius Novus legislator sit Christus: scilicet, quia Apostolorum discipuli novum Christianorum nomen asciverint, ut testarentur se merito Mosi veteri Legislatori valedicere, postquam nacti essent novum Mose majorem & meliorem Legislatorem Christum. Tale enim Religionis Mosaïcæ & Christianæ divortium insinuat Poppius in Homiliarum dedicatione.

XXII. Respondemus perperam à nova ὀνοματοπλάσια nominis Christiani, quod Apostolorum discipulis Antiochiæ usurpari cœpit Act. 11. 26. concludi, Christianos nominis illius usu valedixisse Mosi Legislatori, extra legis Cæremonialis & Politiæ specialis Judaicæ negotium: quomodo si Mosi valedixissent, certe neminem Christianum tangeret illud: habent Mosem & Prophetas; audiant illos, Luc. 16. 29.

XXIII. Ut illo Christianorum nomine Mosi & Religioni Mosaicæ valedixerint discipuli Apostolorum, ac professi sint Religionis suæ Novitatem, non patitur sequentium annorum historiâ, quæ testatur, non passos Religionis Christianæ Antistites Apostolos, sibi aut discipulis suis imputari Apostasiam à Mose, Actor. 21. v. 22.

XXIV. Contrarium verum est: Voluerunt Apostoli & Apostolorum discipuli, contra Judæos carnales Christum oppugnantes servantesque tantum Religionis veræ Judaicæ corticem extetiorem, contestari veram Religionis Christianæ antiquitatem, quippe quæ servaret veteris veræ religionis verum nucleum, antiquissimam de Christo fidem: qui Christus inde à prima promissione facta in Paradiso fundamentum permanens est, non tantum Veteris veræ Judaicæ seu Mosaicæ religionis, sed etiam vetustissimæ ab Adamo ad Mosem Patriarcharum religionis: adeo ut Patriarchæ, ac Moses & Prophetæ, & quotquot ipsorum prædicatione edocti à mundi initio crediderunt & sperarunt adventum Christi, fuerint revera (etiam si non reperto nec usitato istius nominis indigitamento) χριστιανοὶ Græce à Christo, Hebraice loquendo à Messia, qui משיח omnes משיחים

XXV. Subest ergo sub Christianorum nomine eadem illa litis

natum esse in Iudea Regem: Nulla enim naturali Astrologia aut Magia ista scire fas fuit. At, quemadmodum post, ita omnino ante susceptum iter, censendum est illos fuisse χρηματισθέντας κατ' ὄναρ, vide vers. 12. Fuit vero ista Prophetica revelationis species, Num. 12. 6. Atque apparet [ex Herodis illa percunctatione post habitam cum Magis communicationem vers. 4. Vbi Christus ille nasceretur] illos ex revelatione Prophetica didicisse, Natum esse Regem illum, qui erat Christus. Iam neutiquam fuerit Θεοπρεπὲς Deum & oraculo Christum manifestasse Magis, utque excivisse illos ad Christi Regis adorationem, neque tamen illuminasse oculos mentis ipsorum, ut scire possent, quæ illi Christo deberetur adoratio.

II. Ipsa generalis miraculorum natura, quod sint signa subsequentia, quibus Deus cooperatur doctrinæ Euangelii, Marc. 16. 20. flagitat, ut dicamus Magos non civili adoratione adorasse Regem natum, cujus regnum censerent per errorem fore de hoc mundo: sed adoratione religiosa ex fide vera Euangelii. quo revelatur regnum Christi spirituale & cœleste, & Christus rex cœli, & exercitus cœlestis Dominus: quo sensu dicunt vers. 2. vidimus ejus stellam.

Selectarum Disputationum Theologicarum IV.

DE

Sacramentorum Christianæ, Religionis Institutione, antiqua, an nova.

Cum Censura in Dissertationem Anonymi de Cœna, An semper Communicandum per Symbola.

THESIS I.

DIsquisitio hęc connexa est disquisitioni de vera Antiquitate Religionis Christianæ: ut liqueat, an Sacramentorum Baptismi & Cœnæ Dominicæ institutione demonstrari possit in Fundamento Religionis facta Novatio, quæ adsertam à nobis Antiquitatem destruat; quod pernegamus, quia statuimus

mus, inquit, in more erat Hebræorum, quoties aliquis ab Idololatria, ad Iudaismum accederet: Meminit sæpe Maimonides, & in hunc diem mos ille apud Iudæos manet. Iohannes Baptista, ut ostenderet Iudæos, quamquum unius Dei cultum profitentes, moribus ea ætate non minus fuisse corruptis & à Lege Dei dissentaneis, quam ii erant, qui falsos Deos colebant ac proinde expurgationis egentes, à pari ad par transfato vetere baptizandi ritu, id ipsum significavit. Esto hoc verissimum: at falsissima est notatio marginalis ista: *Baptismus Iohannis non primo neque absolute divinæ institutionis est; sed ex hypothesi, & conditione moris apud Iudæos recepti, quatenus iste ad id quod prædicabat Iohannes rite transferri ac usurpari se sinebat.*

VI. Pergit Dissertator: *Servavit*, inquit, *morem in utroque genere hominum Christus, addita professione sui quoque nominis & promisso Spiritus S.* Servavit ergo Christus. si dissertatorem audimus, morem Judaicum à Johanne servatum, & non dedit illum Apostolis in mandatis, absolute definitio imperio, sed ex hypothesi & conditione moris apud Judæos recepti: ut ubi Judæorum & moris Judaici non esset habenda ratio, non esset imperatus Baptismus aquæ: Quæ est ipsissima *Socini* & Socinianorum sententia, qui verbis Pauli 1. Cor. 1. 17. male arreptis, quæ non absolute, sed comparate accipienda sunt, negant Christi mandato prædicationi Euangelii ad finem mundi duraturæ, Baptismi administrationem annexam esse. *Socinus de Baptismo.*

VII. Quod asserit Dissertator *Baptismum Iohannis non primo neque absolute divinæ institutionis fuisse*, contradicit Johanni, dicenti Deum misisse ipsum ad Baptisandum aqua, Joh. 1. 33. & Christo asserenti Baptismum Johannis è Cœlo esse, Matth. 21. 25. Et refellitur ex hypothesi de imperata Johanni prædicatione, verbis Marci istis, Baptizabat Johannes in deserto, & prædicabat Baptismum, Marc. 1. 4.

VIII. Quod dicit Christum *addidisse* moris Judaici Baptismo servato *Professionem sui quoque nominis & promissum Spiritus S.* verum est, non ex mente Dissertatoris, de illa tantum Baptismi dedicatione nova, quæ facta est die ascensionis Christi, sed de prima institutione Baptismi Johannis & discipulorum Christi: Promittebat enim ab initio: Johannes vere resipiscentibus à se Baptizatis aqua,

in

in nomine Christi, Baptismum Spiritus S. Matth. 3. 11. Marc. 1. 8.

IX. Vera differentia inter divinam primam Baptismi institutionem, & illam Baptismi dedicationem Christi jussione factam die ascensionis, hæc est: quod prima institutione & mandato divino Baptismus non antiquarit Vetus Circumcisionis sacramentum, nec præputiatis fuerit administrandus, quippe qui vocandi non erant ad Ecclesiam, neque Ecclesiæ inserendi novo sacramento, tantisper, donec ad antiquationem circumcisionis intercessisset mors Christi. Altera autem Baptismi dedicatione illa, quæ facta est Christi mandato die Ascensionis, dedicatum est Baptismi Sacramentum illi Initiationi in Ecclesiam, cui serviebat Circumcisionis Sacramentum: ut cum Judæis circumcisis communi initiationis Symbolo, cooptarentur etiam præputiati, nomen Christi professi.

X. Suo se indicio prodit Dissertator, quod, prætextu Antiquitatis, propter quam nova Baptismi Institutio nulla sit, velit Baptismum cum Judaicis ritibus antiquatum, hactenus saltem ut non sit magis necessariæ observationis, quam antiquus *ritus Impositionis manuum*, recensens varium ritus illius usum, in *orando pro ægrotis, confirmando baptizatos, ordinando pastores, absolvendo criminum reos, matrimonio benedicendo:* quorum nullus habet sigilli sanctionem aut institutionem, quapropter libere in sola Pastorum ordinatione illum retinent Ecclesiæ reformatæ, *ad significandam* non ad obsignandam *spem divinæ efficaciæ, quæ* Pastoribus *optatur.*

XI. De Cœnæ Dominicæ institutione sic differit dissertator: *Moserat Hebræorum, quique nunc manet Festis diebus, quos bonos vocant, vocare ad cœnam propinquos vicinos aut amicos supra decem, infra viginti. &c. Cœna sine panis melior ac frangi facilis adferebatur: de eo particulas convivator dividebat convivis. adferebatur & calix, qui & ipse à covivatore libatus ibat in orbem. Addebantur verba Deo gratias agentis, quod creasset panem ex terra ac fructum viti* פרי הגפן *γέννημα ἀμπέλου. Accedebat historia ad diem respondentis grata commemoratio ὅμνου εὐλογίας sive εὐχαρίστιας, quæ duo idem valent. In Paschate pro exitu ex Ægypto. In Pentecoste pro data lege. In σκηνοπηγίαις* produ*ctu & alimentis per loca deserta. Christus adjici voluit mortis suæ cruentæ* comme-

commemorationem. Quorsum hæc; *Observanda Institutionis Cœnæ occasio ex more sumpta Hebræorum, cujus moris descriptio est apud Scaligerum lib. 6. de Emendatione temporum; & apud Paulum Fagium ad Chaldaicam Paraphrasin, Deut. cap.* 8. Vide Scalig. pag. 571. 572. 573. 574. edit. ann. 1629.

XII. Admittimus hæc, quæ ex ipso Fagio & Scaligero olim didicimus, admittimus quoque dubentes notationem *Pecherelli dissertatione erudita de Missa* pag. 136 137. ut *quemadmodum Paulus verba Christi explicans addit* τοῦτο ποιεῖτε ὁσάκις ἂν πίνητε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, *hoc facite quotiescunque feceritis in mei recordationem: pari modo in altero membro suppleatur* ὁσάκις ἂν φάγητε, *Quotiescunque comederitis.* Sed negamus aut Christo aut Paulo aut Picherello ipsi in mentem venisse. Intelligendum hic ὅταν ποιῆτε, *Quoties Festas cœnas habetis, & more solito isto postcœnio eas claudatis*: ut extra Judaïcas Cœnas Festas & postcœnia, non sit definitum imperium seu præceptum Christi, communicandum esse per Symbola panis, & instituta tantum sit Cœna Dominica ex hypothesi moris Judaïci, quo cessante ipsa cesset.

XIII. Ex ista Dissertatoris Hypothesi tam Communicationem per Symbola in Cœna Dominica, quam convivationes Festas & postcœnia Judaïca, jugulat verbum illud Apostolicum Colos. 2. 16. Ne quis vos judicet ob cibum vel potum, aut respectu diei Festi aut Novilunii, aut Sabbatorum.

XIV. Neque ex dissertatoris Hypothesi Antiquationi Cœnæ Dominicæ, una cum Festorum Judaicorum & Cœnarum ac postcœniorum antiquatione, intercessit: Quod ut ipse dixerit *Paulus, gentium Doctor utilem ritum etiam ad Gentes perduxit, occasione usus alterius moris, quem eadem Gentes in falso Deorum cultu observaverunt: moris enim*, inquit, *erat apud eas, ut quoties quis sacrificasset extorum pars ei redderetur ad quam vocabat convivas*: (quod ex Aristophane, ex Scholiaste ad Plutum, ex Plauti Milite glorioso, ex ejusdem Pœnulo, & Virgilii Eclog. 3. doceri hic operæ precium erat, scilicet.) Quia *Proprie*, si Dissertatore audimus, *Hebræos quibus mos erat celebrandi talia postcœnia Christus excitatos voluit*: &c. Et quod Gentibus de Cœna Dominica tradidit *Paulus*, *Præceptum nusquam vocat, sed institutum*, παρέλαβον ὁ καὶ παρέδωκα.

XV. Traductionem Cœnæ Dominicæ ab Hebræis ad Gentes, quæ fit institutum destitutum præcepto seu definito imperio, frustra extorquet Dissertator ex Pauli istis verbis, Accepi quod & Tradidi, 1. *Cor.* 11. 23. quia si verbis istis liberatur Christianorum conscientia, ut Cœna Dominica, quod ille urget, *facile ex causa probabili omitti se ferat*, liberatur quoque conscientia, ut facile ex causa probabili negligatur Fides Mortis sepulturæ & Resurrectionis Christi: quia illam Tradidit Apostolus, eadem Traditionis formula παρέδωκα ὁ καὶ παρέλαβον· Tradidi quod & accepi, 1. Cor. 15. 3. 4. Corruet ista verborum perversione omnis divina Auctoritas Traditionis Apostolicæ scriptæ, quæ maximam partem facit Scripturæ N. T.

XVI. Mirari, licet quomodo conciliari ista possint, Non esse ritū Cœnæ Dominicæ apud Gentes novè institutum: sed ab Ethnicis, convivas post sacrificium in falso cultu ad extra vocantibus, *amoto vitio, ad eos, qui Christianismum susceperant traductum à Paulo*: Et esse eundem ab Hebræis etiam *ad Gentes perductum*, à Paulo, *occasione alterius moris, quem Gentes in falso Deorum cultu observaverant*: Quomodo inquam conciliari possint; absque syncretismo aliquo Hebræorum Christianorum cum Gentilium Deorum falso cultu, ad lucrandos scilicet Ethnicos: quomodo quidem cum Hebræorum cultu externo Mosaïco, qui sua origine erat institutionis divinæ, utili syncretismo ad tempus usi sunt Apostoli: sed cum Ethnicorum in falso cultu moribus συγκρηπίζειν nefas fuit.

XVII. Indocte confundit Dissertator ritum in falso cultu sacrum, cum convivatione extra cultum & tempus cultus falsi, quam veteres Christiani præmittebant, *cum gratiis pro creatione rerum, ac nominatim panis vinique*; ante postcœnium sacrum, in quo erat mortis Christi commemoratio, Convivatio illa (qua veteres illi Christiani *juxta Christi præscriptum Luc.* 14. 3. *divitum sumptu meliuscule excipiebant pauperes, unde* ἀγάπης *nomen*) erat Adiaphorum Civile, cui libere annectebatur postcœnium sacrum: ut si postcœnium sacrum non esset ex Traduce illo, præpostere ex eo conferetur esse Convivatio civilis.

XVIII. Libere cum illa convivatione civili Christianorum connexum fuisse postcœnium Cœnæ Dominicæ, & hodie rite ab illa

illa separatum: docet consilium Apostolicum, quod Corinthiis scriptum, propter corruptos convivationis civilis mores: quo suasit, ut, relegata ad ædes privatas convivatione, servaretur in cœtu Ecclesiæ tantum Cœnâ Dominica, ritu sacro communicationis institutæ per symbola panis & vini. 1. Cor. 11. 20. 21. 22. 33. 34.

XIX. Ex Dissertatoris hypothesibus, quandoquidem Cœna Dominica est ex Traduce (vel Institutionis inter Hebræos antiquatæ cum antiquatis ipsorum Cœnis sacrificialibus Festis, & postcœniis: vel moris alterius inter Ethnicos observati in falso Deorum cultu, qui jam inter Christianos exolevit:) Antiquatam quoque esse ipsam necesse est, sicut Baptismum aquæ antiquatum audivimus, hypothesi simili: ut non necessario Christianis communicandum sit per symbola panis & vini, præcepti alicujus divini religione: ac fiat communicatio illa per symbola extra *obedientiam præceptorum Dei, quæ in Christianismo totum facit.*

XX. Dissertator ille pergit προφάσει disputare, *Dari nonnunquam ob causas justas Communionis Symbolicæ intermissionem: Æquum esse ubi conflictus est, signa cedere rei significatæ, putamen nucleo*; Quis negat? Sed hac προφάσει conatur hoc efficere, *ut facile ex causa probabili omitti se forant* sacra Cœnæ Dominicæ symbola; atque ut de illis idem fiat, quod factum est de *Serpente æneo à Mose facto, quem quod in non rectos usus vulgo verteretur, fregit Rex Ezechias*: quod iniquissimum est postulatum.

XXI. Ut intercedamus huic rituum sacrorum vetustatis demonstrationi iniquę, ob quam cogitandum sit de Baptismi & Cœnæ Dominicæ antiquatione in Religione Christiana, *ut* scilicet *liberius solutiusque exerceri possit dilectio, illa, quæ in Christianismo totum facit*, demonstrandum est, nunquam, absque Sacramentis visibilibus seu sigillis annexis, institutam fuisse & imperatam à Deo Religionem, in quacunque vel Fœderis operum vel Fœderis gratiæ Veteri aut nova visibili œconomia.

XXII. De Oeconomia visibili Federis operum ante lapsum ostensum est præcedenti Disp. Thes. 10. & 11. habuisse illam Verbo promissionis Legalis annexum Sacramentum Arboris Vitæ obsignans vitam æternam cœlestem.

XXIII. In Oeconomia Fœderis gratiæ Veteris ante Christum annexa Verbo Sacramenta vel fuere Communia, & Vetustissimæ periodo illi temporis ab Adamo ad Mosem, & Veteri à Mose ad Christum: vel Mosaïcæ oeconomiæ Fœderis propria. Communia illa, fuere Sacramenta sacrificialia, Sanguinis aspersio, Victimarum ἐμπυρισμὸς in Altari victimas sanctificans, Convivatio ex victimarum carnibus: Quibus visibilibus symbolis Deus Sacrificantibus ex Fide, & Donis ipsorum, testimonium perhibebat, quod justi essent, Hebr. 11. 4. Fides Sacrificantium necessario supponit Verbum Dei, est enim ex auditu, Rom. 10. 17. Et quidem appropriate Verbum institutionis connexæ & individuæ Sacrificiorum institutione divina, & oblatione imperata, non potuerunt offerri ex Fide, Colos. 2. 22. 23. Matth. 15. 3. 6. Et absque Sacramentis annexis, ut sigillis institutis Justificationis ex Fide, Fides sacrificantium non fuisset ἐλπιζομένων ὑπόστασις, Hebr. 11. 1.

XXIV. Propria Oeconomiæ posterioris Periodi à Mose ad Christum Sacramenta, fuerunt Circumcisio & Paschalis Cœna, Paschatis sacrificio annexa. Circumcisio quamvis non esset ex Mose, sed ex Patribus, Joh. 7. 22. tamen ex illo tempore, quo institutum est in Exodo Pascha, una cum Paschate fuit character proprius œconomiæ Mosaïcæ, & alterum publicum Sacramentum Justificationis ex Fide, & Sanctificantis gratiæ, cum Sacramento Paschatis: non ita nude obsignans Fidem & Spem Ecclesiæ, ut communia illa sacramenta sacrificialia: sed illam cumulans gemino, quasi arrhabone: viva scilicet demonstratione veritatis promissionis geminæ Abrahamo factæ, de multiplicando Isaaco semine: & de ejusdem vindicatione in libertatem, & Cleruchia terræ Canaan: ad roborandam exspectationem Messiæ ex illo semine nascituri, in terra promissionis sancta.

XXV. Tempore illo quatuor sæculorum, inter institutum Pascha & institutam Circumsionem, Sacramentum circumcisionis domesticum tantum fuit in familia & cognatione Abrahami: illis, cum indicio genealogiæ, ex qua, & terræ, in qua nascirurus esset Messias, obsignans (familiarius, quam reliquæ Ecclesiæ præputiatorum Deo vero sacrificantium,) Justitiam Fidei; Non servi-

ens

ens, ante institutum alterum Sacramentum Paschatis, rejectioni & eliminationi præputiatorum extra Ecclesiam, quæ tantisper natura non erat, Genes. 15. Interim reliqua præputiatorum Ecclesia, non erat absque Sacramentis sacrificialibus: quæ, Paschatis demum institutione instaurata in Gilgale, Josuæ 5. vindicata atque asserta fuerunt solis Israelitis, ut porro penes illos maneret, cum Veteri Religione, jus sacrificandi, cum annexa Sacramentorum usurpatione legitima.

XXVI. Neque communia illa Institutioni Sacrificiorum annexa sacramenta, Neque propria Israëlitarum Sacramenta Circumcisio & Paschalis Cœna, Sacrificio Paschatis connexa, unquam omissa facile fuerunt probabili de causa, in populo Dei, citra Ecclesiæ aut defectionem & Apostasiam, aut servitutem & captivitatem: quemadmodum V. G. Israelitarum sacrificia cessarunt in servitute Ægyptiaca, & in captivitate Babylonica, non cessante circumcisione: Et per Apostasiam (vindicatam circudumctione per deserium, in quo deerant pecudes ad sacrificia, annos circiter 40.) ab ordinato Sacerdotio Aaronica, ad transitum Jordanis, contigit Cessario & Circumcisionis & Paschatis: quorum instauratione, repetita fuit, tantisper intercisa per divinam indignationem populi sanctificatio, Josuæ 5. 6. --- 9.

XXVII. Contra Historiæ ergo veritatem est, quod Dissertator, alias ob causas probabiles facile, totis annis 40. omissam pronunciat Circumcisionem tam severe præceptam & Paschalem cæremoniam. Neglecta enim per Impietatem Circumcisione, debuit cessare cum circumcisione usus Paschatis, & cessavit necessitate invincibili, defectu carnium in deserto durante.

XXVIII. Hallucinati autem sunt (cum Veteribus, Justino Martyre in Dialogo cum Tryphone Judæo, Theodoreto Græcan. affect. serm. 7. de sacrificiis: Hieronymo in Jeremiam cap. 7. aliisque) recentiores illi Theologi, qui Sacrificiorum νομοθεσίαν, Legislationem, existimant demum cœpisse cum ordinatione Aaronici Sacerdotii, & ex locis Jerem. 7. 22. Amos 5. 25. Act. 7. 42. volunt ipsa Lege Mosaica Deum sacrificia verius indulsisse, quam imperasse: Quos refellunt abunde illa, quæ dicta sunt de Sacrificantium Fide Sacramentis sacrificialibus à Deo obsignata.

natum esse in Iudea Regem: Nulla enim naturali Astrologia aut Magia ista scire fas fuit. At, quemadmodum post, ita omnino ante susceptum iter, censendum est illos fuisse χρηματισθέντας κατ' ὄναρ, vide vers. 12. Fuit vero ista Prophetica revelationis species, Num. 12. 6. Atque apparet [ex Herodis illa percunctatione post habitam cum Magis communicationem vers. 4. Vbi Christus ille nasceretur] illos ex revelatione Prophetica didicisse, Natum esse Regem illum, qui erat Christus. Iam neutiquam fuerit Θεοπρεπὲς Deum & oraculo Christum manifestasse Magis, utque excivisse illos ad Christi Regis adorationem, neque tamen illuminasse oculos mentis ipsorum, ut scire possent, quæ illi Christo deberetur adoratio.

II. Ipsa generalis miraculorum natura, quod sint signa subsequentia, quibus Deus cooperatur doctrinæ Euangelii, Marc. 16. 20. flagitat, ut dicamus Magos non civili adoratione adorasse Regem natum, cujus regnum censerent per errorem fore de hoc mundo: sed adoratione religiosa ex fide vera Euangelii, quo revelatur regnum Christi spirituale & cœleste, & Christus rex cœli, & exercitus cœlestis Dominus: quo sensu dicunt vers. 2. vidimus ejus stellam.

Selectarum Disputationum Theologicarum IV.

DE
Sacramentorum Christianæ, Religionis Institutione, antiqua, an nova.

Cum Censura in Dissertationem Anonymi de Cœna, An semper Communicandum per Symbola.

THESIS I.

Disquisitio hęc connexa est disquisitioni de vera Antiquitate Religionis Christianæ: ut liqueat, an Sacramentorum Baptismi & Cœnæ Dominicæ institutione demonstrari possit in Fundamento Religionis facta Novatio, quæ adsertam à nobis Antiquitatem destruat; quod pernegamus, quia statuimus

mus, inquit, in more erat Hebræorum, quoties aliquis ab Idololatria, ad Iudaismum accederet: Meminit sæpe Maimonides, & in hunc diem mos ille apud Iudæos manet. Iohannes Baptista, ut ostenderet Iudæos, quamquam unius Dei cultum profitentes, moribus ea ætate non minus fuisse corruptis & à Lege Dei dissentaneis, quam ii erant, qui falsos Deos colebant ac proinde expurgationis egentes, à pari ad par tranflato vetere baptizandi ritu, id ipsum significavit. Esto hoc verissimum: at falsissima est notatio marginalis ista: *Baptismus Iohannis non primo neque absolute divinæ institutionis est; sed ex hypothesi, & conditione moris apud Iudæos recepti, quatenus iste ad id quod prædicabat Iohannes rite transferri ac usurpari se sinebat.*

VI. Pergit Dissertator: *Servavit*, inquit, *morem in utroque genere hominum Christus, addita professione sui quoque nominis & promisso Spiritus S.* Servavit ergo Christus. si dissertatorem audimus, morem Judaicum à Johanne servatum, & non dedit illum Apostolis in mandatis, absolute definitio imperio, sed ex hypothesi & conditione moris apud Judæos recepti: ut ubi Judæorum & moris Judaici non esset habenda ratio, non esset imperatus Baptismus aquæ: Quæ est ipsissima *Socini* & Socinianorum sententia, qui verbis Pauli 1. Cor. 1. 17. male arreptis, quæ non absolute, sed comparate accipienda sunt, negant Christi mandato prædicationi Euangelii ad finem mundi duraturæ, Baptismi administrationem annexam esse. *Socinus de Baptismo.*

VII. Quod asserit Dissertator *Baptismum Iohannis non primo neque absolute divinæ institutionis fuisse*, contradicit Johanni, dicenti Deum misisse ipsum ad Baptisandum aqua, Joh. 1. 33. & Christo asserenti Baptismum Johannis è Cœlo esse, Matth. 21. 25. Et refellitur ex hypothesi de imperata Johanni prædicatione, verbis Marci istis, Baptizabat Johannes in deserto, & prædicabat Baptismum, Marc. 1. 4.

VIII. Quod dicit Christum *addidisse* moris Judaïci Baptismo servato *Professionem sui quoque nominis & promissum Spiritus S.* verum est, non ex mente Dissertatoris, de illa tantum Baptismi dedicatione nova, quæ facta est die ascensionis Christi, sed de prima institutione Baptismi Johannis & discipulorum Christi: Promittebat enim ab initio: Johannes vere resipiscentibus à se Baptizatis aqua,

in

in nomine Christi, Baptismum Spiritus S. Matth. 3. 11. Marc. 1. 8.

IX. Vera differentia inter divinam primam Baptismi institutionem, & illam Baptismi dedicationem Christi jussione factam die ascensionis, hæc est: quod prima institutione & mandato divino Baptismus non antiquarit Vetus Circumcisionis sacramentum, nec præputiatis fuerit administrandus, quippe qui vocandi non erant ad Ecclesiam, neque Ecclesiæ inserendi novo sacramento, tantisper, donec ad antiquationem circumcisionis intercessisset mors Christi. Altera autem Baptismi dedicatione illa, quæ facta est Christi mandato die Ascensionis, dedicatum est Baptismi Sacramentum illi Initiationi in Ecclesiam, cui serviret Circumcisionis Sacramentum: ut cum Judæis circumcisis communi initiationis Symbolo, cooptarentur etiam præputiati, nomen Christi professi.

X. Suo se indicio prodit Dissertator, quod, prætextu Antiquitatis, propter quam nova Baptismi Institutio nulla sit, velit Baptismum cum Judaicis ritibus antiquatum, hactenus saltem ut non sit magis necessariæ observationis, quam antiquus *ritus Impositionis manuum*, recensens varium ritus illius usum, in *orando pro ægrotis*, *confirmando baptizatos*, *ordinando pastores*, *absolvendo criminum reos*, *matrimonio benedicendo*: quorum nullus habet sigilli sanctionem aut institutionem, quapropter libere in sola Pastorum ordinatione illum retinent Ecclesiæ reformatæ, *ad significandam* non ad obsignandam *spem divinæ efficaciæ*, *quæ* Pastoribus *optatur*.

XI. De Cœnæ Dominicæ institutione sic differit dissertator: *Mos erat Hebræorum, qui & nunc manet Festis diebus, quos bonos vocant, vocare ad cœnam propinquos vicinos aut amicos supra decem, infra viginti. &c. Cœna sine panis melior ac frangi facilis adferebatur: de eo particulas convivator dividebat convivis. adferebatur & calix, qui & ipse à convivatore libatus ibat in orbem. Addebantur verba Deo gratias agentis, quod creasset panem ex terra ac fructum viti* פרי הגפן *γέννημα ἀμπέλου. Accedebat historiæ ad diem respondentis grata commemoratio* ὅμνου *&* εὐλογίας *sive* εὐχαριστίας, *quæ duo idem valent. In Paschate pro exitu ex Ægypto. In Pentecoste pro data lege. In σκηνοπηγίαις* productu *& alimentis per loca deserta. Christus adjici voluit mortis suæ cruentæ* comme-

commemorationem. Quorsum hæc; *Observanda Institutionis Cœnæ occasio ex more sumpta Hebræorum, cujus moris descriptio est apud Scaligerum lib. 6. de Emendatione temporum; & apud Paulum Fagium ad Chaldaicam Paraphrasin, Deut. cap. 8.* Vide Scalig. pag. 571. 572. 573. 574. edit. ann. 1629.

XII. Admittimus hæc, quæ ex ipso Fagio & Scaligero olim didicimus, admittimus quoque dubentes notationem *Pecherelli dissertatione erudita de Missa* pag. 136 137. ut *quemadmodum Paulus verba Christi explicans addit τοῦτο ποιεῖτε ὁσάκις ἂν πίνητε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, hoc facite quotiescunque feceritis in mei recordationem: pari modo in altero membro suppleatur ὁσάκις ἂν φάγητε, Quotiescunque comederitis.* Sed negamus aut Christo aut Paulo aut Picherello ipsi in mentem venisse. Intelligendum hic ὅταν ποιῆτε, *Quoties Festas cœnas habetis, & more solito isto postcœnio eas claudatis*: ut extra Judaïcas Cœnas Festas & postcœnia, non sit definitum imperium seu præceptum Christi, communicandum esse per Symbola panis, & instituta tantum sit Cœna Dominica ex hypothesi moris Judaïci, quo cessante ipsa cesset.

XIII. Ex ista Dissertatoris Hypothesi tam Communicationem per Symbola in Cœna Dominica, quam convivationes Festas & postcœnia Judaïca, jugulat verbum illud Apostolicum Colos. 2. 16. Ne quis vos judicet ob cibum vel potum, aut respectu diei Festi aut Novilunii, aut Sabbatorum.

XIV. Neque ex dissertatoris Hypothesi Antiquationi Cœnæ Dominicæ, una cum Festorum Judaicorum & Cœnarum ac postcœniorum antiquatione, interceſſit! Quod ut ipse dixerit *Paulus, gentium Doctor utilem ritum etiam ad Gentes perduxit, occasione usus alterius moris, quem eadem Gentes in falso Deorum cultu observaverunt: moris enim*, inquit, *erat apud eas, ut quoties quis sacrificasset extorum pars ei redderetur ad quam vocabat convivas*: (quod ex Aristophane, ex Scholiaste ad Plutum, ex Plauti Milite glorioso, ex ejusdem Pœnulo, & Virgilii Eclog. 3. doceri hic operæ precium erat, scilicet.) Quia *Proprie*, si Dissertatore audimus, *Hebræos quibus mos erat celebrandi talia postcœnia Christus excitatos voluit*: &c. Et quod Gentibus de Cœna Dominica tradidit *Paulus, Præceptum nusquam vocat, sed institutum*, παράλαβον ὁ καὶ παρέδωκα.

XV. Traductionem Cœnæ Dominicæ ab Hebræis ad Gentes, quæ fit institutum destitutum præcepto seu definito imperio, frustra extorquet Dissertator ex Pauli istis verbis, Accepi quod & Tradidi, 1. Cor. 11. 23. quia si verbis istis liberatur Christianorum conscientia, ut Cœna Dominica, quod ille urget, *facile ex causa probabili omitti se ferat*, liberatur quoque conscientia, ut facile ex causa probabili negligatur Fides Mortis sepulturæ & Resurrectionis Christi: quia illam Tradidit Apostolus, eadem Traditionis formula παρέδωκα ὁ καὶ παρέλαβον· Tradidi quod & accepi, 1. Cor. 15. 3. 4. Corruet ista verborum perversione omnis divina Auctoritas Traditionis Apostolicæ scriptæ, quæ maximam partem facit Scripturæ N. T.

XVI. Mirari, licet quomodo conciliari ista possint, Non esse ritū Cœnæ Dominicæ apud Gentes novè institutum: sed ab Ethnicis, convivas post sacrificium in falso cultu ad extra vocantibus, *ainoto vitio, ad eos, qui Christianismum susceperant traductum à Paulo*: Et esse eundem ab Hebræis etiam *ad Gentes perductum*, à Paulo, *occasione alterius moris, quem Gentes in falso Deorum cultu observaverant*: Quomodo inquam conciliari possint; absque syncretismo aliquo Hebræorum Christianorum cum Gentilium Deorum falso cultu, ad lucrandos scilicet Ethnicos: quomodo quidem cum Hebræorum cultu externo Mosaïco, qui sua origine erat institutionis divinæ, utili syncretismo ad tempus ūsi sunt Apostoli: sed cum Ethnicorum in falso cultu moribus συγχρηπίζειν nefas fuit.

XVII. Indocte confundit Dissertator ritum in falso cultu sacrum, cum convivatione extra cultum & tempus cultus falsi, quam veteres Christiani præmittebant, *cum gratiis pro creatione rerum, ac nominatim panis vinique*; ante postcœnium sacrum, in quo erat mortis Christi commemoratio, Convivatio illa (qua veteres illi Christiani *juxta Christi præscriptum Luc. 14. 3. divitum sumptu meliuscule excipiebant pauperes, unde* ἀγάπης *nomen*) erat Adiaphorum Civile, cui libere annectebatur postcœnium sacrum: ut si postcœnium sacrum non esset ex Traduce illo, præpostere ex eo censeretur esse Convivatio civilis.

XVIII. Libere cum illa convivatione civili Christianorum connexum fuisse postcœnium Cœnæ Dominicæ, & hodie rite ab illa

illa ſeparatum: docet conſilium Apoſtolicum, quod Corinthiis ſcriptum, propter corruptos convivationis civilis mores: quo ſuaſit, ut, relegata ad ædes privatas convivatione, ſervaretur in cœtu Eccleſiæ tantum Cœnâ Dominica, ritu ſacro communicationis inſtitutæ per ſymbola panis & vini. 1. Cor. 11. 20. 21. 22. 33. 34.

XIX. Ex Diſſertatoris hypotheſibus, quandoquidem Cœna Dominica eſt ex Traduce (vel Inſtitutionis inter Hebræos antiquatæ cum antiquatis ipſorum Cœnis ſacrificialibus Feſtis, & poſtcœniis: vel moris alterius inter Ethnicos obſervati in falſo Deorum cultu, qui jam inter Chriſtianos exolevit:) Antiquatam quoque eſſe ipſam neceſſe eſt, ſicut Baptiſmum aquæ antiquatum audivimus, hypotheſi ſimili: ut non neceſſario Chriſtianis communicandum ſit per ſymbola panis & vini, præcepti alicujus divini religione: ac fiat communicatio illa per ſymbola extra *obedientiam præceptorum Dei, quæ in Chriſtianiſmo totum facit.*

XX. Diſſertator ille pergit προφάσει diſputare, *Dari nonnunquam ob cauſas juſtas Communionis Symbolicæ interміſſionem: Æquum eſſe ubi conflictus eſt, ſigna cedere rei ſignificatæ, putamen nucleo;* Quis negat? Sed hac προφάσει conatur hoc efficere, *ut facile ex cauſa probabili omitti ſe forant* ſacra Cœnæ Dominicæ ſymbola; atque ut de illis idem fiat, quod factum eſt de *Serpente æneo à Moſe facto, quem quod in non rectos uſus vulgo verteretur, fregit Rex Ezechias*: quod iniquiſſimum eſt poſtulatum.

XXI. Ut intercedamus huic rituum ſacrorum vetuſtatis demonſtrationi iniquę, ob quam cogitandum ſit de Baptiſmi & Cœnæ Dominicæ antiquatione in Religione Chriſtiana, *ut* ſcilicet *liberius ſolutiuſque exerceri poſſit dilectio, illa, quæ in Chriſtianiſmo totum facit,* demonſtrandum eſt, nunquam, abſque Sacramentis viſibilibus ſeu ſigillis annexis, inſtitutam fuiſſe & imperatam à Deo Religionem, in quacunque vel Fœderis operum vel Fœderis gratiæ Veteri aut nova viſibili œconomia.

XXII. De Oeconomia viſibili Federis operum ante lapſum oſtenſum eſt præcedenti Diſp. Theſ. 10. & 11. habuiſſe illam Verbo promiſſionis Legalis annexum Sacramentum Arboris Vitæ obſignans vitam æternam cœleſtem.

XXIII. In Oeconomia Fœderis gratiæ Veteris ante Christum annexa Verbo Sacramenta vel fuere Communia, & Vetustissimæ periodo illi temporis ab Adamo ad Mosem, & Veteri à Mose ad Christum: vel Mosaicæ oeconomiæ Fœderis propria. Communia illa, fuere Sacramenta sacrificialia, Sanguinis aspersio, Victimarum ἐμπυρισμὸς. in Altari victimas sanctificans, Convivatio ex victimarum carnibus: Quibus visibilibus symbolis Deus Sacrificantibus ex Fide, & Donis ipsorum, testimonium perhibebat, quod justi essent, Hebr. 11. 4. Fides Sacrificantium necessario supponit Verbum Dei, est enim ex auditu, Rom. 10. 17. Et quidem appropriate Verbum institutionis connexæ & individuæ Sacrificiorum institutione divina, & oblatione imperata, non potuerunt offerri ex Fide, Colos. 2. 22. 23. Matth. 15. 3. 6. Et absque Sacramentis annexis, ut sigillis institutis Justificationis ex Fide, Fides sacrificantium non fuisset ἐλπιζομένων ὑπόστασις, Hebr. 11. 1.

XXIV. Propria Oeconomiæ posterioris Periodi à Mose ad Christum Sacramenta, fuerunt Circumcisio & Paschalis Cœna, Paschatis sacrificio annexa. Circumcisio quamvis non esset ex Mose, sed ex Patribus, Joh. 7. 22. tamen ex illo tempore, quo institutum est in Exodo Pascha, una cum Paschate fuit character proprius œconomiæ Mosaïcæ, & alterum publicum Sacramentum Justificationis ex Fide, & Sanctificantis gratiæ, cum Sacramento Paschatis: non ita nude obsignans Fidem & Spem Ecclesiæ, ut communia illa sacramenta sacrificialia: sed illam cumulans gemino, quasi arrhabone: viva scilicet demonstratione veritatis promissionis geminæ Abrahamo factæ, de multiplicando Isaaco semine: & de ejusdem vindicatione in libertatem, & Cleruchia terræ Canaan: ad roborandam exspectationem Messiæ ex illo semine nascituri, in terra promissionis sancta.

XXV. Tempore illo quatuor sæculorum, inter institutum Pascha & institutam Circumsionem, Sacramentum circumcisionis domesticum tantum fuit in familia & cognatione Abrahami: illis, cum indicio genealogiæ, ex qua, & terræ, in qua nascirurus esset Messias, obsignans (familiarius, quam reliquæ Ecclesiæ præputiatorum Deo vero sacrificantium,) Justitiam Fidei; Non servi-

ens

ens, ante institutum alterum Sacramentum Paschatis, rejectioni & eliminationi præputiatorum extra Ecclesiam, quæ tantisper natura non erat, Genes. 15. Interim reliqua præputiatorum Ecclesia, non erat absque Sacramentis sacrificialibus: quæ, Paschatis demum institutione instaurata in Gilgale, Josuæ 5. vindicata atque asserta fuerunt solis Israelitis, ut porro penes illos maneret, cum Veteri Religione, jus sacrificandi, cum annexa Sacramentorum usurpatione legitima.

XXVI. Neque communia illa Institutioni Sacrificiorum annexa sacramenta, Neque propria Israëlitarum Sacramenta Circumcisio & Paschalis Cœna, Sacrificio Paschatis connexa, unquam omissa facile fuerunt probabili de causa, in populo Dei, citra Ecclesiæ aut defectionem & Apostasiam, aut servitutem & captivitatem: quemadmodum V. G. Israelitarum sacrificia cessarunt in servitute Ægyptiaca, & in captivitate Babylonica, non cessante circumcisione: Et per Apostasiam (vindicatam circudumctione per deserium, in quo deerant pecudes ad sacrificia, annos circiter 40.) ab ordinato Sacerdotio Aaronica, ad transitum Jordanis, contigit Cessario & Circumcisionis & Paschatis: quorum instauratione, repetita fuit, tantisper intercisa per divinam indignationem populi sanctificatio, Josuæ 5. 6. --- 9.

XXVII. Contra Historiæ ergo veritatem est, quod Dissertator, alias ob causas probabiles facile, totis annis 40. omissam pronunciat Circumcisionem tam severe præceptam & Paschalem cæremoniam. Neglecta enim per Impietatem Circumcisione, debuit cessare cum circumcisione usus Paschatis, & cessavit necessitate invincibili, defectu carnium in deserto durante.

XXVIII. Hallucinati autem sunt (cum Veteribus, Justino Martyre in Dialogo cum Tryphone Judæo, Theodoreto Græcan. affect. serm. 7. de sacrificiis: Hieronymo in Jeremiam cap. 7. aliisque) recentiores illi Theologi, qui Sacrificiorum νομοθεσιαν, Legislationem, existimant demum cœpisse cum ordinatione Aaronici Sacerdotii, & ex locis Jerem. 7. 22. Amos 5. 25. Act. 7. 42. volunt ipsa Lege Mosaica Deum sacrificia verius indulsisse, quam imperasse: Quos refellunt abunde illa, quæ dicta sunt de Sacrificantium Fide Sacramentis sacrificialibus à Deo obsignata.

natum esse in Iudea Regem: Nulla enim naturali Astrologia aut Magia ista scire fas fuit. At, quemadmodum post, ita omnino ante susceptum iter, censendum est illos fuisse χρηματισθέντας κατ' ὄναρ, *vide vers. 12. Fuit vero ista Prophetica revelationis species, Num. 12. 6. Atque apparet [ex Herodis illa percunctatione post habitam cum Magis communicationem vers. 4. Vbi Christus ille nasceretur] illos ex revelatione Prophetica didicisse, Natum esse Regem illum, qui erat Christus. Iam neutiquam fuerit* Θεοπρεπὲς *Deum & oraculo Christum manifestasse Magis, utque exciviſse illos ad Christi Regis adorationem, neque tamen illuminasse oculos mentis ipsorum, ut scire possent, quæ illi Christo deberetur adoratio.*

II. *Ipsa generalis miraculorum natura, quod sint signa subsequentia, quibus Deus cooperatur doctrinæ Euangelii, Marc. 16. 20. flagitat, ut dicamus Magos non civili adoratione adorasse Regem natum, cujus regnum censerent per errorem fore de hoc mundo: sed adoratione religiosa ex fide vera Euangelii, quo revelatur regnum Christi spirituale & cœleste, & Christus rex cœli, & exercitus cœlestis Dominus: quo sensu dicunt vers. 2. vidimus ejus stellam.*

Selectarum Disputationum Theologicarum IV.

DE
Sacramentorum Christianæ, Religionis Institutione, antiqua, an nova.

Cum Censura in Dissertationem Anonymi de Cœna, An semper Communicandum per Symbola.

THESIS I.

DIsquisitio hęc connexa est disquisitioni de vera Antiquitate Religionis Christianæ: ut liqueat, an Sacramentorum Baptismi & Cœnæ Dominicæ institutione demonstrari possit in Fundamento Religionis facta Novatio, quæ adsertam à nobis Antiquitatem destruat; quod pernegamus, quia statuimus

mus, inquit, in more erat Hebræorum, quoties aliquis ab Idololatria, ad Iudaismum accederet: Meminit sæpe Maimonides, & in hunc diem mos ille apud Iudæos manet. Iohannes Baptista, ut offenderet Iudæos, quamquum unius Dei cultum profitentes, moribus ea ætate non minus fuisse corruptis & à Lege Dei dissentaneis, quam ii erant, qui falsos Deos colebant ac proinde expurgationis egentes, à pari ad par tranflato vetere baptizandi ritu, id ipsum significavit. Esto hoc verissimum: at falsissima est notatio marginalis ista: *Baptismus Iohannis non primo neque absolute divinæ institutionis est; sed ex hypothesi, & conditione moris apud Iudæos recepti, quatenus iste ad id quod prædicabat Iohannes rite transferri ac usurpari se sinebat.*

VI. Pergit Dissertator: *Servavit*, inquit, *morem in utroque genere hominum Christus, addita professione sui quoque nominis & promisso Spiritus S.* Servavit ergo Christus. si dissertatorem audimus, morem Judaicum à Johanne servatum, & non dedit illum Apostolis in mandatis, absolute definitio imperio, sed ex hypothesi & conditione moris apud Judæos recepti: ut ubi Judæorum & moris Judaici non esset habenda ratio, non esset imperatus Baptismus aquæ: Quæ est ipsissima *Socini* & Socinianorum sententia, qui verbis Pauli 1. Cor. 1. 17. male arreptis, quæ non absolute, sed comparate accipienda sunt, negant Christi mandato prædicationi Euangelii ad finem mundi duraturæ, Baptismi administrationem annexam esse. *Socinus de Baptismo.*

VII. Quod asserit Dissertator *Baptismum Iohannis non primo neque absolute divinæ institutionis fuisse*, contradicit Johanni, dicenti Deum misisse ipsum ad Baptisandum aqua, Joh. 1. 33. & Christo asserenti Baptismum Johannis è Cœlo esse, Matth. 21. 25. Et refellitur ex hypothesi de imperata Johanni prædicatione, verbis Marci istis, Baptizabat Johannes in deserto, & prædicabat Baptismum, Marc. 1. 4.

VIII. Quod dicit Christum *addidisse* moris Judaïci Baptismo servato *Professionem sui quoque nominis & promissum Spiritus S.* verum est, non ex mente Dissertatoris, de illa tantum Baptismi dedicatione nova, quæ facta est die ascensionis Christi, sed de prima institutione Baptismi Johannis & discipulorum Christi: Promittebat enim ab initio: Johannes vere resipiscentibus à se Baptizatis aqua,

in

in nomine Christi, Baptismum Spiritus S. Matth. 3. 11. Marc. 1. 8.

IX. Vera differentia inter divinam primam Baptismi institutionem, & illam Baptismi dedicationem Christi jussione factam die ascensionis, hæc est: quod prima institutione & mandato divino Baptismus non antiquarit Vetus Circumcisionis sacramentum, nec præputiatis fuerit administrandus, quippe qui vocandi non erant ad Ecclesiam, neque Ecclesiæ inserendi novo sacramento, tantisper, donec ad antiquationem circumcisionis intercessisset mors Christi. Altera autem Baptismi dedicatione illa, quæ facta est Christi mandato die Ascensionis, dedicatum est Baptismi Sacramentum illi Initiationi in Ecclesiam, cui serviebat Circumcisionis Sacramentum: ut cum Judæis circumcisis communi initiationis Symbolo, cooptarentur etiam præputiati, nomen Christi professi.

X. Suo se indicio prodit Dissertator, quod, prætextu Antiquitatis, propter quam nova Baptismi Institutio nulla sit, velit Baptismum cum Judaicis ritibus antiquatum, hactenus saltem ut non sit magis necessariæ observationis, quam antiquus *ritus Impositionis manuum*, recensens varium ritus illius usum, in *orando pro ægrotis*, *confirmando baptizatos*, *ordinando pastores*, *absolvendo criminum reos*, *matrimonio benedicendo*; quorum nullus habet sigilli sanctionem aut institutionem, quapropter libere in sola Pastorum ordinatione illum retinent Ecclesiæ reformatæ, *ad significandam* non ad obsignandam *spem divinæ efficaciæ*, *quæ* Pastoribus *optatur*.

XI. De Cœnæ Dominicæ institutione sic differit dissertator: *Mos erat Hebræorum, qui & nunc manet Festis diebus, quos bonos vocant, vocare ad cœnam propinquos vicinos aut amicos supra decem, infra viginti. &c. Cœnæ sine panis melior ac frangi facilis adferebatur: de eo particulas convivator dividebat convivis. adferebatur & calix, qui & ipse à convivatore libatus ibat in orbem. Addebantur verba Deo gratias agentis, quod creasset panem ex terra ac fructum viti* פרי הגפן *γέννημα ἀμπέλου. Accedebat historiæ ad diem respondentis grata commemoratio* ὅμνου *εὐλογίας sive εὐχαριστίας, quæ duo idem valent. In Paschate pro exitu ex Ægypto. In Pentecoste pro data lege. In σκηνοπηγίαις* productu *& alimentis per loca deserta. Christus adjici voluit mortis suæ cruentæ* commemo-

commemorationem. Quorsum hæc; *Observanda Institutionis Cœnæ occasio ex more sumpta Hebræorum, cujus moris descriptio est apud Scaligerum lib. 6. de Emendatione temporum; & apud Paulum Fagium ad Chaldaicam Paraphrasin, Deut. cap.* 8. Vide Scalig. pag. 571. 572. 573. 574. edit. ann. 1629.

XII. Admittimus hæc, quæ ex ipso Fagio & Scaligero olim didicimus, admittimus quoque dubentes notationem *Pecherelli dissertatione erudita de Missa* pag. 136 137. ut *quemadmodum Paulus verba Christi explicans addit* τοῦτο ποιεῖτε ὁσάκις ἂν πίνητε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, *hoc facite quotiescunque feceritis in mei recordationem: pari modo in altero membro suppleatur* ὁσάκις ἂν φάγητε, *Quotiescunque comederitis.* Sed negamus aut Christo aut Paulo aut Picherello ipsi in mentem venisse. Intelligendum hic ὅταν ποιῆτε, *Quoties Festas cœnas habetis, & more solito isto postcœnio eas claudatis*: ut extra Judaïcas Cœnas Festas & postcœnia, non sit definitum imperium seu præceptum Christi, communicandum esse per Symbola panis, & instituta tantum sit Cœna Dominica ex hypothesi moris Judaïci, quo cessante ipsa cesset.

XIII. Ex ista Dissertatoris Hypothesi tam Communicationem per Symbola in Cœna Dominica, quam convivationes Festas & postcœnia Judaïca, jugulat verbum illud Apostolicum Colos. 2. 16. Ne quis vos judicet ob cibum vel potum, aut respectu diei Festi aut Novilunii, aut Sabbatorum.

XIV. Neque ex dissertatoris Hypothesi Antiquationi Cœnæ Dominicæ, una cum Festorum Judaicorum & Cœnarum ac postcœniorum antiquatione, interceſſit! Quod ut ipse dixerit *Paulus, gentium Doctor utilem ritum etiam ad Gentes perduxit, occasione usus alterius moris, quem eadem Gentes in falso Deorum cultu observaverunt: moris enim*, inquit, *erat apud eas, ut quoties quis sacrificaßet extorum pars ei redderetur ad quam vocabat convivas*: (quod ex Aristophane, ex Scholiaste ad Plutum, ex Plauti Milite glorioso, ex ejusdem Pœnulo, & Virgilii Eclog. 3. doceri hic operæ precium erat, scilicet.) Quia *Proprie*, si Dissertatore audimus, *Hebræos quibus mos erat celebrandi talia postcœnia Christus excitatos voluit*: &c. Et quod Gentibus de Cœna Dominica tradidit *Paulus, Præceptum nusquam vocat, sed institutum*, παρέλαβον ὁ καὶ παρέδωκα.

XV. Traductionem Cœnæ Dominicæ ab Hebræis ad Gentes, quæ fit institutum destitutum præcepto seu definito imperio, frustra extorquet Dissertator ex Pauli istis verbis, Accepi quod & Tradidi, 1. Cor. 11. 23. quia si verbis istis liberatur Christianorum conscientia, ut Cœna Dominica, quod ille urget, *facile ex causa probabili omitti se ferat*, liberatur quoque conscientia, ut facile ex causa probabili negligatur Fides Mortis sepulturæ & Resurrectionis Christi: quia illam Tradidit Apostolus, eadem Traditionis formula παρέδωκα ὁ καὶ παρέλαβον· Tradidi quod & accepi, 1. Cor. 15. 3. 4. Corruet ista verborum perversione omnis divina Auctoritas Traditionis Apostolicæ scriptæ, quæ maximam partem facit Scripturæ N. T.

XVI. Mirari, licet quomodo conciliari ista possint, Non esse ritū Cœnæ Dominicæ apud Gentes novè institutum: sed ab Ethnicis, convivas post sacrificium in falso cultu ad extra vocantibus, *amoto vitio, ad eos, qui Christianismum susceperant traductum à Paulo*: Et esse eundem ab Hebræis etiam *ad Gentes perductum*, à Paulo, *occasione alterius moris, quem Gentes in falso Deorum cultu observaverant*: Quomodo inquam conciliari possint; absque syncretismo aliquo Hebræorum Christianorum cum Gentilium Deorum falso cultu, ad lucrandos scilicet Ethnicos: quomodo quidem cum Hebræorum cultu externo Mosaïco, qui sua origine erat institutionis divinæ, utili syncretismo ad tempus usi sunt Apostoli: sed cum Ethnicorum in falso cultu moribus συγκεραννύειν nefas fuit.

XVII. Indocte confundit Dissertator ritum in falso cultu sacrum, cum convivatione extra cultum & tempus cultus falsi, quam veteres Christiani præmittebant, *cum gratiis pro creatione rerum, ac nominatim panis vinique*; ante postcœnium sacrum, in quo erat mortis Christi commemoratio, Convivatio illa (qua veteres illi Christiani *juxta Christi præscriptum Luc. 14. 3. divitum sumptu meliuscule excipiebant pauperes, unde* ἀγάπης *nomen*) erat Adiaphorum Civile, cui libere annectebatur postcœnium sacrum: ut si postcœnium sacrum non esset ex Traduce illo, præpostere ex eo censeretur esse Convivatio civilis.

XVIII. Libere cum illa convivatione civili Christianorum connexum fuisse postcœnium Cœnæ Dominicæ, & hodie rite ab

illa

illa separatum: docet consilium Apostolicum, quod Corinthiis scriptum, propter corruptos convivationis civilis mores: quo suasit, ut, relegata ad ædes privatas convivatione, servaretur in cœtu Ecclesiæ tantum Cœnâ Dominica, ritu sacro communicationis institutæ per symbola panis & vini. 1. Cor. 11. 20. 21. 22. 33. 34.

XIX. Ex Dissertatoris hypothesibus, quandoquidem Cœna Dominica est ex Traduce (vel Institutionis inter Hebræos antiquatæ cum antiquatis ipsorum Cœnis sacrificialibus Festis, & postcœniis: vel moris alterius inter Ethnicos observati in falso Deorum cultu, qui jam inter Christianos exolevit:) Antiquatam quoque esse ipsam necesse est, sicut Baptismum aquæ antiquatum audivimus, hypothesi simili: ut non necessario Christianis communicandum sit per symbola panis & vini, præcepti alicujus divini religione: ac fiat communicatio illa per symbola extra *obedientiam præceptorum Dei, quæ in Christianismo totum facit.*

XX. Dissertator ille pergit προφάσει disputare, *Dari nonnunquam ob causas justas Communionis Symbolicæ intermissionem: Æquum esse ubi conflictus est, signa cedere rei significatæ, putamen nucleo;* Quis negat? Sed hac προφάσει conatur hoc efficere, *ut facile ex causa probabili omitti se forant* sacra Cœnæ Dominicæ symbola; atque ut de illis idem fiat, quod factum est de *Serpente æneo à Mose facto, quem quod in non rectos usus vulgo verteretur, fregit Rex Ezechias*: quod iniquissimum est postulatum.

XXI. Ut intercedamus huic rituum sacrorum vetustatis demonstrationi iniquę, ob quam cogitandum sit de Baptismi & Cœnæ Dominicæ antiquatione in Religione Christiana, *ut* scilicet *liberius solutiusque exerceri possit dilectio, illa, quæ in Christianismo totum facit,* demonstrandum est, nunquam, absque Sacramentis visibilibus seu sigillis annexis, institutam fuisse & imperatam à Deo Religionem, in quacunque vel Fœderis operum vel Fœderis gratiæ Veteri aut nova visibili œconomia.

XXII. De Oeconomia visibili Federis operum ante lapsum ostensum est præcedenti Disp. Thes. 10. & 11. habuisse illam Verbo promissionis Legalis annexum Sacramentum Arboris Vitæ obsignans vitam æternam cœlestem.

ens, ante institutum alterum Sacramentum Paschatis, rejectioni & eliminationi præputiatorum extra Ecclesiam, quæ tantisper natura non erat, Genes. 15. Interim reliqua præputiatorum Ecclesia, non erat absque Sacramentis sacrificialibus: quæ, Paschatis demum institutione instaurata in Gilgale, Josuæ 5. vindicata atque asserta fuerunt solis Israelitis, ut porro penes illos maneret, cum Veteri Religione, jus sacrificandi, cum annexa Sacramentorum usurpatione legitima.

XXVI. Neque communia illa Institutioni Sacrificiorum annexa sacramenta, Neque propria Israëlitarum Sacramenta Circumcisio & Paschalis Cœna, Sacrificio Paschatis connexa, unquam omissa facile fuerunt probabili de causa, in populo Dei, citra Ecclesiæ aut defectionem & Apostasiam, aut servitutem & captivitatem: quemadmodum V. G. Israelitarum sacrificia cessarunt in servitute Ægyptiaca, & in captivitate Babylonica, non cessante circumcisione: Et per Apostasiam (vindicatam circudumctione per desertum, in quo deerant pecudes ad sacrificia, annos circiter 40.) ab ordinato Sacerdotio Aaronica, ad transitum Jordanis, contigit Cessario & Circumcisionis & Paschatis: quorum instauratione, repetita fuit, tantisper intercisa per divinam indignationem populi sanctificatio, Josuæ 5. 6. --- 9.

XXVII. Contra Historiæ ergo veritatem est, quod Dissertator, alias ob causas probabiles facile, totis annis 40. omissam pronunciat Circumcisionem tam severe præceptam & Paschalem cæremoniam. Neglecta enim per Impietatem Circumcisione, debuit cessare cum circumcisione usus Paschatis, & cessavit necessitate invincibili, defectu carnium in deserto durante.

XXVIII. Hallucinati autem sunt (cum Veteribus, Justino Martyre in Dialogo cum Tryphone Judæo, Theodoreto Græcan. affect. serm. 7. de sacrificiis: Hieronymo in Jeremiam cap. 7. aliisque) recentiores illi Theologi, qui Sacrificiorum νομοθεσίαν, Legislationem, existimant demum cœpisse cum ordinatione Aaronici Sacerdotii, & ex locis Jerem. 7. 22. Amos 5. 25. Act. 7. 42. volunt ipsa Lege Mosaica Deum sacrificia verius indulsisse, quam imperasse: Quos refellunt abunde illa, quæ dicta sunt de Sacrificantium Fide Sacramentis sacrificialibus à Deo obsignata.

XXIX. Demonstrata ab Adamo ad Christum perpetua Sacramentorum visibilium connexione cum instituto & imperato divinitus cultu: qua cumulatum fuit Verbum promissionis Gratiæ Justificantis & Sanctificantis: Asserimus facere omnino ad necessariam amplitudinem Gratiæ Novi Testamenti, ut non destituta esset suis sacramentis, prædicationi verbi usque ad finem mundi annexis, Institutio Religionis Christianæ. Ac concludimus, quamvis Antiquatis Veteribus Sacramentis, non potuisse nec debuisse antiquari Sacramentorum & Sigillorum usum: Neque pro Sacramentis in Christianam Religionem traductos esse veteres ab Hebræis aut Gentibus ritus, ut tandem illi quoque antiquarentur εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει, Col. 2. 22. Sed ritus qui censentur carnaliter veteres, nova Sacramenti institutione dedicatos & Circumcisioni ac Paschati substitutos usque ad finem mundi, definito imperio.

Selectarum Disputationum Theologicarum V.

Synopsis Theologiæ Practicæ Remonstrantium,

DE

Vera Obedientia Mandatorum Christi.

THESIS I.

AD Examen Theologiæ Practicæ Remonstrantium dabimus primo ejus summa capita collecta ex operibus Practicis Eduardi Poppii Remonstrantium primipili vernacule editis: in quibus primum est Corpus Homiliarum titulo Augustæ Portæ, editum Goudæ An. 1616. ad quod accessit appendix posthuma, Ann. 1624. alterum est Consolatio ægrotorum, edita An. 1625. tertium est Enchiridion, de Mandatis Dei & Jesu Christi, quibus Christianus quisque tenetur obedire, ut salvus fiat, editum An. 1627. ex quibus præmissa synopsi, subnectemus quoque Censuræ

luræ prolixioris vernaculè à nobis editæ An. 1627. summam.

Synopsis Theologiæ Practicæ Remonstrantium.

I. *Tripartitam facit Poppius obedientiam veram mandatorum Christi,* 1. μετάνοιαν *seu resipiscentiam.* 2. *Fidem.* 3. *Vitam novam.*

II. *Veram* μετάνοιαν *ex illo Christi mandato* μετανοεῖτε Marc. 1. 15. *præstitam, censet nequaquam esse fructum regenerationis, quem producit Spiritus Fidei: sed esse hominis irregeniti opus se præparantis & disponentis ad veram Fidem.*

III. *Operi illi primo obedientiæ finem imponi succedente altero opere Fidei, ex altero ibidem Christi Mandato* πιστεύετε *credite.*

IV. *Opus Fidei facit trimembre.* 1. *Notitiam seu assensum.* 2. *Fiduciam Notitia analogam.* 3. *Voluntatem de liberatam Christo obediendi.*

V. *Notitiæ & Fiduciæ analogiam hanc statuit, qua Anima penitus in Christo conquiescit, quippe in quo uno reperiri queat tota salus nostra, ut unico & perfecto Salvatore, per cujus solius obedientiam salutem obtineamus, (bona verba, sed, pessima paraphrasis sequens) hoc est, cui soli obediendum est: & cujus mandatis obedire, unica & certa via est, perveniendi ad Deum & ad communionem bonorum ipsius cœlestium: Et qui solus nos sibi obediverimus, promissorum beneficiorum, puta remissionis peccatorum, immortalitatis, & vitæ æternæ potest & vult facere & reapse faciet participes.*

VI. *Animam quasi & formam Fidei facit tertium membrum illud, Voluntatem de liberatam Christo obedientiam præstandi: quando scilicet serio proposito & deliberata animi sententia, ac firmo cordis decreto, nos tradimus Domino Iesu Christo, ad reapse obediendum omnibus ipsius mandatis, & juxta illa vitam nostram componenda.*

VII. *Operi Fidei in hac Methodo succedit tertii Mandati obedientia, Praxis novæ vitæ seu bonorum operum, cum perseverantia justi temporis ad vitæ terminum usque.*

VIII. *Atque hoc demum tripartito opere successivæ obedientiæ trium mandatorum Christi, in vita ad mortem consummato, certa est exspectatio, promissæ salutis animarum & vitæ æternæ.*

IX.

IX. *Ex hac hypotheſi flagitandum à Deo cenſet agrotis etiam verè converſis, ut ipſis neceſſarium, Iuſtum vitæ tempus, quo ſucceſſivè porro operis ipſorum cœpti labor conſummetur: quod ſi non obtineatur, morientes ex Euangelio de ſalute animarum certi eſſe nequeunt.*

X. *Eſſe pernicioſum dogma, qui illis, qui vere reſipuerunt ex mandato Chriſti μετανοεῖτε, adeoque Deo ſacrificant cor verè contritum; (ſi morte præventi nequeant Fide per Charitatem operante cœptum obedientiæ curſum conſummare:) datur conſolatio illa, in converſi latronis in cruce mortui exemplo, Quod jam ſint in ſtatu gratiæ & Deum Patrem habeant in Chriſto, ac certo habituri ſint per mortem introitum in vitam æternam.*

XI. *Nullam eſſe ejuſmodi univerſalem promiſſionem Euangelicam, per quam certa ſit in cœlum migratio morientium in ſera, quamvis maxime ſeria & vera, cordis contritione & reſipiſcentia: Sed eſſe incertum ac dubium, An cum latrone illo vere converſo migrent in Paradiſum, Luc. 23. 43. an ad inferos cum iis, qui moriuntur in peccatis.*

XII. *Deum hic uti, in ſalvandis aut non ſalvandis ſero converſis libero Dominii jure: paucos eſſe tales Electos, qui cum latrone ſerventur citra & ſupra promiſſiones Euangelii. atque huc facere, quod dicit Apoſtolus, Miſeretur cujus vult, & indurat, quem vult, Rom. 9. 18. ac verba Chriſti Matth. 20. 16. de Paucis electis.*

XIII. *Movet ſcrupulum, libello de Mandatis Dei & Chriſti, parte 2. cap. 3. de non plene conſummato opere obedientiæ, cujus intuitu Chriſtus daturus ſit mercedem vitæ æternæ, ab illis vere converſis in morbo lethali, qui dum vitæ terminum exſpectant, non præcipitata morte, illos in obedientia progreſſus fecerunt, ut ex hac quam examinamus methodo in ſecundam vere obedientium Claſſem promoti ſint Credentes poſt Converſionem: Quando ex quo crediderunt, decedunt ex hac vita, antequam operi fidei potuit juſto tempore ſuccedere ad obedientiam tertii mandati Vita nova: quo caſu videtur fides ante fructificationem bonorum operum, adeoque ſine operibus, homini morienti commori, ac conſequenter nihil profutura ad promiſſiones Euangelicas obtinendas.*

XIV. *Scrupulum quem movet eximit per intrepidam aſſertionem, ſed relinquit reſpondendo per Videtur. Ac reſponſione ſua defungitur, non per Regulam, qua univerſalis & ἰσόλυτος ſit conſolatio ex Fide, omnium in vera Fide morientium, ſed per exceptionem à Regula, cujus Regula rigor*

ex-

expressiu Gal. 5. 6. & Iac. 2. 26. hoc casu scilicet temperari videtur gratiosa acceptulatione divina, qua in compensationem bonorum operum admittit firmum voluntatis propositum, preces ardentes, cordis suspiria ad Deum Professionem Christi, aliasque operationes fidei plures aut pauciores, habita ratione personarum, temporis, aliarumque circumstantiarum.

Censuræ nostræ in hanc Synopsin Practicæ Theologiæ Remonstrantium summam complectemur sequentibus Thesibus.

I. VEra μετάνοια juxta mandatum Christi, qua Deo offertur sacrificium cordis verè contriti, non potest non esse fructus regenerationis ex corde per Fidem purificato: aliàs enim peccatum esset, nec Deo placere posset, Rom. 14. 14. 23. Hebr. 11. 6. quia pollutis & infidelibus nihil est purum, sed polluta est eorum & mens & conscientia, Tit. 1. 15. Et absque Fide Deus non purificat corda, Act. 15. 9.

II. In vera μετανοίᾳ seu resipiscéntia Dolor ipse testè Apostolo 2. Cor. 7. 9. 10. 11. ita est indubitatum purificati cordis argumentum, ut dolor, qui proficiscitur ex corde non purificato, non sit dolor secundum Deum, nec μετάνοιαν efficiat, sed sit dolor mundanus, qui mortem efficit.

III. Praxin ergo veræ μετανοίας habemus recte in Catechesi Heydelbergensi descriptam, illa ipsissima mortificatione veteris & vivificatione novi hominis, quam antecedit Fides, quamvis externum Fidei actum & exercitium antevertat opus Veræ μετανοίας, puta dolor & contritio salutaris, quam excipiunt Fidei consolationes: sufficit quod naturæ ordine prior sit Fidei habitus infusus.

IV. Hinc consequens est, non imponi finem praxi resipiscentiæ, ex quo homo credidit: quia non ante, quam in homine habitet Fides, resipiscentia censeri debet vera esse.

V. Pessimæ quivocatione illuditur Christianis idiotis, ac fascina-

ſcinatio eſt, quando nomine Obedientiæ Chriſto, per quam ſolam ſalus obtinetur, & per quam nos Chriſtus reapſe facit participes ſeu compotes promiſſorum beneficiorum, remiſſionis peccatorum, immortalitatis & vitæ æternæ, intelligitur, non obedientia, qua Chriſtus Patri obediens fuit, factus ſub Lege, quam nos à Deo imputatam fide exoſculemur & apprehendamus: ſed noſtræ obedientiæ opus, quo paremus Chriſto Legiſlatori.

VI. Voluntas deliberata faciendi bona opera non ingreditur Fidem ipſam, ut pars Fidem integrans, vel Fidem informans: quia ultimatus Fidei actus eſt obſignatio illa, quod Deus verax ſit, & promiſſiones ipſius in Chriſto ſint Etiam & Amen in noſtri juſtificatione, nobis donata & imputata Chriſti Juſtitia abſque operibus Juſtitiæ, quæ fecerimus nos, Joh. 3. 33. 2. Cor. 1. 20. Tit. 3. 5. Phil. 3 9.

VII, Illa Hypotheſis, qua in Voluntate deliberata faciendi bona opera ſtatuitur tertius actus Fidei, Fidem integrans, vel informans, perimit veram ex Fide Juſtificationem ſubſtituta juſtificatione ex Juſtitia propria, operum noſtrorum, quibus ſcilicet Chriſtus Legiſlator novus mercedem ſe daturum promittit.

VIII. Promiſſiones & Conſolationes Euangelicæ ita ſunt univerſales, ut illas Chriſtus ſpondeat omnibus ad ſe venientibus: invitans abſque ulla temporis præſcriptione, aut vitæ brevioris vel longioris limitatione, ſeu præfinitione, Omnes fatigatos & oneratos Matth. 11. 28. Ac pronuncians beatos, indefinita loquutione Pauperes Spiritu, lugentes, Eſurientes ac ſitientes Juſtitiam. Matth. 5. 3. 4. 6. Denique promittens ex iis, qui ad ipſum venerint ſe neminem ejecturum foras Joh. 6. 37.

IX. Conſolationis πεόφασις inanis eſt, illa Gratiæ & Redemptionis per mortem Chriſti univerſalitate, quam faciunt Remonſtrantes ſuæ Religionis ἀκρόπολιν: Negata hac vera Gratiæ univerſalitate, quæ conſolationes univerſales præſtat morientibus in vera converſione, & Interdicta ſero quamvis ſerio converſis conſolatione Scripturarum.

X. Vera illa Gratiæ & promiſſionis Euangelicæ univerſalitas, quam Remonſtrantes negant, affirmantes Chriſtum aliquos ad ſe venientes ſera converſione, quamvis ſeria ejicere foras; Confirma-

tur

tur porro consolatione illa, qua se consolatus est David: Sacrificia Dei Spiritus contritus, cor contritum & confractum Deus non despicies, Psal. 51. 19. Quæ falleret omnino, si aliqui ex vere conversis, & sacrificantibus cor vere contrtium, ex hac vita migrarent ad inferos. Falleret quoque illud de Christo oraculum, quod consolationem habet universalem: arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non exstinguet, Matth. 12. 10. ex Esai. 42. 2.

XI. Consolationis universalitati contra scrupulum de sera in morte conversione, modo seria sit, cautum est in Scriptura Juramento divino, Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua & vivat, morientibus applicato, Nolo mortem morientis. &c. Ezech. 18. 32. cum 33. 11. Et mortem hic non præscribere solidæ consolationi morientium in vera & seria, quamvis sera, resipiscentia porro confirmant loca Rom. 14. 7. 8. 9. 1. Cor. 3. 21. 22. Rom. 8. 38. 39.

XII. Blasphemum est, quod ad vere contritos, Deoque offerentes Spiritum contritum trahitur à populo Augustæ Portæ pag. 229. dictum Apostoli. Miseretur, cujus vult & indurat, quem vult, Rom. 9. 18. Itane vero Deus indurat corda minime resipiscere nescia nec ἀμεταμέλητα, sed jam vere confracta & contrita, & ad obedientiam porro comparata, præstita jam vera obedientia primi mandati Christi?

XIII. Horrendum est, quod idem extra & supra Euangelium cudit inauditam hactenus Electionem & Reprobationem: qua Deus absolute libero Dominii jure, damnat nonnullos vere conversos, quibus ex hypothesi veræ conversionis, non potest annunciari exspectatio damnationis: ac rursum servat nonnullos, via per Euangelium non patefacta, quibus, in nomine Christi non potest annunciari exspectatio vitæ æternæ: Trahit enim in hanc sententiam locum Matth. 20. 19. Pauci Electi. Augustæ Portæ pag. 229.

XIV. Provocamus jam ad quamvis conscientiam Christianam præcisione admissa infra lapsum, serie causarum salutis & damnationis ad doctrinam Electionis & Reprobationis, (de qua præcisione ad faciliorem tractationem mysterii ardui recepta. An statua-

tur θεοπρεπῶς seu Perfectioni divinæ scientiæ & sapientiæ convenienter: Et sitne decreti æterni Objectum cum præcisione illa homo creatus & lapsurus, seu, quod in re idem est, lapsus? An Homo creabilis & labilis, salva pace disquiritur inter Orthodoxos) ne hic nobis odiose de infra lapsariis & de supra lapsariis ogganniant Remonstrantes? An Ecclesiæ Reformatæ, an vero Remonstrantium sententia, de Electione & Reprobatione mereatur illa convitiorum & blasphemiarum plaustra, quæ nusquam non illi evomunt? Cum Synodus Dordracena Electionis & Reprobationis, à decreto Creationis & permittendi lapsus præcisæ Objectum statuit Hominem peccatorem ante conversionem, in peccatis mortuum spiritualiter: Poppius autem Electionis & Reprobationis istius, quam examinamus, Objectum statuit, Peccatorem in seria resipiscentia morientem.

XV. Videant Remonstrantes, utrum malint retractare hanc ἀλλόκοτον Reprobationem quorundam, qui sero resipuerunt: An id, quod statuerunt in Synodo Dordracena Art. 1. de Prædest. pag. 5. *Reprobationis peremptoriæ ad æternum & lamentabile exitium, Objectum primum & adequatum esse omnes & solos infideles, id est, vel ab incredulitate sua desistere nolentes, vel in vera non perseverantes.* Vel explicent nobis, An qui veram μετάνοιαν operantur juxta mandatum Christi accenseri debeant iis, qui ab incredulitate sua desistere nolunt, quia scilicet hactenus noluerunt.

XVI. Si ἀκριβῶς secundum Euangelii regulam, illi tantum in Fide morientes obtinent vitam æternam; qui, ex quo crediderunt, justo tempore abfuerunt à vitæ termino, intra quod potuerunt operari, & operati sunt perseveranter obedientiam tertii mandati Christi, de vivenda vita nova. Illi autem cum exceptione à regula per ἐπιείκειαν tantum & gratiosam acceptiliationem divinam (qua ultimatum Fidei actum admittit in compensationem operis non plene consummati) qui ex quo crediderunt subita morte abripiuntur: Difformiter à morientibus in Fide obtinetur vita æterna: ab illis juxta, ab his præter Euangelii formulam.

XVII. Difformitas illa τῆς ἀκριβείας & τῆς ἐπιεικείας qua ex hypothesi difformiter vitam æternam obtinent in Fide ve-

ra morientes: nisi per καὶ ἐ subindicatam illam voluerint Remonstrantes, retractationem videtur flagitare ejus quoque assertionis, quæ in declaratione sententiæ Remonstrantium Synodica, præcessit Artic. 1. jam indicato, eadem pag. 5. *Vniformiter*, inquit, *& simpliciter statuimus juxta Euangelii ipsius formulam, Objectum divinæ & quidem peremptoriæ Electionis ad æternam gloriam primum & adæquatum esse Omnes & solos auxilio divinæ gratiæ credentes in Iesum Christum, & in fide illa vera perseverantes vel morientes.*

XVIII. Nos statuimus Deum secundum Electionis suæ propositum, omnibus salvandis Uniformiter daturum vitam æternam non alio pacto, quam solo & unico intuitu principali Meriti Christi ipsi imputati: sive moriantur infantia: sive sub veræ resipiscentiæ & conversionis initia, excesserint ex hac vita, sive regenerationi suæ justo tempore supervixerint.

XIX. Consequenter neque est solidæ consolationi credentium & resipiscentium, ex quo vere crediderunt & resipuerunt, pro Euangelii formula occinendum Ovidianum carmen illud:

Scilicet ultima semper
Exspectanda dies homini, dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Quos ex quo vere crediderunt & resipuerunt Scriptura jubet πλείως sperare in eam, quæ ad ipsos defertur gratiam in patefactione Jesu Christi, 1. Pet. 1. 13. Ac pronunciat habere fidem ἰσότιμον, 2. Pet. 1. 1. quod verum non esset, si solidior esset consolatio eorum, qui procul, quam qui prope absunt à vitæ termino: & si fieret promissæ mercedis appreciatio ad ipsorum opera, & longioris vel brevioris temporis perseverantiam.

XX. Absque ultimæ diei vitæ breviori vel longiori exspectatione, anticipari uniformiter à vere credentibus, per appreciationem non obedientię ipsorum, sed precii illius, quo redempti sunt 1. Cor. 6. 20. & 7. 25. mercedem vitæ æternæ promissam eosque ex quo crediderunt habere jam vitam æternam in se inchoatam, confirmant testimonia Scripturæ collata Joh. 6. 47. 54. 44. 5. 3. 36. Gal. 2. 20. Joh. 11. 25. 26.

XX. Contra hanc Scripturæ veritatem Poppius Θεομαχεῖ & frustra luctatur, quando in Angusta Porta, προφάσει contra

Enthusiastas disputans, qui hujus vitæ termino includunt promissiones de vita æterna, hoc agit, ut quasi Enthusiasticam evertat Fidem orthodoxam, de iis, quæ credentes in præsentis persentiscunt in cordibus, vitę æternę initis: Et ut Enthusiastę audiamus, nisi assentiamur ipsi affirmanti: *Quod merces vitæ æternæ dabitur nemini nisi iis, qui laborem obedientiæ, usque ad vitæ finem consummaverint, neque NB. alio pacto, quam iniuitu in illud ipsum plene consummatum opus, pag. 282.*

Selectarum Disputationum Theologicarum V.

DE
Bonorum Operum Meritis.

THESIS I.

DE Operum Disquisitio ad doctrinam de Hominis peccatoris coram Deo Justificatione bipartita est, juxta Papisticam distinctionem Meriti *de Congruo* & *de Condigo*. Prius tribuunt operibus Justificandi, alterum operibus Justificati: De illo disputat *Bellarminus* maxime *lib. 1. cap. 21.* De altero autem *libro 5. de Iustificatione.* Sed ita, ut fateatur *mercedem Meriti de Congruo magis deberi ex gratia, quam ex Iustitia*: ac disputare nolit an opera, quibus disponimur ad Justificationem, sint *merita proprie vel improprie dicta*: sed tantum contendat *ita esse vocanda, quoniam sic ea vocarunt omnes Latini Patres.*

II. Prima itaque est de Operum Meritis controversia Nominalis, de Meriti Nomine, qua illud notione usurpandum sit communiter de Operibus, sive ad Justificationem disponentibus Justificandum, sive quæ fiunt post Justificationem: An utrobique dicat Dignitatem operis, quæ facit operantem dignum, illic Gratia Justificationis; hic gratiæ augmento & vitæ æternæ mercede: Nam *negat Bellarminus, nullam esse in Merito de Congruo dignitatem.* Et in *summa Sylvestrina*, Meritum etiam improprie dictum est *condi-*

tio

tio faciens aliquem aliquo dignum: ex Thoma quæſt. de Veritate q. 1. art. 1. ad 2.

III. Ex Bellarmini ergo hypotheſi *Mereri* Latine ſemper ſignificat ſaltem ἀξιῶσθαι & *Meritum* ἀξίαν. Quod ſecus ſe habere notavit Caſaubonus ad C. *Plinii Epiſt. 8. lib. 1.* apud quem Mereri ſignificat nude τυγχάνειν conſequi: dicitur enim *gloriam non meruiſſe, factum pulchrum* gloria dignum, *ſi gloria caſu aliquo non ſequatur.* Et notavit Jac. Capellus ex *Sidonio Apollinari lib. 8. ep. 9.*

Qui dum nil merior, preceſque fruſtra
Impende, Melibæus eße cœpi.

IV. Nuda illa τῦ τυγχάνειν ſignificatione etiam voce Merendi uſos Latinos Patres, evidens eſt ſaltem ex *Precibus veterum Eccleſiaſticis à Caſſandro editis, Colon. fol. 5. Dominica 2. Rom. 4. Mediol. Concede nobis ut ſicut eum* (Ieſum Chriſtum) *per virginis partum in forma noſtri corporis meruimus habere participem; ita & in regno gratiæ ejus mereamur eße conſortes.* &c. Et ipſa Romana Eccleſia canit, *Felicem Adami culpam*, fuiſſe, *quæ talem meruit habere Redemptorem.*

V. Alia etiam ſignificatione Latinorum Patrum antiquiſſimus Tertullianus nonnunquam dixit *Promereri* & *Demereri* nude pro Placere & offenſam cavere: vis *in Apologetico, Edocebantur de Promerendo Deo & non offendendo, edit. Rhenani pag. 650. Ad Cæſarem promerendum & operam & ſpem ſuam transfert, pag. 656. Qui hæc mandat ipſius eſt, cui timendo & demerendo procurat: adverſus Marcion. lib. 4. pag. 283. Illum conſtituens promerendum quem intentat trimendum. adverſus Marcion. lib. 5. pag. 342.*

VI. Enimvero ne Græco quidem voce ἀξιῶσθαι in Scripturis is expreſſa, operis boni dignitatem, atqui ex Bellarmini mente intellectum Meritum deſignati evidens eſt Luc. 20. 35. & 21. 36. Act. 5. 41. ubi ſolam dignationem divinam intelligendam & res ipſa loquitur, & Latino Veteri interpreti intellectam liquet, quod religioſe ſemper vertere *dignum haberi*, nunquam *mereri*. Quapropter quamvis præferenda ſit in loco ad Hebr. 13. ab ipſo Bellarmino laudata *Oecumenii* expoſitio, *Talibus hoſtiis placetur Deo*: præ illa Veteris interpretis; *Talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Tamen credere malumus ita vertiſſe phraſi jam ex Tertulliano notata

Pro-

XXIX. Demonstrata ab Adamo ad Christum perpetua Sacramentorum visibilium connexione cum instituto & imperato divinitus cultu: qua cumulatum fuit Verbum promissionis Gratiæ Justificantis & Sanctificantis: Asserimus facere omnino ad necessariam amplitudinem Gratiæ Novi Testamenti, ut non destituta esset suis sacramentis, prædicationi verbi usque ad finem mundi annexis, Institutio Religionis Christianæ. Ac concludimus, quamvis Antiquatis Veteribus Sacramentis, non potuisse nec debuisse antiquari Sacramentorum & Sigillorum usum: Neque pro Sacramentis in Christianam Religionem traductos esse veteres ab Hebræis aut Gentibus ritus, ut tandem illi quoque antiquarentur εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει, Col. 2. 22. Sed ritus qui censentur carnaliter veteres, nova Sacramenti institutione dedicatos & Circumcisioni ac Paschati substitutos usque ad finem mundi, definito imperio.

Selectarum Disputationum Theologicarum V.

Synopsis Theologiæ Practicæ Remonstrantium,

DE

Vera Obedientia Mandatorum Christi.

THESIS I.

AD Examen Theologiæ Practicæ Remonstrantium dabimus primo ejus summa capita collecta ex operibus Practicis Eduardi Poppii Remonstrantium primipili vernacule editis: in quibus primum est Corpus Homiliarum titulo Augustæ Portæ, editum Goudæ An. 1616. ad quod accessit appendix posthuma, Ann. 1624. alterum est Consolatio ægrotorum, edita An. 1625. tertium est Enchiridion, de Mandatis Dei & Jesu Christi, quibus Christianus quisque tenetur obedire, ut salvus fiat, editum An. 1627. ex quibus præmissa synopsi, subnectemus quoque Censuræ

ſyræ prolixioris vernaculè à nobis editæ An. 1627. ſummam.

Synopſis Theologiæ Practicæ Remonſtrantium.

I. *Tripartitam facit Poppius obedientiam veram mandatorum Chriſti,* 1. μετάνοιαν *ſeu reſipiſcentiam.* 2. *Fidem.* 3. *Vitam novam.*

II. *Veram* μετάνοιαν *ex illo Chriſti mandato* μετανοεῖτε Marc. 1. 15. *præſtitam, cenſet nequaquam eſſe fructum regenerationis, quem producit Spiritus Fidei: ſed eſſe hominis irregeniti opus ſe præparantis & diſponentis ad veram Fidem.*

III. *Operi illi primo obedientiæ finem imponi ſuccedente altero opere Fidei, ex altero ibidem Chriſti Mandato* πιστεύετε *credite.*

IV. *Opus Fidei facit trimembre.* 1. *Notitiam ſeu aſſenſum.* 2. *Fiduciam Notitia analogam.* 3. *Voluntatem de liberatam Chriſto obediendi.*

V. *Notitiæ & Fiduciæ analogiam hanc ſtatuit, qua Anima penitus in Chriſto conquieſcit, quippe in quo uno reperiri queat tota ſalus noſtra, ut unico & perfecto Salvatore, per cujus ſolius obedientiam ſalutem obtineamus, (bona verba, ſed, peſſima paraphraſis ſequens) hoc eſt, cui ſoli obediendum eſt: & cujus mandatis obedire, unica & certa via eſt, perveniendi ad Deum & ad communionem bonorum ipſius cœleſtum: Et qui ſolus nos ſi ipſi obediverimus, promiſſorum beneficiorum, puta remiſſionis peccatorum, immortalitatis, & vitæ æternæ poteſt & vult facere & reapſe faciet participes.*

VI. *Animam quaſi & formam Fidei facit tertium membrum illud, Voluntatem de liberatam Chriſto obedientiam præſtandi: quando ſcilicet ſerio propoſito & deliberata animi ſententia, ac firmo cordis decreto, nos tradimus Domino Ieſu Chriſto, ad reapſe obediendum omnibus ipſius mandatis, & juxta illa vitam noſtram componenda.*

VII. *Operi Fidei in hac Methodo ſuccedit tertii Mandati obedientia, Praxis novæ vitæ ſeu bonorum operum, cum perſeverantia juſti temporis ad vitæ terminum uſque.*

VIII. *Atque hoc demum tripartito opere ſucceſſivæ obedientiæ trium mandatorum Chriſti, in vita ad mortem conſummato, certa eſt exſpectatio, promiſſæ ſalutis animarum & vitæ æternæ.*

IX.

IX. *Ex hac hypotheſi flagitandum à Deo cenſet agrotis etiam verè converſis, ut ipſis neceſſarium, Iuſtum vitæ tempus, quo ſucceſſivè porro operis ipſorum cœpti labor conſummetur: quod ſi non obtineatur, morientes ex Euangelio de ſalute animarum certi eſſe nequeunt.*

X. *Eſſe pernicioſum dogma, qui illis, qui vere reſipuerunt ex mandato Chriſti μετανοεῖτε, adeoque Deo ſacrificant cor verè contritum; (ſi morte præventi nequeant Fide per Charitatem operante cœptum obedientiæ curſum conſummare:) datur conſolatio illa, in converſi latronis in cruce mortui exemplo, Quod jam ſint in ſtatu gratiæ & Deum Patrem habeant in Chriſto, ac certo habituri ſint per mortem introitum in vitam æternam.*

XI. *Nullam eſſe ejuſmodi univerſalem promiſſionem Euangelicam, per quam certa ſit in cœlum migratio morientium in ſera, quamvis maxime ſeria & vera, cordis contritione & reſipiſcentia: Sed eſſe incertum ac dubium, An cum latrone illo vere converſo migrent in Paradiſum, Luc. 23. 43. an ad inferos cum iis, qui moriuntur in peccatis.*

XII. *Deum hic uti, in ſalvandis aut non ſalvandis ſero converſis libero Dominii jure: paucos eſſe tales Electos, qui cum latrone ſerventur citra & ſupra promiſſiones Euangelii. atque huc facere, quod dicit Apoſtolus, Miſeretur cujus vult, & indurat, quem vult, Rom. 9. 18. ac verba Chriſti Matth. 20. 16. de Paucis electis.*

XIII. *Movet ſcrupulum, libello de Mandatis Dei & Chriſti, parte 2. cap. 3. de non plene conſummato opere obedientiæ, cujus intuitu Chriſtus daturus ſit mercedem vitæ æternæ, ab illis vere converſis in morbo lethali, qui dum vitæ terminum exſpectant, non præcipitata morte, illos in obedientia progreſſus fecerunt, ut ex hac quam examinamus methodo in ſecundam vere obedientium Claſſem promoti ſint Credentes poſt Converſionem: Quando ex quo crediderunt, decedunt ex hac vita, antequam operi fidei potuit juſto tempore ſuccedere ad obedientiam tertii mandati Vita nova: quo caſu videtur fides ante fructificationem bonorum operum, adeoque ſine operibus, homini morienti commori, ac conſequenter nihil profutura ad promiſſiones Euangelicas obtinendas.*

XIV. *Scrupulum quem movet eximit per intrepidam aſſertionem, ſed relinquit reſpondendo per Videtur. Ac reſponſione ſua defungitur, non per Regulam, qua univerſalis & ἰσοδυναμος ſit conſolatio ex Fide, omnium in vera Fide morientium, ſed per exceptionem à Regula, cujus Regulæ rigor*

ex-

expressiu Gal. 5. 6. & Iac. 2. 26. hoc casu scilicet temperari videtur gratiosa acceptilatione divina, qua in compensationem bonorum operum admittit firmum voluntatis propositum, preces ardentes, cordis suspiria ad Deum Professionem Christi, aliasque operationes fidei plures aut pauciores, habita ratione personarum, temporis, aliarumque circumstantiarum.

Censuræ nostræ in hanc Synopsin Practicæ Theologiæ Remonstrantium summam complectemur sequentibus Thesibus.

I. VEra μετάνοια juxta mandatum Christi, qua Deo offertur sacrificium cordis verè contriti, non potest non esse fructus regenerationis ex corde per Fidem purificato: aliàs enim peccatum esset, nec Deo placere posset, Rom. 14. 14. 23. Hebr. 11. 6. quia pollutis & infidelibus nihil est purum, sed polluta est eorum & mens & conscientia, Tit. 1. 15. Et absque Fide Deus non purificat corda, Act. 15. 9.

II. In vera μετανοίᾳ seu resipiscentia Dolor ipse teste Apostolo 2. Cor. 7. 9. 10. 11. ita est indubitatum purificati cordis argumentum, ut dolor, qui proficiscitur ex corde non purificato, non sit dolor secundum Deum, nec μετάνοιαν efficiat, sed sit dolor mundanus, qui mortem efficit.

III. Praxin ergo veræ μετανοίας habemus recte in Catechesi Heydelbergensi descriptam, illa ipsissima mortificatione veteris & vivificatione novi hominis, quam antecedit Fides, quamvis externum Fidei actum & exercitium antevertat opus Veræ μετανοίας, puta dolor & contritio salutaris, quam excipiunt Fidei consolationes: sufficit quod naturæ ordine prior sit Fidei habitus infusus.

IV. Hinc consequens est, non imponi finem praxi resipiscentiæ, ex quo homo credidit: quia non ante, quam in homine habitet Fides, resipiscentia censeri debet vera esse.

V. Pessimæ quivocatione illuditur Christianis idiotis, ac fascina-

ſcinatio eſt, quando nomine Obedientiæ Chriſto, per quam ſolam ſalus obtinetur, & per quam nos Chriſtus reapſe facit participes ſeu compotes promiſſorum beneficiorum, remiſſionis peccatorum, immortalitatis & vitæ æternæ, intelligitur, non obedientia, qua Chriſtus Patri obediens fuit, factus ſub Lege, quam nos à Deo imputatam fide exoſculemur & apprehendamus: ſed noſtræ obedientiæ opus, quo paremus Chriſto Legiſlatori.

VI. Voluntas deliberata faciendi bona opera non ingreditur Fidem ipſam, ut pars Fidem integrans, vel Fidem informans: quia ultimatus Fidei actus eſt obſignatio illa, quod Deus verax ſit, & promiſſiones ipſius in Chriſto ſint Etiam & Amen in noſtri juſtificatione, nobis donata & imputata Chriſti Juſtitia abſque operibus Juſtitiæ, quæ fecerimus nos, Joh. 3. 33. 2. Cor. 1. 20. Tit. 3. 5. Phil. 3. 9.

VII, Illa Hypotheſis, qua in Voluntate deliberata faciendi bona opera ſtatuitur tertius actus Fidei, Fidem integrans, vel informans, perimit veram ex Fide Juſtificationem ſubſtituta juſtificatione ex Juſtitia propria, operum noſtrorum, quibus ſcilicet Chriſtus Legiſlator novus mercedem ſe daturum promittit.

VIII. Promiſſiones & Conſolationes Euangelicæ ita ſunt univerſales, ut illas Chriſtus ſpondeat omnibus ad ſe venientibus: invitans abſque ulla temporis præſcriptione, aut vitæ brevioris vel longioris limitatione, ſeu præfinitione, Omnes fatigatos & oneratos Matth. 11. 28. Ac pronuncians beatos, indefinita loquutione Pauperes Spiritu, lugentes, Eſurientes ac ſitientes Juſtitiam. Matth. 5. 3. 4. 6. Denique promittens ex iis, qui ad ipſum venerint ſe neminem ejecturum foras Joh. 6. 37.

IX. Conſolationis πρόφασις inanis eſt, illa Gratiæ & Redemptionis per mortem Chriſti univerſalitate, quam faciunt Remonſtrantes ſuæ Religionis ἀκρόπολιν: Negata hac vera Gratiæ univerſalitate, quæ conſolationes univerſales præſtat morientibus in vera converſione, & Interdicta ſero quamvis ſerio converſis conſolatione Scripturarum.

X. Vera illa Gratiæ & promiſſionis Euangelicæ univerſalitas, quam Remonſtrantes negant, affirmantes Chriſtum aliquos ad ſe venientes ſera converſione, quamvis ſeria ejicere foras; Confirma-

tur

tur porro consolatione illa, qua se consolatus est David: Sacrificia Dei Spiritus contritus, cor contritum & confractum Deus non despicies, Psal. 51. 19. Quæ falleret omnino; si aliqui ex vere conversis, & sacrificantibus cor vere contrtium, ex hac vita migrarent ad inferos. Falleret quoque illud de Christo oraculum, quod consolationem habet universalem: arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non exstinguet, Matth. 12. 10. ex Esai. 42. 2.

XI. Consolationis universalitati contra scrupulum de sera in morte conversione, modo seria sit, cautum est in Scriptura Juramento divino, Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua & vivat, morientibus applicato, Nolo mortem morientis. &c. Ezech. 18. 32. cum 33. 11. Et mortem hic non præscribere solidæ consolationi morientium in vera & seria, quamvis sera, resipiscentia porro confirmant loca Rom. 14. 7. 8. 9. 1. Cor. 3. 21. 22. Rom. 8. 38. 39.

XII. Blasphemum est, quod ad vere contritos, Deoque offerentes Spiritum contritum trahitur à populo Augustæ Portæ pag. 229. dictum Apostoli. Miseretur, cujus vult & indurat, quem vult, Rom. 9. 18. Itane vero Deus indurat corda minime resipiscere nescia nec ἀμεταμέλητα, sed jam vere confracta & contrita, & ad obedientiam porro comparata, præstita jam vera obedientia primi mandati Christi?

XIII. Horrendum est, quod idem extra & supra Euangelium cudit inauditam hactenus Electionem & Reprobationem: qua Deus absolute libero Dominii jure, damnat nonnullos vere conversos, quibus ex hypothesi veræ conversionis, non potest annunciari exspectatio damnationis: ac rursum servat nonnullos, via per Euangelium non patefacta, quibus, in nomine Christi non potest annunciari exspectatio vitæ æternæ: Trahit enim in hanc sententiam locum Matth. 20. 19. Pauci Electi. Angustæ Portæ pag. 229.

XIV. Provocamus jam ad quamvis conscientiam Christianam præcisione admissa infra lapsum, serie causarum salutis & damnationis ad doctrinam Electionis & Reprobationis, (de qua præcisione ad faciliorem tractationem mysterii ardui recepta. An statua-

tur θεοπρεπῶς seu Perfectioni divinæ scientiæ & sapientiæ convenienter: Et sitne decreti æterni Objectum cum præcisione illa homo creatus & lapsurus, seu, quod in re idem est, lapsus? An Homo creabilis & labilis, salva pace disquiritur inter Orthodoxos) ne hic nobis odiose de infra lapsariis & de supra lapsariis ogganniant Remonstrantes? An Ecclesiæ Reformatæ, an vero Remonstrantium sententia, de Electione & Reprobatione mereatur illa convitiorum & blasphemiarum plaustra, quæ nusquam non illi evomunt? Cum Synodus Dordracena Electionis & Reprobationis, à decreto Creationis & permittendi lapsus præcisæ Objectum statuit Hominem peccatorem ante conversionem, in peccatis mortuum spiritualiter: Poppius autem Electionis & Reprobationis istius, quam examinamus, Objectum statuit, Peccatorem in seria resipiscentia morientem.

XV. Videant Remonstrantes, utrum malint retractare hanc ἀλλόκοτον Reprobationem quorundam, qui sero resipuernnt: An id, quod statuerunt in Synodo Dordracena Art. 1. de Prædest. pag. 5. *Reprobationis peremptoriæ ad æternum & lamentabile exitium, Objectum primum & adæquatum esse omnes & solos infideles, id est, vel ab incredulitate sua desistere nolentes, vel in vera non perseverantes.* Vel explicent nobis, An qui veram μετάνοιαν operantur juxta mandatum Christi accenseri debeant iis, qui ab incredulitate sua desistere nolunt, quia scilicet hactenus noluerunt.

XVI. Si ἀκριβῶς secundum Euangelii regulam, illi tantum in Fide morientes obtinent vitam æternam; qui, ex quo crediderunt, justo tempore abfuerunt à vitæ termino, intra quod potuerunt operari, & operati sunt perseveranter obedientiam tertii mandati Christi, de vivenda vita nova. Illi autem cum exceptione à regula per ἐπιείκειαν tantum & gratiosam acceptiliationem divinam (qua ultimatum Fidei actum admittit in compensationem operis non plene consummati) qui ex quo crediderunt subita morte abripiuntur: Differmiter à morientibus in Fide obtinetur vita æterna: ab illis juxta, ab his præter Euangelii formulam.

XVII. Differmitas illa τῆς ἀκριβείας & τῆς ἐπιεικείας qua ex hypothesi differmiter vitam æternam obtinent in Fide ve-

ra morientes: nisi per καὶ ἐγ ὑ subindicatam illam voluerint Remonstrantes, retractationem videtur flagitare ejus quoque assertionis, quæ in declaratione sententiæ Remonstrantium Synodica, præcessit Artic. 1. jam indicato, eadem pag. 5. *Vniformiter*, inquit, *& simpliciter statuimus juxta Euangelii ipsius formulam, Objectum divinæ & quidem peremptoriæ Electionis ad æternam gloriam primum & adæquatum esse Omnes & solos auxilio divinæ gratiæ credentes in Iesum Christum, & in fide illa vera perseverantes vel morientes.*

XVIII. Nos statuimus Deum secundum Electionis suæ propositum, omnibus salvandis Uniformiter daturum vitam æternam non alio pacto, quam solo & unico intuitu principali Meriti Christi ipsi imputati: sive moriantur infantia: sive sub veræ resipiscentiæ & conversionis initia, excesserint ex hac vita, sive regenerationi suæ justo tempore supervixerint.

XIX. Consequenter neque est solidæ consolationi credentium & resipiscentium, ex quo vere crediderunt & resipuerunt, pro Euangelii formula occinendum Ovidianum carmen illud:

Scilicet ultima semper
Exspectanda dies homini, dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Quos ex quo vere crediderunt & resipuerunt Scriptura jubet πλείως sperare in eam, quæ ad ipsos defertur gratiam in patefactione Jesu Christi, 1. Pet. 1. 13. Ac pronunciat habere fidem ἰσότιμον, 2. Pet. 1. 1. quod verum non esset, si solidior esset consolatio eorum, qui procul, quam qui prope absunt à vitæ termino: & si fieret promissæ mercedis appreciatio ad ipsorum opera, & longioris vel brevioris temporis perseverantiam.

XX. Absque ultimæ diei vitæ breviori vel longiori exspectatione, anticipari uniformiter à vere credentibus, per appreciationem non obedientię ipsorum, sed precii illius, quo redempti sunt 1. Cor. 6. 20. & 7. 25. mercedem vitæ æternæ promissam eosque ex quo crediderunt habere jam vitam æternam in se inchoatam, confirmant testimonia Scripturæ collata Joh. 6. 47. 54. 44. 5. 3. 36. Gal. 2. 20. Joh. 11. 25. 26.

XX. Contra hanc Scripturæ veritatem Poppius θεομαχεῖ & frustra luctatur, quando in Angusta Porta, προφάσει contra

tio faciens aliquem aliquo dignum: ex Thoma quæst. de Veritate q. 1. art. 1. ad 2.

III. Ex Bellarmini ergo hypothesi *Mereri* Latine semper significat saltem ἀξιῶσθαι & *Meritum* ἀξίαν. Quod secus se habere notavit Casaubonus ad C. *Plinii Epist. 8. lib. 1.* apud quem Mereri significat nude τυγχάνειν consequi: dicitur enim *gloriam non meruisse, factum pulchrum* gloria dignum, *si gloria casu aliquo non sequatur.* Et notavit Jac. Capellus ex *Sidonio Apollinari lib. 8. ep. 9.*

Qui dum nil merior, precesque frustra
Impende, Melibœus ebe cœpi.

IV. Nuda illa τῷ τυγχάνειν significatione etiam voce Merendi usos Latinos Patres, evidens est saltem ex *Precibus veterum Ecclesiasticis à Cassandro editis, Colon. fol. 5. Dominica 2. Rom. 4. Mediol. Concede nobis ut sicut eum* (Iesum Christum) *per virginis partum in forma nostri corporis meruimus habere participem; ita & in regno gratiæ ejus mereamur esse consortes.* &c. Et ipsa Romana Ecclesia canit, *Felicem Adami culpam*, fuisse, *quæ talem meruit habere Redemptorem.*

V. Alia etiam significatione Latinorum Patrum antiquissimus Tertullianus nonnunquam dixit *Promereri* & *Demereri* nude pro Placere & offensam cavere: vis *in Apologetico, Edocebantur de Promerendo Deo & non offendendo, edit. Rhenanti pag. 650. Ad Cæsarem promerendum & operam & spem suam transfert, pag. 656. Qui hæc mandat ipsius est, cui timendo & demerendo procurat: adversus Marcion. lib. 4. pag. 283. Illum constituens promerendum quem intentat trimendum. adversus Marcion. lib. 5. pag. 342.*

VI. Enimvero ne Græco quidem voce ἀξιώσθαι in Scripturis is expressa, operis boni dignitatem, atqui ex Bellarmini mente intellectum Meritum designati evidens est Luc. 20. 35. & 21. 36. Act. 5. 41. ubi solam dignationem divinam intelligendam & res ipsa loquitur, & Latino Veteri interpreti intellectam liquet, quod religiose semper vertere *dignum haberi*, nunquam *mereri*. Quapropter quamvis præferenda sit in loco ad Hebr. 13. ab ipso Bellarmino laudata *Oecumenii* expositio, *Talibus hostiis placetur Deo*: præ illa Veteris interpretis; *Talibus enim hostiis promeretur Deus.* Tamen credere malumus ita vertisse phrasi jam ex Tertulliano notata

Pro-

Promerere pro *Placere*, quam phrasi Pontificia *Promereri* pro *Conciliari.*

VII. Succedit jam Controversia Realis, quam ad Compendium Disputationis non juxta Pontificiam μεθοδείαν πᾶς πλάνης persequemur: sed nervos erroris incidemus sequentibus hypothesibus, quibus de Nomine & Re Meriti explicabimus, quid secundum Scripturas sentiendum sit. *Nomen* itaque *Meriti* notione Dignitatis acceptum, quomodo *in malam partem* accipiendum fatemur, *in bonam partem* non diffitemur æquippollenter in Scripturis exstare, nominatim loco illo *Rom.* 4. *Ei qui operatur merces, non imputatur secundum gratiam, sed ex debito*: Verum pernegamus ulla Scripturæ auctoritate Meritum illud asseri aut vindicari posse Bonis operibus cujusquam meri homiuis, sed solius Christi operibus & Justitiæ asserendum & vindicandum esse, affirmamus.

VIII. Meritum illud, quo operanti merces non imputatur secundum gratiam, sed ex debito; quod uni & soli Christo asserimus absolute; ex hypothesi quoque tribuimus Adamo primo, si in Federe operum perseveranter justitiam Lege præscriptam implesset, sic tamen ut Mercedi vitæ æternæ futurum esset ἀνάρροπον quidem, hoc est, ut illam daret Deus intuitu operis plene consumati; sed non ἰσόρροπον, hoc est, non æquivalenter appreciatum sua intrinseca dignitate mercedi promissæ.

IX. Quamvis ergo in Merito illo juxta Apostolum. Gratiâ Euangelice intellectâ, Merces operanti non imputetur ex Gratia, & falsum sit, quod Bellarminus ex illo loco extorquere conatur, de altero Merito & Mercede ex congruo, altero ex condigno: *de Justif. lib.* 1. c. 21. Quia mens Apostoli est, Imputationem mercedis ex gratia indebitam asserere, quæ absolute Meritum destruit: Attamen, laxius sumpto Gratiæ vocabulo, recte ab *Augustino* dictum *in Enchirido cap.* 106. *Ne in statu quidem naturæ integræ potuisset homo sine Gratia mereri vitam æternam.*

X. Debitum ergo illud, ex quo, imputata operanti mercede, existit Meritum operis, intelligendum est ex hypothesi Federis & liberalis promissionis, qua se operanti debitorem facit Deus; Extra quam hypothesin Meritum operis humani est Non Ens: Quod evin-

evincitur tribus illis Meriti conditionibus. 1. Ut qui meriturus sit, ipse operetur de suo, nihil acceptum ferens illi, cui operatur. 2. ut neque opus debitum sit ulla præcedenti obligatione. 3. ut utilitatem illi afferat, cui præstatur. Istarum conditionum nulla statui potest in creatura: adeo ut de ipso Christo, ut Homine non male scripserit *Calvinus Inst. lib. 2. cap. 17. §. 1. & lib. 3. c. 11. §. 12. Si quis simpliciter & per se Christum opponere vellet Iudicio Dei, non fore Merito locum, quia non reperetur in homine dignitas, quæ possit Deum promereri, &c.*

XI. Illam ergo Meriti ideam esse Non Ens, confirmat Christus, docens Dominum non habere gratiam servo illi, qui fecit, quæ præcepta fuerunt: atque eo pacto homini cum fecerit omnia, quæ præcepta sunt illi, dicendum esse, *Servus inutilis sum, nam quod debui facere feci.* Luc. 17. 9. 10. quibus parallela sunt ista: *Quis prior dedit ei? & retribuetur ei?* Rom. 11. 35. Quando mercedem largitur Dominus, absque operis ad mercedem appreciatione, *de suo facit quod vult?* Matth. 20. 15. *Si justus es, quid das illi? aut quid è manu tua accipit?* Job. 35. 7. *Bonum meum non pervenit ad te,* Ps. 16. 2.

XII. Quamvis hoc largiantur nobis, qui existimant *Opera bona,* etiam quæ censent ex condigno mereri, *non esse ex condigno meritoria ratione operis, sed tantum ratione pacti & acceptationis divinæ:* Tamen teste *Bellarmino lib. de Iustif. 5. cap. 17. Non desunt, qui censeant opera bona justorum esse meritoria vitæ æternæ ex condigno ratione operis, etiamsi nulla exstaret divina conventio. Ita enim,* inquit, *docet Cajetanus in 1. 2. quæst. 114. Art. 3. & idem videtur sensisse Dominicus à Soto lib. 3. de natura & gratia cap. 7.* Et *Bellarminus* ipse sententiam mediam sic tuetur, ut statuat *sine pacto & sine acceptatione habere opus bonum proportionem ad vitam æternam, & esse par & æquale mercedi, quamvis Deus non teneatur acceptare ad illam mercedem, nisi conventio interveniat. Quæ διαφόρησις* contradicunt confessioni *Cosseri, Tantam esse magnitudinem bonorum cœlestium, ut quantumcunque magna & ardua vel facias vel patiaris nihil dignum illis æstimari debeat:* unde *B. Apostolus Rom. 8. 18. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, Cost. Enchir. c. 7.* Neque serio potuit Bellarminus ita sentiens *ex Iob. 35. 7. & Rom. 11. 35.* Cajetanum refutasse *capite 14. Rat. 2.* Neque elabi potest, quin

IX. *Ex hac hypothesi flagitandum à Deo censet ægrotis etiam verè conversis, ut ipsis necessarium, Iustum vitæ tempus, quo successivè porro operis ipsorum cœpti labor consummetur: quod si non obtineatur, morientes ex Euangelio de salute animarum certi esse nequeunt.*

X. *Esse pernicioſum dogma, qui illis, qu vere respuerunt ex mandato Christi μετανοεῖτε, adeoque Deo sacrificant cor verè contritum; (si morte præventi nequeant Fide per Charitatem operante cœptum obedientiæ cursum consummare:) datur consolatio illa, in converſi latronis in cruce mortui exemplo, Quod jam sint in statu gratiæ & Deum Patrem habeant in Christo, ac certo habituri sint per mortem introitum in vitam æternam.*

XI. *Nullam esse ejusmodi universalem promissionem Euangelicam, per quam certa sit in cœlum migratio morientium in sera, quamvis maxime seria & vera, cordis contritione & resipiscentia: Sed esse incertum ac dubium, An cum latrone illo vere converso migrent in Paradisum, Luc. 23. 43. an ad inferos cum iis, qui moriuntur in peccatis.*

XII. *Deum hic uti, in salvandis aut non salvandis sero converſis libero Dominii jure: paucos esse tales Electos, qui cum latrone serventur citra & supra promissiones Euangelii. atque huc facere, quod dicit Apostolus, Miseretur cujus vult, & indurat, quem vult, Rom. 9. 18. ac verba Christi Matth. 20. 16. de Paucis electis.*

XIII. *Movet scrupulum, libello de Mandatis Dei & Christi, parte 2. cap. 3. de non plene consummato opere obedientiæ, cujus intuitu Christus daturus sit mercedem vitæ æternæ, ab illis vere converſis in morbo lethali, qui dum vitæ terminum exspectant, non præcipitata morte, illos in obedientia progressus fecerunt, ut ex hac quam examinamus methodo in secundam vere obedientium Classem promoti sint Gredentes post Converſionem: Quando ex quo credidernnt, decedunt ex hac vita, antequam operi fidei potuit justo tempore succedere ad obedientiam tertii mandati Vita nova: quo casu videtur fides ante fructificationem bonorum operum, adeoque sine operibus, homini morienti commori, ac consequenter nihil profutura ad promiſſiones Euangelicas obtinendas.*

XIV. *Scrupulum quem movet eximit per intrepidam assertionem, sed relinquit respondendo per Videtur. Ac responsione sua defungitur, non per Regulam, qua universalis & ἰσόλυτος sit consolatio ex Fide, omnium in vera Fide morientium, sed per exceptionem à Regula, cujus Regulæ rigor*

ex-

expressius Gal. 5. 6. & Tit. 2. 26. hoc casu scilicet temperari videtur gratiosa acceptilatione divina, qua in compensationem bonorum operum admittit firmum voluntatis propositum, preces ardentes, cordis suspiria ad Deum Professionem Christi, aliasque operationes fidei plures aut pauciores, habita ratione personarum, temporis, aliarumque circumstantiarum.

Censuræ nostræ in hanc Synopsin Practicæ Theologiæ Remonstrantium summam complectemur sequentibus Thesibus.

I. VEra μετάνοια juxta mandatum Christi, qua Deo offertur sacrificium cordis verè contriti, non potest non esse fructus regenerationis ex corde per Fidem purificato: aliàs enim peccatum esset, nec Deo placere posset, Rom. 14. 14. 23. Hebr. 11. 6. quia pollutis & infidelibus nihil est purum, sed polluta est eorum & mens & conscientia, Tit. 1. 15. Et absque Fide Deus non purificat corda, Act. 15. 9.

II. In vera μετανοίᾳ seu resipiscentia Dolor ipse teste Apostolo 2. Cor. 7. 9. 10. 11. ita est indubitatum purificati cordis argumentum, ut dolor, qui proficiscitur ex corde non purificato, non sit dolor secundum Deum, nec μετάνοιαν efficiat, sed sit dolor mundanus, qui mortem efficit.

III. Praxin ergo veræ μετανοίας habemus recte in Catechesi Heydelbergensi descriptam, illa ipsissima mortificatione veteris & vivificatione novi hominis, quam antecedit Fides, quamvis externum Fidei actum & exercitium antevertat opus Veræ μετανοίας, puta dolor & contritio salutaris, quam excipiunt Fidei consolationes: sufficit quod naturæ ordine prior sit Fidei habitus infusus.

IV. Hinc consequens est, non imponi finem praxi resipiscentiæ, ex quo homo credidit: quia non ante, quam in homine habitet Fides, resipiscentia censeri debet vera esse.

V. Pessimaæ quivocatione illuditur Christianis idiotis, ac fascina-

ſciñatio eſt, quando nomine Obedientiæ Chriſto, per quam ſolam ſalus obtinetur, & per quam nos Chriſtus reapſe facit participes ſeu compotes promiſſorum beneficiorum, remiſſionis peccatorum, immortalitatis & vitæ æternæ, intelligitur, non obedientia, qua Chriſtus Patri obediens fuit, factus ſub Lege, quam nos à Deo imputatam fide exoſculemur & apprehendamus: ſed noſtræ obedientiæ opus, quo paremus Chriſto Legiſlatori.

VI. Voluntas deliberata faciendi bona opera non ingreditur Fidem ipſam, ut pars Fidem integrans, vel Fidem informans: quia ultimatus Fidei actus eſt obſignatio illa, quod Deus verax ſit, & promiſſiones ipſius in Chriſto ſint Etiam & Amen in noſtri juſtificatione, nobis donata & imputata Chriſti Juſtitia abſque operibus Juſtitiæ, quæ fecerimus nos, Joh. 3. 33. 2. Cor. 1. 20. Tit. 3. 5. Phil. 3 9.

VII, Illa Hypotheſis, qua in Voluntate deliberata faciendi bona opera ſtatuitur tertius actus Fidei, Fidem integrans, vel informans, perimit veram ex Fide Juſtificationem ſubſtituta juſtificatione ex Juſtitia propria, operum noſtrorum, quibus ſcilicet Chriſtus Legiſlator novus mercedem ſe daturum promittit.

VIII. Promiſſiones & Conſolationes Euangelicæ ita ſunt univerſales, ut illas Chriſtus ſpondeat omnibus ad ſe venientibus: invitans abſque ulla temporis præſcriptione, aut vitæ brevioris vel longioris limitatione, ſeu præfinitione, Omnes fatigatos & oneratos Matth. 11. 28. Ac pronuncians beatos, indefinita loquutione Pauperes Spiritu, lugentes, Eſurientes ac ſitientes Juſtitiam. Matth. 5. 3. 4. 6. Denique promittens ex iis, qui ad ipſum venerint ſe neminem ejecturum foras Joh. 6. 37.

IX. Conſolationis πεόφασις inanis eſt, illa Gratiæ & Redemptionis per mortem Chriſti univerſalitate, quam faciunt Remonſtrantes ſuæ Religionis ἀκρόπολιν: Negata hac vera Gratiæ univerſalitate, quæ conſolationes univerſales præſtat morientibus in vera converſione, & Interdicta ſero quamvis ſerio converſis conſolatione Scripturarum.

X. Vera illa Gratiæ & promiſſionis Euangelicæ univerſalitas, quam Remonſtrantes negant, affirmantes Chriſtum aliquos ad ſe venientes ſera converſione, quamvis ſeria ejicere foras; Confirma-

tur

tur porro consolatione illa, qua se consolatus est David: Sacrificia Dei Spiritus contritus, cor contritum & confractum Deus non despicies, Psal. 51. 19. Quæ falleret omnino, si aliqui ex vere conversis, & sacrificantibus cor vere contrtium, ex hac vita migrarent ad inferos. Falleret quoque illud de Christo oraculum, quod consolationem habet universalem: arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non exstinguet, Matth. 12. 10. ex Esai. 42. 2.

XI. Consolationis universalitati contra scrupulum de sera in morte conversione, modo seria sit, cautum est in Scriptura Juramento divino, Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua & vivat, morientibus applicato, Nolo mortem morientis. &c. Ezech. 18. 32. cum 33. 11. Et mortem hic non præscribere solidæ consolationi morientium in vera & seria, quamvis sera, resipiscentia porro confirmant loca Rom. 14. 7. 8. 9. 1. Cor. 3. 21. 22. Rom. 8. 38. 39.

XII. Blasphemum est, quod ad vere contritos, Deoque offerentes Spiritum contritum trahitur à populo Augustæ Portæ pag. 229. dictum Apostoli. Miseretur, cujus vult & indurat, quem vult, Rom. 9. 18. Itane vero Deus indurat corda minime resipiscere nescia nec ἀμεταμέλητα, sed jam vere confracta & contrita, & ad obedientiam porro comparata, præstita jam vera obedientia primi mandati Christi?

XIII. Horrendum est, quod idem extra & supra Euangelium cudit inauditam hactenus Electionem & Reprobationem: qua Deus absolute libero Dominii jure, damnat nonnullos vere conversos, quibus ex hypothesi veræ conversionis, non potest annunciari exspectatio damnationis: ac rursum servat nonnullos, via per Euangelium non patefacta, quibus, in nomine Christi non potest annunciari exspectatio vitæ æternæ: Trahit enim in hanc sententiam locum Matth. 20. 19. Pauci Electi. Augustæ Portæ pag. 229.

XIV. Provocamus jam ad quamvis conscientiam Christianam præcisione admissa infra lapsum, serie causarum salutis & damnationis ad doctrinam Electionis & Reprobationis, (de qua præcisione ad faciliorem tractationem mysterii ardui recepta. An statua-

tur θεοπρεπῶς seu Perfectioni divinæ scientiæ & sapientiæ convenienter: Et sitne decreti æterni Objectum cum præcisione illa homo creatus & lapsurus, seu, quod in re idem est, lapsus? An Homo creabilis & labilis, salva pace disquiritur inter Orthodoxos) ne hic nobis odiose de infra lapsariis & de supra lapsariis ogganniant Remonstrantes? An Ecclesiæ Reformatæ, an vero Remonstrantium sententia, de Electione & Reprobatione mereatur illa convitiorum & blasphemiarum plaustra, quæ nusquam non illi evomunt? Cum Synodus Dordracena Electionis & Reprobationis, à decreto Creationis & permittendi lapsus præcisæ Objectum statuit Hominem peccatorem ante conversionem, in peccatis mortuum spiritualiter: Poppius autem Electionis & Reprobationis istius, quam examinamus, Objectum statuit, Peccatorem in seria resipiscentia morientem.

XV. Videant Remonstrantes, utrum malint retractare hanc ἀλλόκοτον Reprobationem quorundam, qui sero resipuernnt: An id, quod statuerunt in Synodo Dordracena Art. 1. de Prædest. pag. 5. *Reprobationis peremptoriæ ad æternum & lamentabile exitium, Objectum primum & adequatum esse omnes & solos infideles, id est, vel ab incredulitate sua desistere nolentes, vel in vera non perseverantes.* Vel explicent nobis, An qui veram μετάνοιαν operantur juxta mandatum Christi accenseri debeant iis, qui ab incredulitate sua desistere nolunt, quia scilicet hactenus noluerunt.

XVI. Si ἀκριβῶς secundum Euangelii regulam, illi tantum in Fide morientes obtinent vitam æternam; qui, ex quo crediderunt, justo tempore abfuerunt à vitæ termino, intra quod potuerunt operari, & operati sunt perseveranter obedientiam tertii mandati Christi, de vivenda vita nova. Illi autem cum exceptione à regula per ἐπιείκειαν tantum & gratiosam acceptiliationem divinam (qua ultimatum Fidei actum admittit in compensationem operis non plene consummati) qui ex quo crediderunt subita morte abripiuntur: Differmiter à morientibus in Fide obtinetur vita æterna: ab illis juxta, ab his præter Euangelii formulam.

XVII. Differmitas illa τῆς ἀκριβείας & τῆς ἐπιεικείας qua ex hypothesi differmiter vitam æternam obtinent in Fide ve-

ra morientes: nisi per καὶ ἢ δ subindicatam illam voluerint Remonstrantes, retractationem videtur flagitare ejus quoque assertionis, quæ in declaratione sententiæ Remonstrantium Synodica, præcessit Artic. 1. jam indicato, eadem pag. 5. *Vniformiter*, inquit, *& simpliciter statuimus juxta Euangelii ipsius formulam, Objectum divinæ & quidem peremptoriæ Electionis ad æternam gloriam primum & adæquatum esse Omnes & solos auxilio divina gratia credentes in Iesum Christum, & in fide illa vera perseverantes vel morientes.*

XVIII. Nos statuimus Deum secundum Electionis suæ propositum, omnibus salvandis Uniformiter daturum vitam æternam non alio pacto, quam solo & unico intuitu principali Meriti Christi ipsi imputati: sive moriantur infantia: sive sub veræ resipiscentiæ & conversionis initia, excesserint ex hac vita, sive regenerationi suæ justo tempore supervixerint.

XIX. Consequenter neque est solidæ consolationi credentium & resipiscentium, ex quo vere crediderunt & resipuerunt, pro Euangelii formula occinendum Ovidianum carmen illud:

Scilicet ultima semper
Exspectanda dies homini, dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Quos ex quo vere crediderunt & resipuerunt Scriptura jubet πλείως sperare in eam, quæ ad ipsos defertur gratiam in patefactione Jesu Christi, 1. Pet. 1. 13. Ac pronunciat habere fidem ἰσότιμον, 2. Pet. 1. 1. quod verum non esset, si solidior esset consolatio eorum, qui procul, quam qui prope absunt à vitæ termino: & si fieret promissæ mercedis appreciatio ad ipsorum opera, & longioris vel brevioris temporis perseverantiam.

XX. Absque ultimæ diei vitæ breviori vel longiori exspectatione, anticipari uniformiter à vere credentibus, per appreciationem non obedientię ipsorum, sed precii illius, quo redempti sunt 1. Cor. 6. 20. & 7. 25. mercedem vitæ æternæ promissam eosque ex quo crediderunt habere jam vitam æternam in se inchoatam, confirmant testimonia Scripturæ collata Joh. 6. 47. 54. 44. 5. 3. 36. Gal. 2. 20. Joh. 11. 25. 26.

XX. Contra hanc Scripturæ veritatem Poppius θεομαχεῖ & frustra luctatur, quando in Angusta Porta, πρόφασει contra

tio faciens aliquem aliquo dignum: ex Thoma quæst. de Veritate q. 1. art. 1. ad 2.

III. Ex Bellarmini ergo hypothesi *Mereri* Latine semper significat saltem ἀξιῶσθαι & *Meritum* ἀξίαν. Quod secus se habere notavit Casaubonus ad C. *Plinii Epist. 8. lib. 1.* apud quem Mereri significat nude τυγχάνειν consequi: dicitur enim *gloriam non meruisse, factum pulchrum* gloria dignum, *si gloria casu aliquo non sequatur.* Et notavit Jac. Capellus ex *Sidonio Apollinari lib. 8. ep. 9.*

Qui dum nil merior, precesque frustra
Impende, Melibœus esse cœpi.

IV. Nuda illa τῷ τυγχάνειν significatione etiam voce Merendi usos Latinos Patres, evidens est saltem ex *Precibus veterum Ecclesiasticis à Cassandro editis, Colon. fol. 5. Dominica 2. Rom. 4. Mediol. Concede nobis ut sicut eum* (Iesum Christum) *per virginis partum in forma nostri corporis meruimus habere participem; ita & in regno gratiæ ejus mereamur esse consortes.* &c. Et ipsa Romana Ecclesia canit, *Felicem Adami culpam*, fuisse, *quæ talem meruit habere Redemptorem.*

V. Alia etiam significatione Latinorum Patrum antiquissimus Tertullianus nonnunquam dixit *Promereri* & *Demereri* nude pro Placere & offensam cavere: vis *in Apologetico, Edocebantur de Promerendo Deo & non offendendo, edit. Rhenanti pag. 650. Ad Cæsarem promerendum & operam & spem suam transferi, pag. 656. Qui hæc mandat ipsius est, cui timendo & demerendo procurat: adversus Marcion. lib. 4. pag. 283. Illum constituens promerendum quem intentat trimendum. adversus Marcion. lib. 5. pag. 342.*

VI. Enimvero ne Græco quidem voce ἀξιώσθαις in Scripturis is expressa, operis boni dignitatem, atqui ex Bellarmini mente intellectum Meritum designati evidens est Luc. 20. 35. & 21. 36. Act. 5. 41. ubi solam dignationem divinam intelligendam & res ipsa loquitur, & Latino Veteri interpreti intellectam liquet, quod religiose semper vertere *dignum haberi*, nunquam *mereri.* Quapropter quamvis præferenda sit in loco ad Hebr. 13. ab ipso Bellarmino laudata *Oecumenii* expositio, *Talibus hostiis placetur Deo*: præ illa Veteris interpretis; *Talibus enim hostiis promeretur Deus.* Tamen credere malumus ita vertisse phrasi jam ex Tertulliano notata

Pro-

evincitur tribus illis Meriti conditionibus. 1. Ut qui meriturus sit, ipse operetur de suo, nihil acceptum ferens illi, cui operatur. 2. ut neque opus debitum sit ulla præcedenti obligatione. 3. ut utilitatem illi afferat, cui præstatur. Istarum conditionum nulla statui potest in creatura: adeo ut de ipso Christo, ut Homine non male scripserit *Calvinus Inst. lib. 2. cap. 17. §. 1. & lib. 3. c. 11. §. 12. Si quis simpliciter & per se Christum opponere vellet Iudicio Dei, non fore Merito locum, quia non reperetur in homine dignitas, quæ possit Deum promereri, &c.*

XI. Illam ergo Meriti ideam esse Non Ens, confirmat Christus, docens Dominum non habere gratiam servo illi, qui fecit, quæ præcepta fuerunt: atque eo pacto homini cum fecerit omnia, quæ præcepta sunt illi, dicendum esse, *Servus inutilis sum, nam quod debui facere feci.* Luc. 17. 9. 10. quibus parallela sunt ista: *Quis prior dedit ei? & retribuetur ei?* Rom. 11. 35. Quando mercedem largitur Dominus, absque operis ad mercedem appreciatione, *de suo facit quod vult?* Matth. 20. 15. *Si justus es, quid das illi? aut quid è manu tua accipit?* Job. 35. 7. *Bonum meum non pervenit ad te, Ps. 16. 2.*

XII. Quamvis hoc largiantur nobis, qui existimant *Opera bona*, etiam quæ censent ex condigno mereri, *non esse ex condigno meritoria ratione operis, sed tantum ratione pacti & acceptationis divinæ:* Tamen teste *Bellarmino lib. de Iustif. 5. cap. 17. Non deesse, qui censeant opera bona justorum esse meritoria vitæ æternæ ex condigno ratione operis, etiamsi nulla exstaret divina conventio. Ita enim*, inquit, *docet Cajetanus in 1. 2. quæst. 114. Art. 3. & idem videtur sensisse Dominicus à Soto lib. 3. de natura & gratia cap. 7.* Et *Bellarminus* ipse sententiam mediam sic tuetur, ut statuat *sine pacto & sine acceptatione habere opus bonum proportionem ad vitam æternam, & esse par & æquale mercedi, quamvis Deus non teneatur acceptare ad illam mercedem, nisi conventio interveniat. Quæ διαρρήδην* contradicunt confessioni *Cosseri, Tantam esse magnitudinem bonorum cœlestium, ut quantumcunque magna & ardua vel facias vel patiaris nihil dignum illis æstimari debeat: unde B. Apostolus Rom. 8. 18. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, Cost. Enchir. c. 7.* Neque serio potuit Bellarminus ita sentiens ex *Iob. 35. 7. & Rom. 11. 35.* Cajetanum refutasse *capite 14. Rat. 2.* Neque elabi potest, quin

ipſe refutetur à ſe ipſo, quando confirmat *Deum remunerari opera bona ſupra condignum*: & diſtinguit *ſubſtantiam operum*, ab origine eorum, *ut à Spiritu S. & gratia Dei proficiſcuntur*: quia hoc ipſo argumento *Deus proprie debitor eſſe nequit*: fatente Coſtero: *quod creator & redemptor noſter eſt, & gratia Dei eſt, in qua tota meriti noſtri ad Deum ratio conſiſtit*, *Coſter. pag.* 283.

XIII. Contradictoriâ ergo ſententiâ, quæ ſe ipſam evertit, tota meriti operum ratio conſiſtit, ex *Coſteri* ipſius & *Bellarmini* hypotheſi, in eo propter quod Deus proprie debitor eſſe nequit. Qua paradoxa & heterodoxa ſententia ſimul & loquutione *Thomas*, *Bellarminus*, *Gregorius de Valentia* aſſerunt, *futurum fuiſſe Adami Meritum in ſtatu innocentiæ intenſius ex Vberiore Gratia*: detorta ad id Auguſtini ſententia ſupra à nobis laudata, qui loquutus eſt non ad exaltationem, ſed depreciationem Meriti Adami per Gratiam: neq; intellexit Charitatem infuſam, ſed divinam acceptationem, *Valentia in Thomam Diſp. 7. quæſt. 3. puncto 2. Tom. 1. & Tom. 2. diſp. 8. quæſt. 8. puncto 3. Bellarm. de Iuſtif. lib. 5. cap. 12.*

XIV. Labyrinthi illi ſunt ex Fœderis operum & Gratiæ ac Legis & Euangelii differentiæ malæ ἐγχειρήσεις: qua, Gratiam in Fœdus operum uberiorem, quam Euangelicam, & in Fœdus Gratiæ Legem inſerunt; quod liquet ex interpolata à Dominicanis & Jeſuitis *Petro à Soto* & *Gregorio de Valentia* controverſia de Operum Meritis & Mercede debita: verſatur enim in hac quæſtione apud ipſos diſputationis cardo, *An promiſſiones Euangelica, ſicut promiſſiones Legis veteris, ab obſervatione Mandatorum tanquam à conditione dependeant.* vide *Diſputationem* noſtram *de Chriſto Novo Legiſlatore.*

XV. Ut pareat egreſſus ex Pontificiorum Labyrinthis, (neglecta priori diſputatione de Meriti idea:) deſcribendum eſt ſuis conditionibus Meritum, quod ex hypotheſi in Fœdere Legali tribuendum cenſemus Adamo primo, & quod uni Chriſto, ut facto ſub Lege vindicamus. Conditiones illas facimus tres, quibus conſtat rigor Legis: I. ut obedientia præſtetur ex principio perfecte ſancto, Juſtitia inhærente & propria à primæva creatione conſervata, Matth. 22. 37. Luc. 10. 27. atque hæc eſt in bonis operibus neceſſaria ad *Perfectionem Graduum*, cujus æſtimatio non admittit con-

conniventiam ullam: *Lex non est ex Fide, Gal. 3. 12.* II. Conditio secunda est *Perfectio partium*, ut sit justitia universalis, quæ ambitu suo complectitur omnem justitiam particularem, sine ulla exceptione, Deut. 27. 26. Jac. 2. 10. III. Connexa est tertia conditio *Perfectionis Perseverantiæ*, sine ulla obedientiæ incisione aut intercisione, seu totali aut finali defectione: de qua rigorem Legis expressum censemus, Ezech. 18. & 33. ubi Remonstrantes statuunt Achillem pro *sanctorum* Euangelice Justificatorum *Apostasia*. Perperam.

XVI. Nulla est harum conditionum Meriti, quam non luxent Pontificii. Primam quidem graduum perfectionem perimunt verba ista *Gregorii de Valentia*, quæ exstant loco jam indicato, quibus facit *distinctionem seu realem seu formalem, inter Donum justitiæ originalis & Charitatem illam infusam, quam Gratiam vocat: ut beneficio doni justitiæ originalis homo quidem potuerit servare omnia præcepta naturalia, sine culpa etiam venali: & eatenus recte se habere erga Deum, tanquam naturæ auctorem. Ex Charitate autem infusa & inhærente habuerit facultatem ad servanda sine culpa saltem mortali omnia omnino divina præcepta, atque adeo etiam præcepta supernaturalia, &c.* Nulla est Perfectio graduum, ubi, admissâ licentia *peccati venialis*, urgetur tantum, ut omnia divina præcepta serventur *saltem sine culpa mortali.*

XVII. Perfectio quoque Partium salva non est, quando statuitur ab eodem *effectus formalis* illius Charitatis Adamo supra naturam infusæ *& primus quidem in ordine ad finem supernaturalem: Quod reddebat hominem ita gratum & acceptum Deo, ut tanquam Filius adoptivus haberet jus ad supernaturalem beatitudinem, veluti ad hæreditatem paternam.* Si enim jam habebat Adamus jus filii adoptivi ad hæreditatem paternam: non erat obedientia ejus futura meritoria successivâ partium perfectione suo tempore & loco implendâ. Atque ex hac hypothesi consequens esset, bona opera Adami non fuisse requisita ad vitam æternam acquirendam, ut mercedem: sed tantum ne excideret ab adoptione & ne jure mereretur exhæredari: *Filio* enim *Dei Adoptivo hæreditas ante omnia bona opera jure adoptionis debetur*; fatente *Bellarmino de Justif. lib 5. cap. 17.*

XVIII. Tertiam Perseverantiæ perfectionem absque inci-

ficne necessaria ad Operum Merita, perimit *Scotus*: cujus verba operæ pretium erit adscribere: Asserit ergo *Merita per peccatum mortificata redire, quando resurgit peccator: adeo ut habenti bona merita in acceptionis divina* (mortificata tamen per peccatum mortale) *remaneat totum jus, quod correspondet illis meritis ad vitam æternam: sed non remaneat actio, quam diu ille est inimicus: & si perpetuo sit inimicus, perperpetuo cessat illa actio: cessante autem inimicitia* (contracta per novum peccatum mortale) *non redit novum jus, sed competit actio secundum jus antiquum.* Et ibidem *Corol. 2. illa*, inquit, *Merita quibus correspondet magnus gradus gloriæ, dum sunt mortificata; non possunt mereri minimam gratiam; alioqui qui cecidisset à multis meritis jam meruisset, ut resurgeret ab illo lapsu per primam gratiam sibi ob ista merita conferendam: Nec tamen credo, quod merita mortificata omnino nihil faciant in acceptatione divina ad primam gratiam dandam huic lapso: quod etsi secundum strictam justitiam iste inimicus Dei non sit dignus de propinquo ad aliquam gratiam & gloriam: tamen excellens misiricordia Dei propter præcedentia merita licet mortificata citius dat gratiam ad resurgendum: unde sicut credo, quod perfectior gravius cadit propter majorem ingratitudinem; ita credo quod cæteris paribus citius resurgit propter Dei benignitatem, merita præterita ad hoc aliqualiter acceptantem*: Et mox *Coroll. 3. istud debet bene allicere, quemlibet peccatorem ad semper meritorie agendum pro viribus: quod sive mansurus sive lapsurus sit, non uruntista in oblivione totaliter coram Deo.* Hactenus *Scotus*.

XIX. Scoti sententiam adoptat *Bellarminus de Iustif. lib. 5. cap. 22.* Asserens, *Reparationem post lapsum non cadere quidem sub meritum de condigno, sed de congruo: ac posse hominem dum est justus & amicus Dei impetrare & mereri ex congruo reparationem, si forte labatur.* Repugnat *Gregorius de Valentia*, insistens vestigiis *Thomæ in 1. 2. quæst. 114. art. 7.* ubi asserit *Thomas, dicendum quod nullus potest sibi mereri reparationem post lapsum futurum, neque merito condigni neque merito congrui. Valentia. Tom. 2. disp. 8. quæst. 6. puncto 3. Thomas* tamen à se ipso dissentit: nam *in Epistolam ad Hebræos cap. 6. lect. 3.* admittit, *Meritum congrui, ex quo bona opera mortificata reviviscant*, atque ex hac distinctione *verba Apostoli de Merito Congrui* interpretatur *verba autem Ezech. 18. de merito Condigni*; observat Thomæ lubricitatem Bellarminus loco jam indicato.

XX.

XX. Quandoquidem ergo absque istis contradictionum Labyrinthis luxari non potest trina illa, qua Meritum descripsimus Operum Perfectio, nec absque illa fieri, ut Merces operanti imputetur ex debito, non ex Gratia: Quia omnis de illo rigore remissio Gratia est, qua peccatori indulgetur: Corruit omne Pontificiorũ Meritum & de Congruo & de Condigno: Illud quidem, quia, ipsa definitione quam statuunt illius auctores, est opus, cui de Justitia non debetur Merces: & ex hypothesi, tribuitur Peccatori in peccatis existenti, nondum Sanctificato, sive cum Scoto, ex puris naturalibus *lib. 4. dist. 14. quest. 1.* sententiâ Pelagianâ; sive communiori sententia semi Pelagiana ex gratia præveniente, sed non gratum faciente. *Bellarm. de Iust. lib. 1. cap. 21.* Quibus rationibus motus Dominicus à Soto recte statuit: Quod ante Justificationem, quæ fit per gratiam gratum facientem, hoc est, phrasi reformata, ante Sanctificationem, nihil manis operibus insit Meriti sive condigni sive congrui: *De Natura & Gratia lib. 2. cap. 4.*

XXI. Utrumque autem & de Congruo & de Condigno Meritum, ex Bellarminiana hypothesi, (quia fundatur & in dignitate Operis, & ex Gratia: Ut merces imputetur ex debito & ex Gratia,) jugulatur & loco illo, Rom. 4. 4. ex quo veri Meriti definitio petenda: & assertione Apostoli, Rom. 11. 6. Quod si per Gratiam, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est Gratia: Sin ex operibus, jam non est Gratia; alioquin opus jam non est opus.

XXII. Concludimus ergo hanc disputationem de bonorum operum Meritis hac extricatione ex superiori Labyrintho: Defectu Perseverantiæ juxta Ezech. 18. & 33. Adamum nullum habuisse Meritum, quod habuisset, si perseverasset. Ob Perseverantiæ autem illius imperfectionem, & maxime ob defectum Perfectionis graduum, nos nec habere nec posse habere veri nominis Meritum nostrorum operum: quamvis illam habeamus solidam consolationem ex semper viva Christi pro nobis intercessione: quod bona opera, quibus vivam fidem in Christum semel demonstraverimus, & Fides ipsa viva, nunquam mortificabuntur, Hebr. 6. Sequenti disputatione, cum Bono Deo, dicemus de Bonorum Operum Mercede.

COROLLARIUM
De Euthanasia in Papatu.

ALiquod λεῖμμα Electorum Dei, in mediis Papatus tenebris, servari potuit & servatum est, saltem in Agone mortis, Deo per Spiritum suum cooperante huic verbo Consolationis, quod lubet exscribere ex *Hortulo Animæ* editionis Plantinianæ 1559. anno 14. post apertam Synodum Tridentinam, in Interrogationibus circa morientes, fol. 210.

Interrogatio. *Tu credis, & recognoscis Iesum Christum Filium Dei pro te mortuum esse, & aliter te non posse salvari, nisi per meritum passionis ejus.* Resp. *Credo. Agis ei de hoc ex toto corde gratias, in quantum vales?* Resp. *Ago.*

Si bono corde responderit ad prædicta, signum est, quod sit de numero salvandorum. *Age ergo dum in te est anima tua ei semper gratias: & in hac sola ejus morte totam fiduciam tuam constitue: huic morti te totum committe: hac morte te totum contege, eique te totum involve.* Et, si Dominus voluerit te judicare, dicas: *Domine mortem Domini nostri Iesu Christi objicio inter me & te, & judicium tuum: aliter tecum non contendo.* Si dixerit quod merueris damnationem, dic: *Mortem Domini nostri Iesu Christi objicio inter te & mala merita mea: ipsiusque dignissimæ passionis meritum offero pro merito, quod ego habere debuissem, & heu non habeo* Dicat tertio, *Mortem Domini nostri Iesu Christi pono inter me & iram tuam.* Deinde dicat infirmus, *In manus tuas commendo Spiritum meum.* Et securus morietur. Nec videbit mortem in æternum.

Martinus Eisengreinius Theologus Pontificius in tractatu suo, quem Germanicè scripsit pro defensione decreti Concilii Tridentini, quod extat sess. 6. can. 13. quique à Bredenbacchio quodam Canonico Bonnensi latinitate donatus est, cap. 8. affirmat Anno D. 1567. libellum quendam vetustate fere consumtum à se in quodam Ordinis Augustini cœnobio, in quo quæstiones similes fere superioribus continebantur, quarum octava hæc erat. *Credis pro te Christum esse mortuum & te non posse salvari nisi per meritum ejus. cum se in ara crucis sacrificium cruentum Deo Patri pro nobis obtulerit? Agis ex toto corde Deo hoc nomine gratias? Hæc si affirmet ex animo, signum est illum esse è numero electorum.* Sic itaque illi loquendum: *Dilecte, si ita sentis*

sentiis ut ostendisti, certifico tibi, quod salvaberis & nunquam à Deo separaberis, &c. Et non multò post precatio ægroto dicenda hæc habet: *O misericordissime Domine, da mihi veniam omnium peccatorum meorum & vitam tuam æternam, quam postulo non ob valorem meritorum meorum, sed in virtute tuæ benedictæ passionis & pretiosissimi sanguinis tui, quo me redimere dignatus es.*

Sub finem autem fere capitis citat Gersonem *de mendicit. spiritual. p.* 3. qui tentationi Dæmonum ad desperationem in hunc modum respondendum docet: *Non opus est, ut mihi mea peccata commemoretis, inferentes hinc: me cœlestibus præmiis esse penitus indigum: Id enim scio. Sed scio quod pius ille meus Pater Iesus Christus meum debitum solvit, & mea omnia, quotiescunque mihi displicuerint, delevit peccata, mihique suo pretiosissimo sanguine cœleste regnum lucrifecit & emit: & hoc titulo & nullo alio possessionem hujus regni præstolor, cœlestiumque bonorum retributionem peto sub titulo & in spe glorioſi mei redemtoris Iesu Christi:* prout extrema hæc verba addit Eisengreinius in concione peculiari de merito Christi, ubi eundem hunc locum citati.

Tandem concludit inter alia his verbis: *Hanc esse veram illam & antiquam panopliam: verum de peccatis dolorem concipere, & firmam solidamque fiduciam in Christi Domini meritum collocare.*

Selectarum Disputationum Theologicarum VII.

DE
Bonorum Operum Mercede Æterna.

THESIS I.

DIsputationi de Bonorum operum Meritis subnectimus hanc de Bonorũ operum Mercede: ad Examen Argumenti istius Bellarmini: *Si vita æterna est Merces Bona opera, quibus illa redditur, sunt Merita. At vita Æterna est Merces. Ergo. De Meritis operum cap.* 3. cui argumento alia in subsidium advocat, quæ unaopera discutientur. In Majoris propositionis consequentia vertitur dis-

disputationis cardo: sed primo loco præcognoscenda propositio minor, ad Apologiam adversus calumniam, qua affingitur nobis hypocrisis in illius concessione: Ad Exegesin ergo Minoris à nobis concessæ, duo faciunt Problemata: 1. An credendem sit Bonis operibus promissam à Deo Mercedem vitæ æternæ. 2. *Liceatne operari bona opera intuitu Mercedis æternæ*: quod posterius tractat *Bellarminus cap.* 8.

II. De primo: damus & concedimus omnino, promissam à Deo bonis operibus Mercedem vitæ æternæ: vel Mercedis voce expressa, Gen. 15. 1. 2. 2. Chron. 15. 7. Prov. 11. 18. Matth. 5. 12. 10. 42. Luc. 6. 35. 1. Cor. 3. 8. vel adhibitis vocibus conjugatis μισθαποδότης, Hebr. 11. 6. & μισθαποδοσία, Hebr. 10. 35. & 11. 26. nec non Synonymis βραβεῖον, Phil. 3. 14. στέφανος Corona, 2. Tim. 4. 8. Jac. 1. 12. 1. Pet. 5. 4. Apoc. 2. 10. 3. 11.

III. De secundo: dicimus, calumniandi libidine conscientiæ suæ vim facere Bellarminum, qui contradictoriam facit Calvini sententiam, his verbis conceptam: *Non tantum affectu mercedis operandum esse: nec ab* illo genere exhortationis promissâ mercede *exordium sumendum esse* sententiæ Concilii Tridentini verbis æquipollentibus à se explicatæ, *Non tantum nec præcipue amore mercedis operandum esse*: PRIMUM *quidem propter gloriam Dei*: DEINDE *etiam propter mercedem salutis æternæ.*

IV. Calumniæ jejuna nimis πρόφασις est, quod non acquieverit Calvinus verbis istis Concilii *cap.* 11. *Sess.* 6. *Constat eos orthodoxæ religionis doctrinæ adversari, qui statuunt in omnibus operibus justos peccare si in illis suam ipsorum socordiam excitando & sese in studio ad currendum cohortando, cum hoc ut inprimis glorificetur Deus, mercedem quoque intueantur æternam*: Deinde quod *Antidotum* opposuerit isti *Can.* 31. *Si quis dixerit justificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, Anathema sit.* Spectavit enim Calvinus, & perspexit Crypsin seu hypocrisin ac, calumniam: ac quamvis τὸ ῥητὸν negandum non esset in Concilii verbis istis, necessariam duxit Apologiam ullam, Non facere (contra illos in quos vibrarunt anathema), Elenchum verba illorum.

V. Sic ergo recte Calvinus *Antidoto*: *Qui vere Iustificatus est, non negliget, fateor, mercedem sibi repositam, sed ea tanquam optimo stimulo ad be-*

ne

ne agendi Studium incitabitur: Attamen hunc solum respectum non habebit. &c. Nec à se ipso dissentit *Inst. lib. 3. c. 16. §. 3. Neque id dico,* inquit, *quod id vel negligam adhortationis genus, quod Scriptura sæpe numero usurpat, ne ullam omittat nos undique animandi rationem: Commendat enim mercedem, quam Deus redditurus sit unicuique secundum opera sua, 2. Cor. 9. 7. sed illud unicum atque etiam è multis præcipuum esse nego: Deinde exordium inde sumendum non concedo: Ad hæc nihil facere ad erigenda, qualia isti prædicant Merita contendo. Postremo neque usui esse, nisi doctrina illa præoccupaverit: Solo Christi merito, quod per Fidem apprehenditur, nos justificari, nullis autem operum nostrorum meritis, &c.*

VI. Pontificii ipsi viderint, an, non τὸ ῥητὸν Anathematis Concilii Trident. feriat Practicam ipsorum Theologiam, de Charitate seu Amore Dei perfecto: de quo libet Thomæ præceptorem *Albertum Magnum in Enchridio vera perfectaque virtute, capitulo primo, Charitas ad Deum vera & perfecta est, quando anima cum omnibus viribus suis ardentior se infundit Deo, nullam commodum transitorium vel æternum quærens in eo: sed solum propter nobilitatem, sanctitatem, perfectionem, beatitudinem sibi innatam afficitur circa Deum Delicata n. anima quasi* NB. *abominatur, per modum commodi vel præmii diligere Deum.*

VII. Flagitat ἐπιμονὴν aliquam hoc Problema practicum: ad cujus illustrationem faciet notasse quinque Amoris Dei gradus, per quos scilicet paulatim in hac vita ascenditur, vel contenditur ad perfectionem graduum. I. Est Amare Deum propter ea bona accepimus & accepturos nos speramus, in quibus est Merces vitæ æternæ. 2. Deum amare propter se ipsum, quia est excellentissimum bonum. 3. Nihil amare nisi ipsius causa, in ipso, propter ipsum. 4. Se ipsum & omnia odisse propter Deum. 5. Quintum eminentissimum gradum sunt, qui faciant Ecstaticum illum Dei & proximi amorem, quo suæ salutis obliti pro fratribus ad Dei gloriam optarunt esse Anathema, Paulus Rom. 6. 3. & Moses, Ex. 32. 32.

VIII. Rectius *Molinæus*, tractatu vernaculo *de Amore Dei*, illum Amoris raptum in Mose & Paulo retulit ad secundum Amoris gradum: & Quintum eminentissimum Amoris gradum fecit Amorem illum, quo Deum & sanctos ambimus in cœlis, adepti The-

ologiam visionis. Ad graduum ergo Perfectionem in Theologia Viatorum præscriptam Canone verbi Dei, faciunt tantum gradus quatuor priores.

IX. De ecstatico autem illo Amoris raptu in Paulo & Mose sic censemus, non carere illum in gradu amoris secundo sua Anomalia: neque in solidum nobis imitandum esse, propter imperfectionem oblivionis istius, quæ se exeruit, quando Amoris in primo gradu illi obliti fuere. Quemadmodum amoris carnalis πάθος validissimum fatiscit oborta λιποθυμία: sic fuit illa animæ per amoris spiritualis πάθος fatiscentis, spiritualis λιπολυμία & deliquium.

X. Sic ergo censemus: Incautis etiam facile in hoc argumento obrepere aliquid fermenti Papistici, si videlicet ita tractetur Graduum ista ascensio in hac vita, quasi ad summum Perfectionis gradum, superatis inferioribus, in hac vita perveniri possit: cum in singulis istis gradibus vel sanctissimorum se exserat frequentissime imperfectio, & declinatio, si non ad sinistram; saltem ad dextram, à perfectionis Canone.

XI. Præterea obrepit hic incautis confusio Perfectionis, quæ est in idea Theologiæ Visionis, cum Pefectione quam præscribit Canon Theologiæ Viatorum, Scriptum Dei verbum, docens Fidem, Spem & Charitatem ἀχωρίστως societas, donec cum Lumine gratiæ commuterur Lumen gloriæ.

XII. Per quam Confusionem facile se hic ingerit fermentum Enthusiasmi illud de *Lacte parvulorum incipientium, à quo sint ablactandi Adultiores*: cui geminum judicamus illud, quando ita primus ille Amoris gradus statuitur infimus, ut divina tantum indulgentia licitus existimetur, ac propter infirmitatem nostram frequentius se exserere, quam operandum esset ascendentibus ad altiores Amoris gradus: quia scilicet, ascensione missum facere primum illum Amoris gradum, qui expressus est Hebr. 11. 26. & 1. Cor. 15. 58. esset majoris Perfectionis.

XIII. Nostra itaque ἐπίκρισις hæc est. Quatuor istis Amoris gradibus primis utiliter delineari Perfectionem illam graduum, in Theologia Viatorum originali Legali imperatam: cujus tantum initia sunt sanctis justificatis in hac vita, propter luctam carnis & spiritus

ſpiritus: ſic tamen ut conatus adſit, in gradibus ſingulis iſtis inchoatâ hic obedientiâ ad Legem Charitatis implendam.

XIV. Imperfectioni autem noſtræ tam cenſemus imputandum, ſi ſecundus amoris Dei gradus ſe exſerat abſque primo, & tertius abſque primo & ſecundo, quam ſi primus ſe exſerat abſque reliquis. Quia ad graduum perfectionem non itur legitime Enthuſiaſtica aſcenſione, qua, qui putant ſe in ſecundo gradu Perfectionis conſtitutos, *delicatæ* Alberri Magni *animæ*, *abominantur* primum: & ſic deinceps.

XV. Concludimus ergo, Non eſſe quidem amandum Deum & operandum bona opera, tantum affectu ſeu intuitu in Mercedem & Præmium vitæ æternæ. Non tamen abſque illo intuitu in Mercedem & præmium, per quem cenſuit Apoſtolus Fidem definiendam capite ad Hebræos undecimo. & in Moſe non infirmitatis noſtræ, ſed Fidei ſe exſerentis, & adultæ quidem ac roboratæ exemplum proponit iſtu, dquod ἀπέβλεπεν εἰς τὴν μισθαποδοσίαν, reſpexit ad mercedis retributionem, Hebr. 11. 26. Ac facit Apoſtolus hunc omnis in Deum Fidei veræ characterem, quod Deum intueatur, ut μισθαποδότην, Hebr. 11. 6. Nec aliud eſt in re Fidę ἐγπιζομένων ὑπόστασις, Hebr. 11. 1. quæ certe non propter infirmitatem noſtram ſe exſerit, ſed illam vincit.

XVI. Quid quod adeo nuſquam in vitio ponit Scriptura convenientem Fœderi intuitum in μισθαποδοσίαν, quaſi illo gradu Amor ſit Mercenarius: ut ad Chriſti, ipſius encomium, & exemplum imitandum nobis Fidei & Fiduciæ in Deum, hoc prædicet Apoſtolus, quod ipſe pertulit crucem ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς, quod rectius *Beza* in curis poſterioribus verſit *Pro ſibi propoſito gaudio*, quam olim *Vice ſibi propoſiti gaudii*: ſenſu illo, *quod omne beatitatis genus in manu ac poteſtate haberet, eoque præſente frui poterat*: Non enim admittit illam periphraſim vox προκειμένης quæ flagitat hic eandem expoſitionem, Hebr. 12. 2. quam verſus primus verbis illis προκείμενον ἀγῶνα propoſitum ſtadium, h. e. corona propoſita ad obtinendum decurſo ſtadio: quemadmodum Hebr. 6. 18. dicitur προκειμένη ἐλπὶς propoſita ſpes, quæ non admittit præſentem fruitionem, ſed flagitat patientem exſpectationem

tionem obtinendi rem speratam.

XVII. Neque à Christi exinanitione alienum fuit, quod factus sub Lege subiit Legalis Fœderis pactum & conventionem: & consequenter similiter habitus fuerit, ut primus homo, quem ut creaturam suam Deus proposita mercede amice stimulare voluit ad amorem, quod ipse alias per & propter se amari dignus est, & sic facilitare alacritatem obsequii & obedientiæ, alias absolute etiam nulla promissione mercedis intercedente sibi debitæ. Alias enim dicendus erit Christus non subiisse pro nobis Legale operum Fœdus: est enim ita necessarius character omnis Fœderis μισθαποδοσία & in illam intuitus, ut illo cessante, cesset ratio Fœderis.

XVIII. Verum enim vero, ut jam respondeamus ad argumenti initio propositi Majorem, in cujus consequentia dicebamus verti hujus disputationis ordinem: dicimus ad Meritum veri nominis constituendum non sufficere, ut Operibus bonis Deus promiserit mercedem, ac voluerit etiam, ut fiant bona opera intuitu in mercedem promissam: sed hoc quoque necessario requiri, ut Deus det mercedem intuitu plene perfecteque consummatæ obedientiæ bonorum.

XIX. Illud veri nominis Meritum ex hypothesi tribuimus Adamo primo, si obedientiæ curriculum consummasset, adeo ut ipsi imputanda fuerit Merces non ex gratia, sed ex debito: Revera autem vindicamus uni Christo, quamvis non simplex meritum vitæ æternæ, quale fuisset Adami primi: sed cumulatum pondere & dignitate illa obedientiæ Christi, qua ipsa eminentior est obedientia, quavis possibili ψιλῷ ἀνθρώπῳ meri hominis: & quæ remunerationem flagitat eminentissimæ mercedis & coronæ, cujus non est δεκτικὸς ψιλὸς ἄνθρωπος capax merus homo: qua non ipsius tantum natura humana adepta est æternam cœlestem vitam, sed ipse jus ac potestatem accepit, vivificandi in se & à se reliquum Ecclesiæ corpus. Unus ille, qua homo, ex operibus justitiæ, quæ ipse fecit, & quibus perfectissime Legem implevit, suo merito justificatus est, mercede non ex gratia, sed ex debito imputata, ex fœderis Legali conventione, ut factus sub Lege, Esai. 50. 8. Gal. 4. 4. Matth. 3. 15. & 5. 17. 18. Joh. 19. 30. cum. Rom. 4. 7.

XX.

XX. Nobis autem Merces imputatur & datur non ex debito, sed ex gratia: quod explicandum, interpretatione recte vocis Gratiæ: qua voce perperam de tota affectant erroris latibulum, quotquot in hypothesi *de Christo Novo legislatore* faciunt cum Papistis Jesuitis & Dominicanis: ac eorum aliqui si non vocem rem tamen Meriti etiam Papistis impudentius tuentur, quod dereximus *Selecta disputatione III.* Intelligunt autem illi, nobiscum παρόμοια λαλοῦντες, Mercede imputari ex Gratia, quia faciat Deus nobis illam ἐπιείκειαν, qua de rigore Veteris Legis aliquid remisit novæ Legislationis temperamento, ut in hac vita possibilis esset obedientiæ mandatæ consummatio, quæ secundum veterem rigorem esset impossibilis.

XXI. Recta vocis Gratiæ interpretatio hæc est, ut restrictior significatione intelligatur Gratia esse Misericordiæ donum, Deo nobis donante gratis Christum, & in Christo ac cum Christo capite nostro communionem & Meriti & Mercedis ex debito ipsi imputatæ: ut loco bonorum operum & Meriti nostri, Dei justitiam in nostri Justificatione & glorificatione sustineat, ac Mercedi nobis donandæ appendatur seu ἀντίρροπον sit, Christi obedientia & Meritum: ut Sponsoris nostri, qui pro nobis factus sub Lege, Mercedem illam nobis quæsivit, Hebr. 7. 22. Gal. 4. 4. Rom. 5. 17.

XXII. Hæc Responsio ad Majoris consequentiam de Mercede, Christo ex Debito, nobis gratia imputata, vindicanda ab *altero Bellarmini argumento, quod ducitur ab iis locis, in quibus*, si ipsum audimus *habetur præmium cœleste dari hominibus secundum mensuram & proportionem operum & laboris*: *Hinc enim*, inquit, *evidenter colligitur, in præmio illo conferendo non haberi rationem solius promissionis, vel liberalitatis, vel indulgentiæ Dei, sed etiam dignitatis & efficaciæ ipsorum operum, Psal.* 62. 13. *Matth.* 16. 27. *Luc.* 6. 18. *Rom.* 2. 6. 1. *Cor.* 3. 8. *Gal.* 6. 8. *Apoc.* 22. 12. *Igitur*, inquit, *vita æterna est præmium illud, quod datur secundum proportionem & mensuram operum.* Respondemus neque Meriti nomen, neque rem locis illis exprimi, nec *dignitatem & efficaciam ipsorum operum significari Græca phrasi* κατὰ ἔργα, *secundum opera.*

XXIII. Phrasis illa κατὰ ἔργα *secundum opera*, quamvis appropriata malis operibus significet meritum, seu ut vocant demeritum,

ritum, ac mercedis imputationem ex debito: tamen ex se media est, & tam locum habet, ubi merces imputatur ex gratia, quam ubi imputatur ex debito: & ἀντιστοιχίαν tantum seu oppositionem convenientem, non τὸ ἀντίῤῥοπον seu contra librationem operum & mercedis significat.

XXIV. Bonorum Operum & Mercedis vitæ æternæ ἀντιστοιχία illa, ponit quidem Dei τῦ μισθαποδότυ intuitum in bona opera nostra, sed talem, quo Deus illa intuetur, non ut ex nobis, aut ut Mercedi ἀντίῤῥοπα, sed ut fructus fidei, ac consequenter signa & demonstrationes veræ communionis nostræ cum Christo, per quam accepimus τὴν δωρεᾶντῆς δικαιοσύνης Donum Justitiæ ipsius, quæ sola est Mercedi vitæ æternæ ἀντίῤῥοπον, seu illi appenditur injustitiæ Dei bilance, Ro. 5. 17. De Malorum operum & Damnationis ἀντιστοιχία secus judicandum, non ex phrasi κατὰ ἔργα, sed ex subjecta materia.

XXV. Ad *tertium & quartum Bellarmini argumentum*, quibut contendit *particulas* in hoc negotio Scripturæ frequentatas, *Enim Quia, Ideo, & similes, Matth.* 25. *vers.* 21, *&* 23. (in versione Latina vulgata non in contextu Græco.) *& vers.* 35. *Apoc.* 7. 15. *vere esse causales:* advocatis in subsidium *locis illis, ubi bona opera dicuntur ipsam salutem efficere* κατεργαζεσθαι 2. *Cor.* 4. 17. *Phil.* 2. 12. quibus conjungit locum *Gal.* 6. 7. in quo est sementis & messis allegoria: Respondemus vocem κατεργάζεσθαι, locis istis, & parallelum 2. Cor. 1. 6. ubi consolatio & salus dicitur ἐνεργυμένη ἐν ὑπομονῆ effici per tolerantiam: non debere nec posse intelligi de efficientia causæ procreantis meritoriæ, sed tantum de efficientia instrumentali causæ conservantis & foventis in nobis fidem & spem salutis, unius Christi merito nobis quæsitæ.

XXVI. Enimvero neque ipsam efficientiam instrumentalem causæ conservantis, necessario demonstrat vox ipsa κατεργάζεσθαι, sed tantum subjecta materia: quia eodem schemate dictionis dictum est Rom. 5. 3. ἡ θλῖψις ὑπομονὴν κατεργάζεται, Oppressio patientiam efficit, Res ipsa loquitur, in oppressione ex se & sua natura nihil esse ἐχόμενον τῆς σωτηρίας, quod cum salute conjunctum

ctum sit: tamen non tantum phrasi illa utitur Apostolus, sed primas etiam videtur tribuere oppressioni in serie causarum efficientium spem salutis, si verborum series spectetur: Quid ergo? noluit significare Apostolus Oppressionis aliquam per se efficientiam, quæ certe esset non conservans, sed destruens salutem: sed Dei efficientiam, qui ex vocationis suæ proposito utitur occasionibus & instrumentis ad salutem efficiendam, etiam quæ per se saluti officiunt. Quo sensu idem dixit Rom. 8. 28. πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθον Omnia cooperantur in bonum, iis videlicet, qui ex proposito ipsius vocati sunt.

XXVII. Aliam quam instrumentalem illam causæ conservantis (non procreantis meritoriam) efficientiam, in subjecta materia admitti non posse, loco illo ad Philippenses, qui maxime urgetur, manifestum est: ita enim jubet Apostolus nos in timore & tremore operari salutem nostram, ut subjungat Deum esse, qui ipse pro beneplacito suo in nobis ἐνεργεῖ καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν, efficit & velle & perficere, Phil. 2. 13. docens etiam alibi nos operantes bona opera esse αὐτοῦ ποίημα, ipsius opus, Eph. 1. 20.

XXVIII. Vocat porro Bellarminus in subsidium *quartum argumentum, ab illis testimoniis, ubi premium bonis operibus ex Justitia dicitur esse reddendum*, 2. Thess. 1. 4.---7. 2. Tim. 8. Hebr. 6. 10. quibus annumerat Jac. 1. 12. Apoc. 2. 10. Prov. 19. 17. 1. Cor. 9. 24. 2. Tim. 1. 12. quæ ipse vult *Justitiam includere: siquidem injuriam faceret*, inquit, *qui mutuum non darei, vel depositum non restitueret.* Ad quæ ὕστερον πρότερον respondemus, promissionem de reddendo mutuo cum fœnore, & de dando Bravio, esse ex gratia, non ex debito, & ex illa velle exprimere veri nominis meritum, esse petitionem ejus, quod in principio est. Depositi autem seu παραθήκης allegoria plane jugulat operum Meritum, quia confirmat nullam fore nostram in bono opere perseverantiam, adeoque nullam ab illa salutis certitudinem, nisi salutem Deus, ut donat ita donatam ipse in se reciperet custodiendam.

XXIX. De primis tribus locis respondemus in Fidelium consolatione à Justo Dei judicio ejusque exspectatione, vel spectari causam illorum, ab impiorum oppressione vindicandam in extremo judicio; cujus in justæ oppressions intuitu, Deus ipsos liberans judi-

judicabit juſte, quamvis non facta per juſtitiam appreciatione ulla bonorum operum, quæ fecerint ipſi ad Mercedem vitæ & quietis æternę. Vel dicimus ſpectari ipſorum apud Deum conſcientiam, in qua, ubi ſe conſolantur, Juſto Dei judicio, non fundant Judicii illius juſtitiam in Juſtitiæ propriæ merito, ſed in Merito Juſtitiæ ſponſoris Chriſti imputatæ, quod ſolum efficit, ut Deus Juſtus ſit etiam Juſticans impium in Chriſto reconciliatum, Rom. 3. 26. cum Ro. 4. 5. quin, ut Mercedis nomen obtineat noſtri & noſtrorum operum intuitu, vita æterna: quæ alias purum eſt Dei miſericordiæ donum χάρισμα, Rom. 6. 23.

XXX. Ad *quintum argumentum*, *à promiſſione facta cum conditione operis*, jam ſingulari reſponſione nulla opus eſt, quemadmodum nec ad *ſeptimum*, *ab illis locis, ubi dicitur Deus judex juſtus.* Tantum *argumento ſeptimo*, quod de *Acceptione perſonarum* dicitur *vitioſam eſſe, cum judex dat præmium ſine meritis, aut majus præmium minoribus meritis vel contra*, reſpondemus; temere affirmari de Deo, qui Chriſti ipſius teſtimonio in mercedem ſolvenda operariis ſuis de ſuo liberè facit, quod vult Matth. 20. 14. 15.

XXXI. Ad phraſin *Acceptionis perſonarum* reſpondemus. Perſonam πρόσωπον, in illa πρισωπολημψία Perſonarum acceptione, quæ Deo veraci ac juſto derogatur, accipi pro externa ac fallaci rerum ſpecie ac circumſtantia, oppoſita cauſæ juſtæ, quæ ſit inſtar vultus, promentis aliud, quam quod corde premitur. Attamen tantum abeſt, ut propter illam phraſin Deus non poſſit dare præmium ſine meritis, & gratiam facere, perſonis quibus vult, ut hoc ſenſu etiam Perſonarum acceptio Deo non injuſte in Scriptura tribuatur. Mal. 1. 9. Job. 42. 8.

XXXII. Reliquum eſt *Sextum argumentum*, *ab illis locis, in quibus fit mentio dignitatis*, 2. Theſſ. 1. 5. Luc. 20. 35. Apoc. 3. 4. cujus argumenti nervos incidimus diſputatione præcedenti VI. Theſi VI. Addimus breviter, ut Juſtitiam ita dignitatem eſſe non inhærentem, ſed imputatam juſtificatis, qua illi coram Deo juſti & digni ſunt vita æterna.

COROLL.

COROLLARIA
Textualia Grammatico-Theologica.

VErba Psal. 119. 112. נטיתי לבי לעשות חקיך לעולם עקב LXX. transtulerunt ἔκλινα τὴν καρδίαν μου τοῦ ποιῆσαι τὰ δικαιώματά σου εἰς τὸν αἰῶνα διὰ ἀνταπόδοσιν. Vulgatus juxta LXX. *Inclinavi cor meum ad faciendas Justificationes tuas in aternum, propter retributionem.* Hieronimus: *Inclinavi cor meum, ut facerem justitias tuas, propter æternam retributionem*, consentit Arah. Commentarius Hieronymi, *In æternum propter retributionem Vitæ æternæ, ut illam merear accipere,*

Mirari licet, cur hunc Hieronymi commentarium non ostentarit Bellarminus contendens pro Meritis operum, argumento illo ex isthoc loco desumpto, pro *operando bona opera intuitu mercedis, cap.* 8. An ex convicta conscientia? Hieronymum voce Meriti usum simplici significatione τοῦ τυγχάνειν, quod nobis persuadet alter Hieronymi commentarius in Psal. 25. 11. Propter nomen tuum domine propiciaberis peccato meo, *non propter mea merita, sed propter tuam misericordiam.* & Assertio illa *adversus Pelagianos lib.* 1. *Tunc ergo justi sumus, quando nos peccatores fatemur, & justitia nostra, non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia*: edit. Froben. 1516. Toma 3. fol. 120. verso. & mox fol. 121. *Hæc est hominis vera sapientia imperfectum se esse nosse: atque ut ita loquar cunctorum in carne justorum imperfecta perfectio est.* & fol. 122. *A. Animadverte quod* (Maria mater Domini) *beatam se esse dicat, non proprio merito atque virtute, sed Dei in se habitantis clementia.* Salva hac mente Hieronymi, non repugnamus loci interpretationi & commentario Hieronymiano, juxta Psal. 19. 12. עקב רב ἀνταπόδοσις πολλὴ *Retributio multa.* Simpliciorem tamen censemus interpretationem Chaldaicam לעלם עד סופא *à sæculo usque ad finem*: vel Nebiensis ex Hebræo Latinam, *ad æternum finem*: vel Syram Erpenii periphrasin לעלם בשרא *in sæculum in firmitate*: vel Pagnini Latinam ex Hebræo, *in seculum usque in finem*: & Annotationem illam Vatabli, עקב *& usque in finem*: *sub*: *vitæ meæ. 1. quamdiu vivam, vel complevero vitæ meæ cursum. Istud* עקב *est expositio præcedentis* לעולם:

clarius enim demonstrat, quid intellexerit per in saeculum, sive in perpetuum. q. d. Ego, nunquam defunctum me putabo, donec pervenero ad metam usque vitæ: quæ annotatio videtur confirmari versu 33. עקב διάπαντος *semper.*

II. Quæritur an conciliari possit cum Hebraico contextu versio LXX. Psalmi 40. 16. & 70. 4. ubi verba עקב על verterunt παραχρῆμα *confestim*: *vel* παραυτικα *statim*: ubi Pagninus & Vatablus censuerunt transferendum, *in mercedem.* Hieronymus ex Hebræo *Post.*

Respondemus non deliraſſe LXX. sua versione, quia videntur dedisse illam verborum על עקב בשתם interpretationem: Haere schaemte sp hen op de hielen/ hoc est, instet & premat à tergo calcaneum pudor & confusio eorum: vel (si lubet plenius connectere verbum ישמו quod regat sequentia) eodem sensu, *Obstupescant, super calcaneum, eorum pudore existente. Super calcaneum* autem esse, congrue dicitur repentinum malum, *confestim* seu *statim* ingruens, non prævisum.

Selectarum Disputationum VIII.

CHRONOLOGICO-THEOLOGICA, DE Anno Mense & Die Natali Christi.

THESIS I.

DE Tempore Nativitatis Christi disquisitio Chronologico-Theologica facit ad muniendam Fidem Christianam de adventu Messiæ contra Judæorum infidelitatem, quod hic est ἔργον seu negotium principale, quod credi non potest absque aliqua Temporis Epocha credita, circa quam Messias advenerit, & post quam frustra fuerit Judæorum infidelitas primum Messiæ adventum exspectantium, atque ea propter non est hic omni-

no

no περεργ& omnis περιεργία, qua hoc cavetur saltem, ne nimis vaga sit determinatio Anni Natalis Christi, ac propter eam laboret fides historiæ Euangelicæ, & ludibrium debeat infidelibus Judæis Christianorum fides: Quamvis περιεργότερον Annum & diem Natalem velle definire est Chronologorum, qui ad calculos sedent.

II. Commune quasi Christianorum Symbolum, quod, si non exacte verum, saltem valde ἀγχίθυρον calculum habere creditur ab omnibus ac singulis Professione Christianis, quantumvis in sectas scissis, est vulgariis Christianorum Æra, quæ à Dionysio Abbare Romano dicto Exiguo, Dionysiana nominatur, cujus jam numerantur elapsæ Kalendæ Januariæ 1641. A cujus Æræ numero minore 1641. Æra Judaïca mundi conditi, sepositis quinque millenariis, numero minori לפק deficit annis 240. numerant illi supra 5000. Annum Mundi superiori Autumno iuchoatum. 401.

III. Quamvis autem non hæreant Chronologi Æræ isti Dionysianæ, sed fere existiment illam vero calculo breviorem, nonnulli etiam longiorem: malimus tamen hic non dictum à Cl. *Scultetо*, in *Exercitationibus Euangelicis*; quod de Anno Mundi Natali, ut dicatur, non repugnamus: *Tot fere esse sententias, quot Chronologos*: Nec possumus subscribere *Calvisii* querelæ isti. *Nonne jam*, inquit, *ignominosum prope est nobis Christianis de hac Christi Θεανθρωπε tam necessaria Epocha, à qua annos salutis nostræ numeramus, diversis opinionibus dissidere, & qui verus tandem nativitatis Christi annus sit ignorare. Calvis. Isag. Chronol. cap.* 36. Asserimus enim tam esse hoc concordem totius Christianismi discordiam, ut magis concordem flagitare vix liceat, ubi quidem nullum est ex Scriptura authenticum indicium characteris Chronologici, vel feriæ septimanæ, vel diei mensis, ex quo vel anni tempestas vel annus ipse ἀκριβέστερον demonstrari possit: sed sola indicata est Noctis tempestas, qua natus est Christus. Luc. 2. 8. ne quidem expressa Noctis vigilia: Quam noctis vigiliam frustra definire satagit *Baronius*, & post illum *Montacutius*, ex libri Sapientiæ Apocryphi Prophetico, scilicet, de media nocte oraculo: præter auctoris mentem, cap. 18. 14. 15. Loquitur enim auctor de occisis in Ægypto post mediam noctem primogenitis.

IV. Enimvero Chronologorum περιεργόπερον Annum & Diem natalem Christi investigantium, qui quidem Æram vulgarem anticipant, quod illam vero calculo breviorem existimant, discordia cum ipsa Æra concors hæc est: Jam ante annos solidos 1640. natum esse Messiam, & currere saltem annum 1641. ex quo illum frustra Judæi exspectant. Quorum infidelitatis nulla πρόφασις esse potest in Chronologiorum Christianorum disquisitione ad Æram suum accuratiori; quæ non facit tempus ante ipsam Æram ἀδηλόν seu dubium & incertum solidi triennii Juliani: continetur enim intra dies 1085. qui ad solidum triennium residuos fasciunt dies 11. quorum ultimus est 25. Decembris ille qui est IIX. Kalendas Januarias primas Æræ Dionysianæ: Exeunte anno Cycli Solis IX. DC. Lunæ 1. feria 7. Primus autem in controversia Dies est 6. Januarii. Cyclo Solis VII. F. Lunæ. 18. feria 1.

V. Sin autem accenseatur opinio, quam ex Clemente Alexandrino se adoptare censet *Thomas Lydiat*, qui Annum Æræ Dionysianæ 3. & Diem Maji 20. censet Christo Natalem fuisse, Omnis dissensio Christianorum continetur intra quinquennium Julianum & dies 136. & extremo hoc calculo Æra Christianorum vulgaris vero calculo longior erit solidio biennio Juliano & diebus 144.

VI. Non est ergo hujus disquisitionis de Anno Christi natali proba ἐγχείρησις, si quæras, *quo Anno mundi conditi natus sit Christus:* quia V. G. duo vel maxime ἀκριβῶς consentientes de Anno & mense ac die natali Christi, propter solam dissensionem de Anno natali Abrahæ, alter dicet Christum natum Anno mundi 3962. alter A. M. 4022.

VII. Nec magnopere hic pertimescendum ne laboret Fides Christiana per Chronologorum dissensiones, propter tempus ἄδηλον, inter extremas opiniones: Quia in Historia quavis vel sacra vel exotica ante Æram Christianorum, nulla tam unanimis annorum 4000. (quot circiter retro numerantur, si non à nativitate saltem à passione Christi, anni conditi mundi) supputatio institui potest, quin unica *de Anni forma* disquisitio, (An adhibenda sit ad calculum forma Anni Ægyptii æquabiliis, qua quadriennium explent dies 1460. An forma anni Juliani cum quarto quoque anno intercalari, qua explent quadriennium dies 1461.)

1461.) Pariat tempus ἄδηλον dierum 1000. seu biennii & dierum 270.

VIII. Relicta ergo Chronologis περιεργίᾳ discordi, ἀγχίθυρον Æræ Christianorum vulgaris calculum esse, (auctoritate historiæ Euangelicæ ejusque concertatione cum Judæo historico) credendum est, & creditur universali Christianismi consensu: vel hac sola, ut alias non persequamur, demonstratione: Non posse, propter perpetratum (post Christi Nativitatem & post Christum à Magis adoratum,) ab Herode Ascalonita Infanticidium, Annum & diem Christi Natalem differri post mortem Herodis memoratam á Matthæo Euangelista cap. 2. 19.

IX. Jam autem mortem Herodis memorat *Iosephus Antiq. lib. 17. cap.* 10. ac tradit illam incidisse anno 37. ex quo à Romanis Rex declaratus est, seu ἀκριβέστερον accuratius, à Principatu quem tandem tertio postquam Rex declaratus fuerat anno expugnata Hierosolyma usurpavit: A quo ad diem quo Templum & Urbs incendente Tito conflagravit intercesserunt juxta eundem *lib. 20. cap.* 8. anni 107. Conflagravit autem Templum & Urbs Anno vulgaris Æræ 70. Ante Æram ergo nihil est residuum supra annos 37. Ac consequenter Æra ipsa erit vero calculo aliquanto brevior.

X. Hac Fide de tempore nativitatis Christi, quæ etiam aliis ex Scriptura demonstrationibus subnixa est, salva de cætero censemus, Deum noluisse nobis accuratius Annum, Mensem aut Diem natalem Christi revelare: nec inde detrimenti quicquam accipere Fidem & Religionem Christianam. Quod non ferens à Scotis dictum definitionis Romanæ Ecclesiæ hyperaspistes *Dan. Tilenus, Paraneſi ad Scotos cap.* 16. *non compescens*, ut ipse loquitur, *petulantiam splenis*, regerit: *Quasi vero nos latere voluerit, quod ipso temporis puncto, quo contigit pastoribus in agro excubantibus patefecit, per vocale Angelorum præconium, Simeoni Iusto & Annæ Prophetissæ per Spiritus Sancti instinctum, Sacerdotibus per Scripturæ oraculum Magis per novæ stellæ exortum, Heredi per Magorum testimonium. Quasi non potius vel hominum accusanda sit incuria (qui diem hunc in Ecclesiasticis monumentis annotare insuper habuerunt) vel temporum deflenda injuria, qua se sævientibus persecutionum incendiis non pauca Ecclesiasticæ Antiquitatis κειμήλια nobis abstulit.*

XI. Necessario querela ista Tileni de hominum incuria & temporum injuria, vertitur in accusationem Scripturarum: quia si à Deo facta est hac intentione revelatio diei natalis Θεόπνευστος, ne nos ille lateret, laborat fides nominatim Lucæ Euangelistæ, qui (professus se omnem Traditionem veram, cujus ad posteritatem intererat, ἀκριβῶς consectatum καθεξῆς scripsisse) abstinuit alios omnes à plenioris narrationis ἐπιχειρήσει, Luc. 1. 1. 2. 3. 4.

XII. Similiter cum Papistarum applausu, nec sine prævaricatione de Fidei & Religionis Fundamento ac Canone, pronunciat *Montacutius* Angulus *Apparatu XI. sect. 40. Licet non habeatur scriptum apud auctores sacros illo die editum in lucem Servatorem, meminerimus tamen, inquit, Tertullianum virum longe doctissimum, stetisse olim cum applausu de hujusce modi consuetudinibus. Si legem expostules scriptum, nullam invenies: sed Traditio prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & NB. Fides observatrix: Et Irenæus paullo antiquior Tertulliano lib. 3. cap. 4. Quid autem si neque Apostoli reliquissent nobis Scripturas? nonne oporteret ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt ii, quibus Ecclesias committebant? Itaque si de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt? & ab iis de præsenti quæstione sumere, quod certum est & reliquidum?*

XIII. Ad Traditionis ergo, cujus urgetur præter Scripturas *Fides observatrix*, Examen hactenus descendum: ut exploretur an sit antiquissimæ antiquitatis, & an ad scientiam etiam Mathematicam sibi constet suo indicio. De Antiquitate quidem minime antiquissima, (quantum ex Ecclesiasticæ Antiquitatis, quæ supersunt, monimentis liquet) res manifesta est, ex concertatione definitionis geminæ: quarum altera est apud *Epiphanium hæresi 51. pag. 194. edit. Basil. Græca*: altera apud *Clementem Alexandrinum Stromat. lib. 1. edit. Commelini, pag. 147.* quorum ille claruit, anno Æræ vulgaris 390. hic. 332. ille 142. annis ante annum 532. quo Dionysius Æram vulgarem condidit. Atque habemus hic confitentem D. *Tilenum*, eadem pagina 67. qua Scotis exprobat ipsos *projecto pudore, poterve conspuere venerandos Antiquitatis canos*: *Olim*, inquit, *Ecclesia festum hoc celebrabat 6. die Ianuarii, qui alias Epiphaniæ, aliis*

alias Theophania dictus: postea die 25. Decembris celebrari cœpit: Chrysostomus in homil. de die natali ait. 10. annos elapsos, quando eam concionem habebat, ex quo primum is dies illi Ecclesiæ innotuerat. Ab eo tempore in 6. Ianuarii adventum Magorum & Baptismum Christi incidisse plerique crediderunt Recentior ergo, est definitio diei 25. Decembris ex Romanæ Ecclesiæ consuetudine, utraque definitione jam indicata, quarum altera mox dicendum.

XIV. Lubricat autem nec sibi constat cum die 25. Decembris anni natalis definitio, quia ipso *Baronio* referente, *varie definita est feria septimana*, vel 6. vel 1. Primam definit *Durandus in Rationali lib. 6. cap. 43. In sexta feria*, inquit, *conceptus in Dominica natus: Cedrenus*, notante Alstedio, definit feriam 4. seu diem Mercurii. In capite Æræ vulgaris 25. Decembris flagitat feriam 7. Sabbati: Anno primo Æræ exeunti convenit demum feria 1. Feria autem 4. convenit anno ante Æram tertio exeunti. Feriæ 6. nisi accenseatur ei nox sequens, ut coincidat cum 7. feria, conciliatio non datur, nisi longius evagetis ab Æra.

XV. Accedit quod notavit *Calvisius cap. 47.* Baronium, ut cum vero calculo Æram vulgarem conciliaret, ne illam biennio anticiparet annus natalis Christi *coactum fuisse ex Romana historia biennium eximere*: adeo ut quamvis ex annorum Nahonassari & Olympiadum ac V. C. connexione, aliisque Chronologicis characteribus, videatur annum talem cum Scaligero & Calvisio definire eundem, ac Æram vulgarem biennio anticipare, tamen necesse habeat definire Annum & diem natalem eadem feria, & eodem anni charactere: Cyclo Solis IX. DC. Lunæ I. feria 7. quia *circa annum 284. duo paria Consulum* ex Fastis Romanis *omittit, & Imperatori Aurelio Probo de sex annis imperii duos adimit.*

XVI. Porro sufficit sibi ipsi πρὸς τὴν οἰκείαν ἀνατροπὴν ad propriam subversionem definitio 25. Decembris Romana consuetudine tradita: & imprudens pro illa ὠμοπαστίζων. *Montacutius* contra illam hoc pronuntiavit, atque Ecclesiam Romanam & Anglicanam feriit, verbis istis *Appar. 11. 9. 40. Sunt qui de Bruma non litigant, nec de mense Decembri contendunt, verum de die non conveniunt iis cum Ecclesia*: Quia quantisper servat Ecclesia Anglicana Calendarii vetusti Julianum ἀδύνατον est, ut ipsi de die conveniat cum Ecclesia,

Ro-

Romana, in qua, imperata ab anno 1581. à Gregorio XIII. Romano Pontifice Calendarii mutatione, decem dies à veteri Romana consuetudine retroceſſum eſt, & 25. dies factus eſt 15. Decembris Juliani.

XVII. Denique ad ſubverſionem definitionis Romanæ facit, quod dicemus verbis *Abr. Sculteti*: *Decretum eſt Chriſtum menſis Decembris die 25. eſſe natum, ſed ex meris conjecturis & fictis principiis. Patres enim, Ambroſius, Hieronymus, Chryſoſtomus, alii, Zachariam patrem Iohannis ex falſiſſimis principiis faciunt Pontificem Maximum: indeque colligunt eum more conſueto de 10. menſis 6. Sanctum Sanctorum ingreſſum, adeoque Iohannem Baptiſtam Octobri conceptum, Iunio natum: Et quia ſcriptum ſit Iob. 2. 39. Oportet illum creſcere, me autem minui: & vero dies decreſcunt 24. Iunii confecto ſidere ſolſtitii, creſcunt autem 25. Decembris, confecta Bruma, credi debere Iohannem 24. Ianii, Chriſtum 25. Decembris natum.*

XVIII. Quamvis vix neceſſe ſit ultra laborare, ſi non de definitionis iſtius, ſaltem de Fidei, quæ urgetur neceſſitate, & antiquitate: Tamen operæ precium erit, antiquioris quoque antiquitatis definitionem cognoſcere, ac primo quidem illam Ægyptiorum apud *Epiphanium* de die 6. Januarii, quæ, non antiquitate ſola jam indicata, Romanam definitionem, ſed indicationis Mathematicæ ἀκριβείας reliquas omnes poſt ſe relinquit: quia habet Epiphanius novem Calendariorum connexionem: è quibus lubet excerpere nobiliſſimam & ad Chronologiam ſacram utiliſſimam connexionem Calendarii, Ægyptii, Hebræi, & Juliani. Anni ergo Nabonaſſari 745. dies 136. eſt 16. menſis Ægyptii Tybi, feria 1. in quem incidit Æræ Judaicæ 3758. menſis Thebet dies 19. nec non anni Juliani ante Æram vulgarem 3. menſis Januarii dies 6. Quam conexionnem ſi alio anno quæras, aberrabis à Janua, quia illam non patietur Calendarium Hebræum: eſt autem illi ἀγχίβυρος (ut appareat hac emendatione reſtituenda) connexio, quæ ſic legitur apud Epiphanium, IIX. *Idus Ianuarias, ſeu V. Ianuarii. Tybi XI. Thebet XIII.* De die menſis Romani dubitare non patitur, quod expreſſum eſt, *IIX. Idus.* Hebræi Calendarii cum Romano conexionnem ac ipſum calculum vindicatum vide eſt à *Phil. Lansbergio* in *Chronologia ſacra.*

XIX.

XIX. Vincit hanc definitionem, ut videtur antiquitate, (si illam scriptorum ætate metiri licet,) Verum minime indicii accuratione, Veterum apud *Clementem Alexandrinum* opinio, quam si non ut verissimam, ut verò proximam adoptat *Thomas Lydiat. Sunt*, inquit Clemens, *qui περιεργότερον nativitati servatoris nostri non solum annum, sed etiam diem assignant, quem dicunt anno Augusti* 28. 25. *Pachon*, mox injecta mentione *Basilidianorum* affirmat *quosdam ipsorum dicere natum Pharmuthi* 24. *aut* 25. Convenit autem 25. Pachon, (servato Epilogismo annorum Nabonassari inchoatorum 26. Febr. feria 4.) in Annis Nabonassari 747. 748. 749. & 750. Maji 14. in Annis ante Dn. 1. DC. & anno Dn. 1. B. & 2. A. & 3. G. Pharmuthi autem 24. & 25. Aprilis 13. & 14. Ut non necesse sit cum Thoma Lydiat adstringere calculum ad postremum istius quadriennii annum, neque conveniat dies, quem ille definit *Aprilis aut Maji*. 20. Et de *Anno Augusti* 28. malumus accedere *Scaligero*, juxta tabulas *Helvici*, quæ connectunt illum cum Æræ vulgaris anno I. vide *Scal. de Emend. Temp. lib.* 5.

XX. Mirari licet, quomodo Montacutius, qui verba Clementis περιεργότερον προσπθέμαι interpretatur per ἀκριβολογολέσθαι seu *accuratius definire*; tamen conetur persuadere, quod cum ἀκριβείᾳ contradictionem implicat, veteribus illis *ignorantibus vel tanquam aliud agentibus obrepsisse pro* 25. *Decembris*, 25. *Pachon*, pro Decembri scilicet Majum mensem. Rectius longe dixerit περιεργίαν vocari à Clemente curiositatem de temporis puncto, quod tacente Scriptura tuto ignoratur. Et minus aliena est conjectura *Iac. Cappelli*, qui partem dissensionis Chronologicæ de die & mense Natali Christi, nec non anno, inde arcessit, quod *diem* forte *conceptionis* Christi sumpserint *præ die Natali*, vide *Cappellum ad Annum ante Dn.* 2.

XXI. Juxta has Veterum sententias, quæ & Tempestate anni dissident, aliis de Bruma consentientibus cum Romana definitione, sed 13. aut. 14. dierum in mense intervallo, & anno diverso: aliis statuentibus Ver affectum circa Majum: Notamus de Anno dissentientem etiam epilogismum *Chronici Eusebiani*, cui hæret *Iacobus Cappellus*, ut verâ Ærâ currat à Kalendis Januariis annus 1542.

Epocha, videndus *Scaliger in Appendice ad libros de Emendatione Temporum*: nec non *Lansbergius Chronol. sacra lib.* 3. *c.* 4. Uterque pro sua sententia, ille ad conceptum circa 6. Januarii, hic ad natum eo die Christum, rationes subducit.

XXV. Atqui non est contemnenda hic Censura *Abr. Sculteti Exercit. Euangelicarum lib.* 1. *cap.* 46. *pag.* 111. *Verum & hæc*, inquit, *sententia fundamento valde dubio nititur: Supponit enim hoc: cum vices Sacerdotales ab Antiocho interruptæ, & à Iuda Maccabæo essent restitutæ primam in ordine familiam primo quoque munus suum iniisse. Atqui potuit initium facere, vel illa familia, quam tetigit ordo cum interrupti sunt cultus: vel illa, quam tetigisset ordo, si interrupti nunquam fuissent, supputatis scilicet vicibus, quæ triennii spacio exactæ erant.*

XXVI. *Quid ergo?* (inquit Sculteus, ad generalem controversiæ de Anno Mense Die nati Christi ἐπιχρισιν, *pag.* 112) *Tacente Scriptura taceamus & nos, & Christum Servatorem in tempore* (addimus nos, non longe à capite Æræ vulgari Christianorum) *natum adoremus, etsi in quo temporis puncto natus sit ignoremus.*

XXVII. Cum hac autem ἐπιχρίσει qua corruit Traditionis (nimirum sola Romanæ Ecclesiæ consuetudine, quæ ipsa sibi nec de die nec de anno constat) *Fides* quæ urgatur *observatrix*, utilis est & minimè inanis Chronologorum ad calculos sedentium περιεργία: neque merentur hic aut veteres Ægyptii, ut à Montacutio audiant *Schismatici*, aut recentiores *Scaliger, Calvisius, Parens, Beroaldus, aliique, singularitate in transversum raptio opinatores: qui oblatrantes contra Ecclesiam, descendunt in multiplices vanissimarum opinionum discrepantias, quæ, cum se mutuo jugulent & conficiant, Ecclesiam tamen oppugnant singulæ & universæ, postquam semel à recto veritatis tramite declinarunt*: Merentur illi ut Montacutio tam atrociter vapulent, si *rectus veritatis trames est* Ecclesiæ Romanæ Traditio non scripta.

XXVIII. Concludimus hanc disquisitionem hoc consectatio Theologico, (relicta in medio Quæstione illa generali, An dies Festos instituere sit solius Dei, quæ suam disputationem flagitat, & in alteram etiam quæstionem resolvitur, An sint veri nominis dies Festi, qui præter diem Dominicum in Ecclesiis Reformatis Ecclesiastica constitutione sacris conventibus solennes sunt.) Non esse Festum Navitatis Domini anniversarium celebratum

consuetudine Ecclesiæ Romanæ 25. Decembris sive Juliani sive Gregoriani, institutionis divinæ: quia illa, extra diei & mensis definitionem authenticam, sanctificationem à Dei verbo, quod extra Scripturas sacras hodie nusquam est, omnino nulla est: Ac consequenter absque placulo potuisse Ecclesias, & posse quando ad ædificationem id oportunum est, ab illa etiam consuetudine & traditione Ecclesiæ Romanæ recedere, illamque abolere. quod etiam in animo habuisse Ecclesias Reformatas Belgii, docet *Synodi Nationalis Dordrechtanæ, anni 1574. Canon 53.*

COROLLARIUM

PRimum temporis principium, quod mundus à Deo creatus est, propter varias, quæ ex Scriptura determinari non possunt, controversias Chronologicas, (quarum duæ nobilissimæ sunt, 1. de Anno natali Abrahæ. 2. de annis regni Perlici: in quarum utraque est tempus ἄδηλον circiter 60. annorum.) authenticè ἀκριβῶς definiri non potest. Tamen infallibiter testatur Mosis & Prophetarum Chronologia sacra, Mundum primum ortum, ante certa ac pauca (ac sæculis aliquot intra sex) annorum milia: Atque hoc ad Fidem & ad Perfectionem Scripturarum satis est.

II. Minimo Christianorum Chronologorum calculo, quem existimamus esse calculum Tremellii, à quo Junius recessit adjectis circiter annis 75. Chronologica Æræ Judæorum mutila est annis 151. Calculo Scaligeri, annis 189. Nostra conjectura est mutilatam esse integro Cyclo Judaico terdenario annorum 247. atque olim cepisse, Octobiris VII. Tybi XIX. Tisr. s. feria 1. Anni Juliani ante Æram vulgarem 4008. Ægyptii autem 4010. Quam Epocham conferimus cum Scaligeri calculo hoc pacto, ut Anno natali Abrahæ constituto, in anno Therachi 60. ineunte. Quem Scaliger numarat annum Mundi 1. qui est ante Æram vulgarem 3949. nobis sit annus Mundi 60. Diluvium autem iniens statuimus Anno ante Dn. 2353. Mensis Hebraici Jiar 17. Anni Juliani 1656. Junii 2. Anni Ægyptii 1659. Athyr. 1. Finiens autem Anno ante Dn. 2352. Anni Juliani 1657. Junii 1. Jiar. 27. Anni

Ægypti

Ægypti 1658. Paophi 30. Annum autem Exodi cum Scaligero eundem statuimus, Ante Dn. 1497. sed quem ille numerat 2453. nos numeramus annum Julianum 2512. Ægyptium 2513¼. Ac statuimus Exodem XV. Nisan. Aprilis XVI. feria 5. Pharmuthi XIIX.

Oportunus autem est ille nostri conjectura restitutæ Æræ Judaicæ Annus I. Ante Dn. 4008. G. ut etiam possit anni caput constitui, atque primi anni & septimanæ primæ dies primus, figi IIX. Kal. Aprilis, 25. Martii, qui à veteribus omnibus, teste Scaligero præfatione in Eusebium, censetur dies Mundi natalis. Sed cum primi anni primæ septimanæ die primo, mensis quoque primus Tisri inchoatur opportunius, Octobris VII. jam indicato, Tybi XIX. Judicent docti.

III. Sabbatum δευτεροπρώτων Deuteroprotum Luc. 6. est Sabbatum illud quod in Iudæorum Seder Tephilloth, seu libro precum edit: Venetæ pag. 180. versa. & sequentibus, dicies dicitur ראש וראשון quod est ἀρχὴ δευτεροπρώτου, principium secundum primum, ac definitur in Lectionario Bibliorum שבת החרש, quia legitur in eo textus Mosaicus Exo. 12. 2. quo primus mensium anni constituitur, ad sacros usus mensis Nisan. Ratio ergo nominis evidens est, quod sicut ἁπλῶς absolute primum Sabbatum est Autumnale, primo calculo Anni Georgici seu qui ad agriculturam pertinet, sic, secundo divinitus imperato calculo anni sacri, ad memoriam Exodi, primum Sabbatum censeantur, quod vel est in ipsis Kalendis Nisan vel illas proxime antecedit.

Selectarum Disputationum IX.

THEOLOGICA TEXTUALIS:

Ad oraculum Propheticum DE IMMANVELE nascituro ex VIRGINE.

Esai. VII. 14. 15.

THESIS I.

RAculi de Immanuele Esai. VII. 14. 15. interpretatio θεόπνευς, de qua Christianis nefas est ambigere, illa est apud Euangelistam Matthæum cap. 1. 22. 23. In nativitate Jesu ex Maria Virgine impletum, quod à Domino dictum per Prophetam, dicentem: Ecce Virgo ἡ παρθένος Uterum feret & pariet Filium, & vocabis nomen ejus Immanuel: quod est, si interpreteris, Nobiscum Deus.

II. Contra Apostolicam interpretationem litigant Judæi, contestantes & oraculi *citationem* Grammaticam seu literalem, & *applicationem* ejusdem historicam ad Messiam olim nasciturum. In citatione Grammatica disputant peccari, principaliter in interpretatione vocis העלמה, per ἡ παρθένος Virgo: quæ si proba esset, contendunt debuisse apud Esajam scriptum esse בתולה, non *Alma*, sed *Bethula*: esse enim *Alma* vocem mediam, ut נערה *Naara*, quæ notat ætate adolescentulam, νεανίδα, sive sit בתולה *Bethula* Virgo, sive בעולה *Bethula* Maritata. *R. Kimchi* in *Commentario ad Esajam* & in *Libro Radicum in Radice* קלם. Ex Judæorum mente Aquila & Theodotio vertunt ἡ νεανίς adolescentula: & Hispanica Judæorum *Biblia* excusa *Ferrariæ* 1553. habent, *la Moca*, in nostro quidem exemplaria alia, in quibus relicta est in medio Hebræa vox *Alma*.

III. Præivisse Apostolo interpretatione vocis *Alma* per ἡ παρθένος

ἡ παρθένος, ipsos interpretes LXX. contra *Ebionæos* sectantes interpretationem *Theodotionis Ephesii, & Aquilæ Pontici, Iudæorum proselytorum*, jam olim contestatus est *Irenæus, Libro adversus hæreses Valentini & similium 3. c. 34. Interpretatum est in Græco, ab ipsis Iudæis multum ante tempora adventus Domini nostri, ut nuka relinquatur suspicio, ne fortè morem gerentes nobis Iudæi, hæc ita sint interpretati. &c.*

IV. Existimamus autem ne quidem Fidei Christianæ, de mysterio nascituri ex virgine Messiæ, assensuros fuisse Judæos, etiamsi voce בתולה quam hic flagitant, Propheta esset usus: qua etiam vox illa occurrit, & de adolescentula stuprata jam Deut. 22. 25. & de vidua maritum lugente Ioel. 1. 8.

V. Asserimus autem & magis determinatam Virginis significationem esse in voce *Alma*, quam in *Bethula*, & pleniorem inesse & perfectiorem notationem Virginitatis etiam ipsis oculis, quasi intactæ & illibatæ, quia vocis etymologia Hebræa notat ἀπόκρυφον seu absconditam & secreta educationem in parentum aut tutorum ædibus. Neque ullum esse in Scriptura locum ubi alia Virginis significatione vocem Alma accipere nos cogant loci circumstantiæ. Occurrit præter locum Esaiæ VII. 14. 15. alibi sexies tantum. 1. Genes. 24. 43.) 2. Exod. 2. 8.) 3. Psal. 68. 26.) 4. Prov. 30. 19.) 5. Cant 1. 3.) Cant. 6. 7.

VI. Unus ex illis sex locis Prov. 30. 19. contra Christianos urgetur à *D. Kimchi. in libro Radicum*: in quo est דרך גבר בעלמה *Via viri in Alma*. Quod contendit non posse sine magno absurdo expon. *Via viri in Virgine*: & flagitare versum sequentem, ut de muliere fornicatrice seu adultera, quamvis ætate adolescentula, accipiatur. Hic existimant non nulli standum esse versioni Judæorum LXX. qui vertunt ἐν νέότητι *in Adolescentia*: quia non est infrequens in lingua Hebræa ut fœminina vox concreta significet Abstractum; & intelligendum esse per Viam viri indolescentia, quæ captum excedat, difficulter investigabilem vitæ scopum & institutum, propter ætatis æstum, & affectuum lubricitatem,

VII. Non existimamus necessum esse, ut illa evasione utamur: sed neque Salomonis orationem vexandam censemus, altera ἀπαγωγῇ, qua nonnulli amant Judæis obtrudere hujus ipsius loci expositionem de Virgineo conceptu & partu Messiæ; quo confugit

Oeco-

Oecolampadius, Potior videtur & sufficiens est illorum responsio, qui, eodem quidem cum versu sequenti scopo, sed non de una muliere, accipiunt quod à Salomone dictum est, in hanc sententiam, ut notet, occultas & clandestinas vix pervestigabiles virorum artes & insidias: à quibus, accedente quandoque ipsarum lubricitate, admodum est difficilis Virginum custodia. Accedit quod ipsum etiam naturale Virginitatis arcandum potuit respexisse, quod Medicis & Philosophis pene ἀκατάληπτον fecerunt illarum artes, quæ, cum Virgines non sunt, Virginitatem ita mentiuntur, ut etiam imponant; Quamvis crassa nimis sit impostura, cui, qui credat decipi velit, quæ fide *Genebrardi*, refertur, *Ambianis in Francia contigisse, ut virgo peperierit sub Henrico II. Franciæ Rege. Zach. Visinus* in Esajam: Si recte inspiciatur locus, facit contra Judæos, quia manifestissimum est ex verbis Salomonis, eum nomine alma, seu virginis seu puellæ, uti per Catachresin, pro scorto quod sese gerit & venditat pro Virgine. Itaque vocat virginem, id est, quæ videtur aut vult videri virgo, etiamsi non sit virgo, id est, virginem non veram, sed simulatam aut creditam.

VIII. Enimvero, Esto, sit mediæ significationis vox *Alma*, At in oraculo Immanuele, aliam qua Virginis significationem non patitur præfatio illa, *Daturus est vobis signum Dominus ipse, Ecce, &c.* Quæ notat Rem novam & stupendam, quam immediate operaturus sit Deus ipse sua omnipotentia: Ejusmodi autem signum נס nullum promittitur, si tantum promittitur, fore ut secundum naturæ ordinem, virum experta adolescentula concipiat & pariat. Atque nimis dilutum est effugium, in eo signum consistere quod ante partum certo prædici potuerit adolescentula paritura masculum. Prædictioni enim tam illustri, illustris miraculi, parum conveniens est, si nihil censeatur prædictum, quod non à sageciori-bus obstetricibns per conjecturas naturales investigari, vel divinando etiam attingi potuerit: de quo proinde oraculum non necessario, ut Θεόπνευστον & infallibile accipi, sed ut conjecturale ab Achazo negligi poterat & rideri. Recte ergo *Oecolampadius*, *enarratione in Matthæum*, *Non esset signum si vulgaci modo puella concepisset.*

IX. Vindicata loci *citatione*, succedit vindicatio *applicationis* ad Messiam, absque qua fruftra esset prior: Ad Messiam enim non esse appli-

applicandum oraculum, ut puerum, qui nasciturus, promittitur, disputatur non una objectione: quarum objectionum hæc summa est: Non debere applicari oraculum ad puerum post multa sæcula demum nasciturum, quia agebatur cum Achazo rege, qui Domini Davidicæ & urbi Hierosolymæ, à duobus hostibus Rezin Rege Syriæ, & Pekach Rege Israelis, meruebat: à quibus bello petebatur, & qui minabantur se Judæam redacturos in Provinciam inter ipsos discerpendam: seu facturos partim Syriæ, partim Israëlis μεσοθήκην. Quod non futurum spondens Deus per Prophetam offert & dat ipse partum *Almæ*. Jam ad præsentem illam liberationem, Quid facit signum de Immanuele multis post sæculis demum nascituro? Et ad Achayum impium, Quid facit promissio de Messia? Quam neque ipse intellexit, neque credidit? Et omnino videtur præsentis liberationis præsens signum flagitare in puero mox nascituro, & educando butyro & melle versus 16. immediate sequens. *Quia* seu *Enimvero, antequam puer iste sciat adversari malum, & eligere bonum, relinquetur terra, quam tu detestaris à duobus Regibus ejus.*

X. Propter hos scrupulos *Wolfgango Musculo* adlubescit in *commentario* in *Esaiam*, ut ad expugnandam Judæorum pervicaciam magis solida, oraculi interpretatio illa, qua tres illi versus 14. 15. 16. non accipiantur κατὰ τὸ ῥητὸν seu ad literam de Messia ex virgine nascituro: sed de puero aliquo ex puella adolescentula per congressum viri nascituro, cui imponendum esset nomen Immanuelis: cujus nominis symbolo, in puero illo, ut typo haberent signum & præsentis, & futuræ per Messiam nascituram liberationis, qui ex virgine nasciturus, esset typi illius antitypus Plene implens oraculum. Ex Pontificiis idem sentiunt, *Salmero* aliisque.

XI. Verum enim vero non sic expugnari censemus Judæorum pervicaciam, sed imprudenter confirmari: Et ad veram Loci Prophetici Analysin, non est cum versu 14. & 15. ut de puero uno nascituro Immanuele connectendus versus 16. sed de nascituro Immanuele & educando butyro & melle sermo, *cum versu* 15. finem habet: versu autem 16. redit sermo Propheticus ad jam natum puerum Prophetæ filium *Schearjaschub*, de quo ante sermo fuerat, vers. 3. qui antequam adolesceret, promittitur duorum istorum Regum

Syriæ & Samariæ ſublatio è medio; ut non ſint porro metuendi.

XII. Quid autem faciat ad rem præſentem ſignum de Immanuele multis poſt ſæculis demum naſcituro; varie conantur expedire Chriſtiani: Quorum variis ſuffragiis ponderatis: *Fred. Spanheimius Dubiorum Euangelicorum Partæ I. Dubio* 34. Probabiliorem cenſet ſententiam illorum, qui arbitrantur, vocem עלמה non eſſe urgendam, quaſi proponeretur partum virginens, ut ſignum proprie acceptum liberationis Achazi: tale enim ſignum non amplius polliceri Prophetam eo, quod Achax id rejeciſſet, ſed τὸ עלמה hic accipiendum generice. Quod videtur voluiſſe *Vatablus* in notis hac paraphraſi: q. d. *Tu cogitas Deum non ſatis eſſe potentem, ut te liberet à Rezin & Pekach: at falleris, nam longe majus argumentum ſuæ potentiæ daturus eſt tuis nepotibus, faciet enim, ut ex Virgine naſcatur Meſſias: qui liberabit populum à perniciosioribus multo hoſtibus, peccato morte & Satana.*

XIII. Quamvis autem *Spanheimius* ſententiam illam cenſet probabiliorem, quam illorum, qui exiſtimant Achazum putaſſe imminere exitium totale & Judææ & Domui Davidis, Deum vero ſubjicere ſignum, & docere, *non vaſtandum vel excindendam penitus eſſe Iudeam, donec peperiſset Virgo, &c.* Nobis tamen valde ἀγχίσυρος ſeu vero proxima videtur iſta reſponſio, quam egregie explicatam vide & defenſam à *Zach. Viſino*, commentario in Eſajam.

XIV. Non autem putamus opus eſſe illa Hypotheſi, quam illius ſententiæ baſin facit Spanheimius: Quod in Scriptura ſæpe ex ipſis reſponſionibus judicium ſit faciendum de quæſtionibus: Cum ergo dicat Propheta non deſtruendam eſſe Judæam, niſi poſtquam Virgo conceperit & pepererit; interrogationem etiam eodem modo eſſe intelligendam: quam hypotheſin fatemur eſſe ſubtiliorem, quam ſolidiorem: Ac ſoliduseſſe exiſtimamus, ſi ex quæſtione judicium fiat de reſponſione, non eſſe ἀνάπαλιν.

XV. Quid ergo? Non perſonis duorum iſtorum hoſtium Regum Syriæ & Samariæ, eorumque vitæ termino, aſtringenda eſt comminatio, quam ex illorum conſultatione formidabat Achaz: ſed juxta verbum illud *pugnent ipſique nepotes* non perſonæ Achazi ſoli, ſed nepotibus etiam ſuis metuebat ipſe, ne vel Syriæ vel Samariæ, vel partim, vel in ſolidum contributa fieret Judæa, ſuis Regibus & re-

regimine orbata: quod quidem ipsi prope diem se effecturos conjuraverant vers. 5. & 6. Hoc erat ergo τὸ χρηύμενον principale, de quo, ut mos est Regibus, non suo tantum, sed etiam nepotum, regni hæredum nomine, illum sub pectore versabat & coquebat cura cum trepidatione & metu. An successum unquam habitura essent consilia ista, serius ocyus, de Judæa orbanda suis Regibus & regimine, & redigenda in provinciam, contributam vel partim, vel in solidum Syriæ aut Samariæ.

XVI. De vastanda vel exscindenda penitus Judæa, alia est quæstio, cui respondetur alio oraculo Prophetico Danielis cap. 9. 27. Nativitatis Messiæ tempus propius tangit Quæstio illa de Judæa aut Samariæ aut Syriæ contributa. Ad quam existimamus oraculo Prophetico Esaiæ cap. 7. contineri responsionem bipartitam: Non Samariæ aut Syriæ contributam Judæam, 1. neque tempore Achazi absolute, quia brevi intra adolescentiam pueri recens Esaiæ nati, uterque & Syriæ & Samariæ Rex consilii istius auctores, essent exterminandi suis sedibus: 2. neque nepotum Achazi tempore: quin ante conciperet Virgo.

XVII. Hanc oraculi de nascituro ex Virgine Messia διάνοιαν, non labefactat nec evertit, Achazi, neque cœcitas neque infidelitas: quia juxta illam, neque necesse est ut ipsum attingat salutaris Messiæ nascituri promissio qua talis; neque ut Messiam ex virgine nascicturum crediderit aut intellexerit, aut ad oraculi veritatem, aut ad trepidationem illius auferendam intereat: Sed quoad ipsum hoc abunde satis est, ut quod ipse in sua infidelitate & cœcitate, secundum literam tamen intellectum, credidit ἀδώνατον & nunquam futurum, datum ipsi fuerit in signum ejusmodi, quod donec fieret, non esset futurum, quod metuebat: Quando autem fieret, futurum esset salutare Ecclesiæ Dei.

XVIII. Quod autem Nativitatis Christi tempus attingat, quæstioni illi Judæa futura aut Syriæ aut Samariæ, contributa provincia, & πρόσθηκη, respondens oraculum de Immanuele nascituro ex Virgine: utpote non tantum Omnipotentiæ divinæ, sed etiam Plenitudinis temporis signum Achazo & domui Davidis datum intelligatur: fidem facit Judæi *Iosephi* historia, ejusque cum notatione illa Lucæ Euangelistæ concertatio, Luc. 2. 2. *Hæc de-*

Scriptio prima facta est præside Syriæ Cyrenio.

XIX. Non laboramus ad quæstionem præsentem magnopere de Loci illius apud Lucam Chronologia concilianda cum *Iosepho*, qui demum post mortem Herodis Ascalonitæ regnante Archelao, Cyrenium scribit Præsidem Syriæ constitutum: quem nodum varie aut solvunt aut secant Theologi & Chronologi: Siquidem standum erit Josephi Chronologiæ, & Census ille de quo loquitur Lucas actus est non sub *Quirino*, sed sub Q. *Varo* Syriæ tum temporis Præside, dicemus obiter potiorem videri solutionem illam, *Quod apud Lucam πρώτη æquipolleat comparativo πρότερα: ut hic emergat sensus: Hæc descriptio prior fuit, quam Quirinius Syriæ Præses esset*: vide *Steuberi* præfationem ad *Tabulas Helvici*: quam ut dicatur, *Forte illum versum non esse Luce*: vel *si est Lucæ forte errore Librariis irrepsisse mendosam Lectionem Cyrenii pro Qu. Vari.*

XX. Quidquid sit de Chronologia ista, hoc in præsens sufficit: Non ante debuisse fieri Judæam Syriæ contributam, quam circa illam temporis plenitudinem, in qua nasciturus erat ex Virgine Immanuel: Non potuisse ergo nec debuisse ultra differri Messiæ nativitatem, quando Syriæ Præses, quisquis ille fuerit primus, sive Cyrenius sive Quintilius Varus, ad censum in Syria agendum missus, censum una egit in Judæa, ut Syriæ provinciæ contributa

XXI. Quamvis ergo largiendum esset demum post mortem Herodis, secundum Josephum, quando Judææ Tetrarcha fuit Archelaus, missum à Cæsare Romano Cyrenium ad censum in Syria agendum: Demonstratur ament solide Fides Christiana, in illa tempora incidisse Messiæ pueritiam, ex eo quod Josephus scribit hoc factum τῆς ἀρχελάου χώρας ὑποτελοῦς προσνεμηθείσης τῇ συρίᾳ, Ditione Archelai contributa Syriæ Antiq. lib. 17. cap. 15. quod mox lib. 18. cap. 1. enunciat illis verbis, τὴν Ἰουδαίαν προστεθεῖσαν τῇ συρίᾳ γενομένην, Judæam jam attributam provinciæ Syriæ. Ac jam ante commemoraverat hoc Judææ accidisse ipsa Judæorum postulatione: qui, repressis superveniente Varo Syriæ præside seditiosis Pseudo-Christis Regis titulum usurpantibus, omniaque miscentibus cæde & sanguine, Legatos ipsi permissu præsidis Syriæ Romam miserunt: ἦν δὲ κεφάλαιον

αὐτῶν

αὐτοῖς τῆς ἀξιώσεως, βασιλείας, καὶ φιλῶνδε ἀρχῶν ἀπηλλαχθαι, πρεσβήκην δε συρίας γεγονότας, ὑπηκόοις εἶναι τοῖς ἐκεῖσε πεμπομένοις στρατηγοῖς. Summa postulatorum hæc fuit, ut mutata Reipublicæ forma posthac sine Regibus agerent, & contributi Provinciæ Syriæ Romanis parerent potestatibus. Antiq. lib. 17. cap. 12.

XXII. Eorum, quæ dicenda supersunt explicationem prolixiorem, differimus in disputationem aliam de *Temporis plenitudine*: Ad præsentem autem disputationem sufficiet pro conclusione Thesis hæc, ex *D. Tossani Thesibus contra Iudæos, disputatis ao. 1596. Thesi 28.* Euangelicum Prophetam Esajam etiam hoc cap. 7. descripsisse luculenter utriusque naturæ in Christo attributa, atque exposuisse Promissionem illam primam factam Genes. 3. *de Semine mulieris*. Per semen enim mulieris intelligi verum hominem aut infantem conceptum & natum ex fœmina Virgine, id est, sine congressu viri, ad monet Esajas, docens futurum ut virgo illla (העלמה *cum* ה *demonstrativo*) olim scilicet sub promissione de *Semine mulieris* intellecta concipiat & pariat filium, qui ut verus puer butyrum & mel sit comesturus, donec adolescat, & proficiat ætate & judicio discernens bonum & malum: & vocatum iri nomen ejus, *Immanuel*.

Ex eodem Thesi 30.

Virgine designari eamque peculiarem indicat articulus. Item quod hic patris nulla sit menti. *Posterior observatio est apud Oecolampadium in Esajam.*

Selectarum Disputationum X.

THEOLOGICA TEXTVALIS DE PLENITVDINE TEMPORIS

Ad Oraculum Jacobi, *Genes.* XLIX. 10. DE SCHILOH.

THESIS I.

BAsis fidei Christianæ de Messia exhibito, & non exspectando ultra primo ejus adventu, post Jesum ex Maria Virgine natum jam abhinc annis plus minus 1640. hæc est; Jam tunc venisse τὸ πλήρωμα τῆς χρόνου, hoc est, Illam plenitudinem temporis, ultra quam differri Messiæ exhibitionem non patiebatur per Spiritum S. in oraculis Propheticis prænunciatus, quis & qualis à Deo præfinitus temporis articulus ad consummationem salutis animarum, Gal. 4. 4. 1. Pet. 1. 10. 11.

II. Inter Prophetica ista oraculo prima tenet Oraculum Jacobi Patriarchæ Genes. 49. 10. quod sic habet juxta interlinearem ex Hebræo versionem Ariæ Montani, *Non recedes Virga ex Iehudah, & Legislator de inter pedes ejus, usque quo veniat Schiloh: & ei obedientia populorum.* Vulgatus: *Non auferetur Sceptrum de Iuda & Dux è femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit exspectatio Gentium.* LXX. οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰούδα, καὶ ἡγούμενος ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ, ἕως ἐὰν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ (al: ᾧ ἀποκεῖται) καὶ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν: *Non deficiet Princeps ex Iuda, & dux de femoribus ejus, donec veniant quæ reposita sunt ei (al. veniat, cui repositum est) Et ipse exspectatio Gentium.* Ad cujus oraculi verba & διάνοιαν instituta est præsens disputatio.

III.

III. Ad verba oraculi notamus 1. vocem שׁילה *Schilon* à vulgato interprete vel lectum ח שׁילרח Cheth pro ה He, (quamvis neque sic legatur juxta Analogiam participiem Hebræum, sed שלוח) vel potius ad sensum, quam ad verba respexisse: quam *Galatini* excusationem præferimus cum *Cl. Riveto.* Ab illo notatus Jesuita *Gordonius Humilæus*, hunc locum è septem, quos exempli causa adducit, secundum facit, *quem non tantum ex incuria, sed etiam ex industria à Iudæis corruptum esse*, & juxta vulgatum interpretem restituendum contendit. *Olim*, inquit, *in Hebræo erat Schiloah, Missus (id est mittendus, præteritum pro futuro more Prophetarum) est enim hoc unum ex propriis nominibus Messiæ, quod etiam Habitur recte scriptum Isaiæ 8. cap. v. 6. Hinc Ioannis 9. v. 7. Siloe interpretatur Missus: & Sanctus Aug. in illum locum (tractatu 44. in Ioannem) dicit per Missum significari Christum. Controv. 1. de verbo Dei. cap. 10. §. 4.* Fallitur & fallit Jesuita. Rectius, annotato loco Is. 8. & Joan. 9. fontis, & ex illo fluens piscinæ natatoriæ, scaturientis ex radice montis Sion, nomen esse docet *Adrichomius in Theatro terræ Sanctæ.*

IV. Non *Siloah*, sed *Siloh* Messi nomen esse hoc loco, atque hoc voluisse ipsos Judæos, ipsis illis temporibus, quibus hujus nominis corruptionem illos molitos fingit Jesuita: evidens est trina Paraphrasi Chaldaïca, *Onkelosi*, *Ionathanis*, & *Hierosolymitano*, quæ unanimiter oraculum interpretatur de venturo Rege Messia: qua suorum auctoritate pressi, quamvis fluctuantes hodie mentis suæ excœcatione, necdum contra pronunciant, videantur *R. Sel. Iarchi. R. Aben. Esra. R. D. Kimchi*, & ipse R. *Menasse Ben Israel in Conciliatore suo.*

X. Qua autem Analogia sit hoc nomen *Schiloh.* Grammatice exponendum salva isthac hypothesi, est liberæ disquisitionis, LXX. juxta potiorem illam lectionem ᾧ ἀπόκειται, *Cui repositum est*, acceperunt pro voce decomposit שׁלו *Schello*, *Cui est*, & evidentur fecisse hoc nomen ex pleniore periphrasi illa in oraculo parallelo Ezech. 21. 27. Donec veniat אשׁר לו המשׁפט, cui est Jus vel judicium: ut plene voluerint intellectum ᾧ ἀποκειται ἡ ἀρχὴ, Cui, repositus est Principatus. Sed hoc pacto recessum est à voci Lectione & punctatione legitima, sic tamen ut vel hinc refutat, queat Vetus, quam fingit Jesuita, lectio *Silaoch.*

VI.

VI. *R. D. Kimchi* facit vocem compositam ex Nomine שיל & Pronomine affixo tertiæ personæ, ac interpretatur בנו *Filius ejus*: Quod si amplectimur, hoc lucis accedet huic oraculo, prænunciari Messiam futurum, Judæ filium, quod alias non est expressum: Non tamen existimamus propterea necessariam interpretationem vocis, quia Hypothesis illa, si non verbo isto expressa, necessario tamen intellecta est, propter ita appropriatum benedictioni Judæ præ fratribus hoc oraculum, ut illum singulari μακαρισμῷ fratres celebraturi sint, quod præcessit vers. 8.

VII. Simplicior Analogia est, ut sit vox simplex, ad formam nominum קישר & קישׁוּשׁ derivata à Verbo שלה *Schalah*, salvavit, unde שלוה *Schalvah*, salus Salvatio: & plene scriptum שילוה *Schiloh*, Salvator, qui requiem salutarem ἀνάπαυσιν & κατάπαυσιν præstat, rerum statu turbato Matth. 11. 28. & Hebr. 4. 4. 11. Quod non alia voce Græca rectius expresseris, quam παυστήρ. *Sophocles in Electra edit. Canteri pag.* 92.

ἐγὼ δ' Ὀρέστην τῶνδε πρόσμενῶ' ἀεὶ /
παυστῆρ' ἐφήξειν, ἢ πάλαι' ἀπόλυμαι,

Ego. a. Orestem horum exspectans semper
Sedatorem (vindicem) venturum; miserapero.

VIII. Laborant magis interpretes de versione vocum שבט *Schebeth* & מחקק *Mechokek*, à quarum expositione pendet Hypothesis altera hujus oraculi, de qua sic pronunciat *Tarnovius*: *Exerc. Bibl. pag.* 548. 549. *Qui verba Hebræa intelligere vult aut potest, id videt dici. Non ablatum iri ullo modo id, de quo est Sermo, donec vel antequam veniat Messias*: Quod verum est, quamvis non in rigore illo, quem ipse verbis istis, *nullo modo*, urget. Satis est, si id, de quo est Sermo, quamvis luxatum & accisum ante Messiæ adventum, non fuerit omnino ablatum & excisum.

IX. Ex rigore illo istius Hypothesios fatemur non fuisse vocem שבט vertendam *Sceptrum*: & potiorem fore versionem *Tremellii & Iunii & Piscatoris*, *Non desistet Tribus à Iehuda*: ejusque istam Paraphrasin: *Non confundetur Iehudæ genus, & distincta Tribus nomen amittet*: neque alienam *Tarnovii* ἐπιχρισιν, esse hoc accipiendum κατ' ἐξοχήν, & de excellentia quadam explicandum:

q. d. *Juda non desinet esse tribus talis, cujus familiæ & stirpes possint distinctè numerari, ac linea Davidis distinctè ostendi.*

X. Enimvero Vox *Schebeth*, quæ communiter notat ῥάβδον *Virgam*, pro re nata etiam *Tribum* significat, quæ ut ramus in arbore cognationis enascitur: vel *Sceptrum* potestatis insigne; & manifeste *Virgam Regiam*, quod imprudenter à *Piscatore* negatum castigavit *Tarnovius* ex *Quæst. in Genesin* 418. *Exer. Bibl. pag.* 553. 554. & refellit Piscator ipse versione sua, Psal. 45. 7. *Sceptrum rectum est Sceptrum Regni tui.*

XI. Fatemur non præcise & stricte in hoc oraculo intelligendam *Virgam Regiam*: ac recte à *Casaubono* refutatum ipsa experientia, id, quod *Baronius* cum plerisque veterum censet, promissum hoc oracluo Tribus Judæ continuum regnum ad Christi usque adventum serie continua, aut non nisi ad tempus interrupta duraturum: extincto sub Herode alienigena, ultimo Asiamonæorum Rege. Quia in Tribus Juda cum Davide demum rege cœpit, sæculis aliquot post mortuum Jacobum, Regnum & Virga Regia, & rursum sæculis aliquot ante Messiæ adventum in Zedekia defecit: Neque cum Asiamonæorum regno revixit jam exstinctum domus Davidicæ regnum, quia illi ex Levitica tribu Sacerdotes fuere, qui regnum vel usurpatione vel electione libera obtinuerunt.

XII. Enimvero permutanda hic censemus non abjicienda contra Judæos arma. Et ne vocem quidem *Sceptri* abjiciendam in hujus oraculi expositione: Interim fatemur quoque hoc oraculo contineri illustre illud contra Judæos de adventu Messiæ argumentum; quod urgendum censet *Tarnovius*, *Messiam venisse, quia distinctio tribuum desiit*: cui præiverunt *Tremellius* & *Junius* hac Annotatione: Christo *exhibito*, *& à Judæis rejecto* contigisse, ut tribus Juda *per Romanos abducta atque acta dissipata sit, ut ne Judæi quidem ipsi possint eos, qui sunt Tribus Judæ à reliquis discernere*: *jungit enim sine discrimine inter se conubia & nulla est cura reservandi generis sui seriem distinctam, aut ratio eam distinguendi.*

XIII. Argumentum hoc contra Judæos munitum est promissione post facta domui Davidis Psal. 89 & nomine Davidis attributo Messiæ venturo, ut Davidis filio, Ezech. 34. Hos. 3. 5. cum Matth. 12. 23. & 22. 42. Marc. 12. 35. Luc. 20. 41. Experien-

tiæ autem palpabili non habent, quod opponant, præter fabulas *Benjamini Tudelensis in Itinerario*, de hodierno Æchmalotarcha ex domo Davidica in urbe Bagdad, quas confutatas vide apud Clar. *Const. l' Empereur* in dissertatione ad Lectorem præmissa illi Itineratio.

XIV. Vocem autem *Sceptrum* hic retinendam censemus significatione cum *Tribus* confusa, juxta Scholion Græcum σκῆπτρον δὲ ἡ φυλὴ ὀνομάζεται, *Sceptrum autem Tribus nominatur*: sed distincte ut Juda *Tribum* significet, *Sceptrum* autem, potestatem Tribus, si non Regiam Regiæ proximam, quæ fuit in populo Judaico in summo illo Synedrio LXXII. virali *Sanhedrin*: quod jure Sceptri usum fuisse, *Iac. Capellus* notat Mosem innuere Num. 21. 18. *Ascende putee, celeusma conclamate ei, putee, quem effodiunt Principes, quem effodiunt ingenui è populo cum Legislatore, hoc est*, inquit, *Legislatorum Synedrio LXXII. virali Scipionibus suis instructo: Hic*, inquit, מְשֹׁחֵק *Scipio prorsus idem est, quod* שֵׁבֶט *Sceptrum Gen.* 49. 10. *jurisdictionis videlicet insigne.*

XV. Quo ad oraculi διάνοιαν idem censet *Mercerus* promitti, Non auferendam illius Synedrii potestatem, ante oraculi implectionem; sed accipit alternative dictum, Non auferendum aut potestatem Regiam, notatam voce Sceptri, saltem non illam *Regiæ proximam*, *Mechokek*, quæ jam examinanda, est ejus Etymologia à verbo חקק *Chakak*, quod ut loquitur *R. D. Kimchi* עניין כתיבה hoc est, notat, scribere: atque est סופר *Scriba*: quemadmodum Paraphrases Chaldaicæ vertunt Paraphrastice *Scribas Regis Doctores*. Urget autem ex verbis significationem potestatis inferioris, ex more Scribarum, *qui sedent ad pedes*, המושל ejus penes, quem est Dominatus. Atqui *Mechokek*, ex Scripturæ usu significat ipsum המושל Dominatorem, ut qui Leges scribendas dictat habens ipse in manu sua Sceptrum: ut videre est loco jam indicato Num. 21. 18. & Psal. 108. 9. ubi illa voce Juda ipse dicitur *Mechokek*, hoc est, *Legislator meus*: Vulgatus, *Rex meus*.

XVI. Verba illa, *de inter pedes ejus*, recte censet *Mercerus* revocari, juxta LXX. & Vulgatum, ad propagationem posteritatis è *femore*, h.e. ex lumbis majorum, & accipienda de non cessatura posteritate regnatrice. Quidni ergo posteriori hac voce notentur

ipsi

ipsi rerum Domini, futuri in *Sanhedrim*, quasi totidem σκηπτοῦχοι βασιλεῖς, quntisper penes ipsos manerent Judicia, nec auferretur αὐτονομία, qua suis Legibus gubernabatur Respublica.

XVII. Interim non repugnamus ad disputationem contra Judæos, ut illis hoc largiamur, quod vult *Kimchi*, juxta *Gemaram Thalmudicam Codicis Sanhedrin cap.* 1. *ff.* 1. intellectum, ut in hoc oraculo *Scebet* pro potestate exsuperantiore, quæ tempore captivitatis etiam Babylonicæ mansit penes Æchmalotarchas, accipiatur: *Mechokek* autem pro inferiore illa, quæ erat penes Legis doctores, quia quantisper non desierunt illi, sedere in sua inferiori Cathedra ad pedes חמושל Dominatoris: necesse est quoque non desierit superior illa Cathedra & potestas ὑπερέχουσα dominatoris: Atque sic jugulatur illorum evasio, qui per *Schebet* intelligi volunt *Virgam castigationis* mansuram, donec ab illa liberentur in adventu Messiæ.

XVIII. Ad oraculi jam διάνοιαν plene intelligendam superest disquisitio de ejus complemento, hoc est, quando dicendum sit recessisse à Tribu Juda illam potestatem ὑπερέχουσαν, quæ fuit in summo illo synedrio; Respondetur vulgo, hoc factum, *sub Herode Idumæo, non de tribu Iuda, alienigena*: quod etiam *Mercero* visum est: Verum hypothesin illam Herodem Idumæum ita censendum alienigenam, ut illo regnante illico defecerit sceptrum à Juda, cum *Scaligero* negat *Casaubonus*; Nos non putamus contendendum, fueritne Herodes alienigena nec ne? quod si ad rem facit, jam ante Herodis regnum à Juda ablatum Sceptrum, & impletum oraculum, anno ante Æram vulgarem 63. quando, prior Herode, alienigena Pompejus capta urbe Judæam sub Romanorum jugum misit.

XIX. Sepositа ergo Hypothesi de Herode alienigena, reliqua *Merceri* sententia est Potestatem Sanhedrim Regiæ proximam *Iudæis ademptam, quando Herodes Iudices omnes Sanhedrim sustulit*: quod factum narrat *Iosephus*, quando Regnum usurpare cæpit capta, *Antiq. lib.* 14. *cap.* 17. fuit autem capta urbs ab Herode anno ante Dn. 37. Quæ opinio hoc commune habet cum superiori incommodum, quo luxet illam Hypothesin, supra positam, non ablatum ri id, de quo hic sermo est, donec vel antequam veniat Messias.

XX. Neque est ex illa Josephi narratione consequens, quod infertur: quia etiamsi sustulerit tunc *synedros*, quibus ipse infensus erat: non tamen sustulisse, narratur ipsum *synedrium*, ejusve ordinem & potestatem: quin neque ipsos judices sustulisse aut generis aut ordinis odio. Et res ipsa loquitur, & in historia Euangelica & Apostolica, ad illius Synedrii judicium & Christum & Apostolos vocatos fuisse, Luc. 22. 67. Act. 4. 13. 1. Et potestate illius Synedrii lapidandum traditum Stephanum protomartyrem, Act. 7. 58. cum 6. 15. Quemadmodum ejusdem potestate Jacobum fratrem Jesu Christi, una cum aliis quibusdam lapidandos traditos refert *Iosephus* ipse: *Antiq. lib.* 20. c. 8.

XXI. Quod amicus noster *Lud. Capellus* in *historiæ Iosephi compendio suo* notat, *Videri complementum suum habuisse Prophetiam Iacobi de adventu Messiæ, Gen.* 49. 10. *Non auferetur Sceptrum de Iuda &c. quando Pseudo-Christis à superveniente Varo Syriæ Præside repressis, Legati Iudæorum ejus permissu Romam profecti postularunt, ut mutata Reip. forma non amplius sub Regibus esent, sed Provinciæ Syriæ contributi Romanis, subjicerentur.* Hoc nos bona ejus venia referendum censemus non ad impletionem hujus oraculi Jacobæi: sed, quod superiori disputatione egimus, ad impletionem oraculi, Esai. 7. 14. 15. *de Immanuele nascituro ex virgine*, quando futura esset Judæa Syriæ contributa προσθηκη. Atque sic lucramur alterum, non satis hactenus animadversum oraculum Propheticum de plenitudine temporis articulo, quo uterum gessit Virgo mater, secundum Lucam, Luc. 2. 2. vel secundum illam Josephi narrationem, circa primum annum æræ vulgaris, Herode mortuo.

XXII. Quod ὁμαχαρίτης *Iacobus Cappellus* in *Vindiciis pro Casaubono* post *Galatinum* notat ex *Thalmude*; *Annis quadraginta ante Templi subversionem migravit Synedrium* (magnum scilicet, de Gazit, ut recte R. Salomon interpretatur) *& collocatum est in Hanot, & dixit R. Isaac, Abodimes filius. Dixeris forte vetitum illi, ne judicaret* דיני בנות *causas civiles, Cave credas. Vetitum est illi, ne judicaret* דיני נפשות *causas capitales.* Non est negligendum, quia incidit narratio circiter in annum Christi σαυρωσιμον Æræ scilvulgaris 30. accipienda est enim non ἀκριβῶς, sed ὁλοχερῶς temporis definitio & refertur ad *ereptum à Pilato huic Synedrio jus vitæ & necis*: Quod si absolute verum est, facile subscribemus illis I. C. verbis:

Huic

Huic Synedrio cum ereptum est jus vitæ & necis, & ita quidem, ut id postea nunquam recuperarit, tum certe nihil video, quod merito desiderari possit ad integram sceptri Iudæ ablationem. Atque ex hac hypothesi constat illa supra asserta, quia jam venerat Christus & attigerat annum ætatis 30. aut superarat.

XXIII. Verum malumus credere ex jam dictis Thesi 28. quamvis restrictum fuerit ipsorum jus vitæ & necis, ut non licuerit ipsis crucifigere: & adnutum etiam Pilati adstrictum ipsorum judicium, seu ejus executio: non tamen omnino ablatum fuisse; alias nec licuisset ipsis quenquam lapidandum tradere. Atque ea propter tutissimam censemus assertionem, de impleto demum oraculo Jacobæo, cum urbis & Templi excidio, eversa Republica Judaïca: cessante dominatione omni, ex illo tempore, quo cessavit & ablatum est Sacerdotium, cujus Sacerdotii ablatio meretur peculiarem disquisitionem.

XXIV. Christianorum hic adversus Judæos discordia concors est, saltem ab eversa urbe & Templo, palpabilem esse jam ultra annos 1573. Sceptri cessationem, qua de quidem Æchmalotarcham habent, ut tempore captivitatis Babylonicæ: ut hæc *R. D. Kimchi* eruperit vi veritatis Confessio *in Hoseam cap. 3. 4. Et isti sunt dies exilii, in quo hodie sumus nec Regem habemus nec Principem ex Israel: In potestate siquidem Gentium sumus: & in potestate Regum ac Principum earum.* Et *R. Menasse-Ben Israel* ad hanc confugiat sacram Anchoram, qua Judæorum alias evasiones non conciliat *Conciliator*, sed jugular. *Quæst. in Genes. 65. §. 12.* Deum promisisse quidem tribui Judæ mansurum Sceptrum usque ad Messiæ adventum eodem modo, ut Davidi regnum æternum: sed non præstitisse, *yesto porque todas las promessas de Dios son condicionales, ansi esta de Iahakob lo fue: &c.* idque quia omnes promissiones Dei sunt condicionale: sic fuit ista Jacobo facta.

XXV. Non potest Davidi facta promissio regni æterni, accenseri promissionibus conditionalibus: ut per peccatum filiorum ejus potuerit irrita fieri: quia expresse hoc juramento cavit Deus, non fore unquam irritum fœdus ista promissione sancitum, non obstantibus peccatis, quæ virga castigationis quidem sit visitaturus; sed non ablaturus Davidis solum, quemadmodum ablatum fuit

Saulis, 2. Sam. 7. 12. 16. & Psal. 9. Donec veniat Davidis Germen sanctum: qui idem Jehovah Justitia nostra: qui sedeat: עליון למלכי ארץ *Deus Elion.* Excelsus supra reges terræ, Ps. 89. 28. Jere. 33. 15. 16. Hoc nomine, quod non esset ipse מלך ארץ Rex terrenus, futurus in lapidem allisionis & rupem offensionis duabus familiis Israelis: quamvis Immanuel in terra sua non agnitus à suis, Esai 1. 84. & 8. *Spinis oculos sibi configi ex loco Esaj 8. 14. fatetur R. Iehuda in Gemara Sanhedrim. cap. 4. edit. Cochi pag. 221.*

Selectarum Disputationum Theologicarum XI.

DE ADVENTU MESSIÆ

Ante Templi & Sacrificiorum abolitionem.

THESIS I.

DEmonstrationi Adventus Messiæ, contra Judæos frustra illum exspectantes, ex Sceptra à Juda ablato, Genes. 49. 10. connexa est Demonstratio altera ex illa temporis plenitudine Prophetica, qua ante annos jam 1570. Anno Æræ vulgaris Christianorum 70. Æræ Judaicæ 3830. abolita sunt cum Templo, & cessarunt cessantque in hunc piem Sacrificia Levitica. Pendet autem demonstratio ex tribus maxime oraculis Prophetici, quæ prænunciarunt, Stante Templo, non abolitis, sed mox abolendis Sacrificiis, venturum Messiam promissum, Dan. 9. 26. 27. Agg. 2. 4.---10. Mal. 3. 1.

II. Hypotheses quidem hujus demonstrationis istæ sunt. 1. Ad Religionis Judaicæ, ut Lege Mosis instituta est, integritatem, flagitari Sacrificiorum oblationes, propter peccatorum expiationem. 2. Non fuisse per Legem Mosaicam liberam Sacrificiorum oblationem, extra locum, in quo Deus voluit sibi ædificari Templum à Salomone: ex quo Deus illum elegit. 1. Reg. 1. 16. cum Levit.

vit. 17. 1. 9. Deut. 12. 14. 26. 27. & 15. 20. & 16. 2. 5. 6. 7.

III. Priorem hypotheſin confirmat. ipſa quamvis αὐχαμεχρίτῳ Judæorum ſuperſtitio; qua in veſpera diei expiationis, cum non habeant hodie Sacrificiorum oblationes Lege Moſis præſcriptas Levit. 16. Ne ſcilicet peccatorum Expiatio in Feſto Expiationis nulla ſit; pro maribus Gallum, pro fœminis Gallinam, poſt demurmurationem verſus 17. & ſequentium quinque ex Pſal. 107. & verſuum 23. & 24. ex Job. 33. & trinam capitis verberationem, faciunt victimam piaculārem: terrepetita hac ſolenni formula (quam ex rituali Hebræo - Germanico exſcribimus,) mutatis mutandis, ſi pro aut aliâ, Gallum aut Gallinam offerat Paterfamilias, repræſentans Sacerdotem ſummum: זה חלופתי זה תמורתי זה כפרתי זה התר נגול ילך למיתה ואני אלך לחיים טובים עם כל ישראל אמן: *Hæc ſubſtitutio mea: hæc permutatio mea eſt: hæc Expiatio mea eſt: hic Gallus ibit ad occiſionem; & ego ibo in vitam beatam cum toto Iſraele: Amen.*

IV. Ubi illi, umbratili expiationi Leviticæ, quæ deficit, ſubſtituunt illud σκιᾶς ἔνεκεν umbræ ſomnium: nos deficienti expiationi umbratili credimus interceſſiſſe veram peccatorum expiationem illam, cum adductione æternæ juſtitiæ, quam præſtandam Danieli prænunciavit Gabriel, cum Meſſiæ adventu, ante urbis & ſanctuarii everſionem, Dan. 6. 24. cum 26.

V. De cætero Hypotheſin ſecundam confirmant Judæi, non minori Religione, quam qua olim Sacrificiorum oblationibus ſtuduerunt, jam iiſdem abſtinentes: Adeoque ſeverius ſe jam adſtringentes juri Moſaico de loco ſacro, in quo offerri debebant ſacrificia, & de non offerendo extra illum; quam olim adſtringi potuerunt, ſtante Templo Salomonis. Ex utri uſque autem hypotheſios confeſſione, velint nolint, fareri coguntur, Mutilam hodie eſſe Religionem Judaicam; & nullam habere peccatorum Expiationem nec veram, nec typicam illam olim Lege Moſis imperatam; nec habuiſſe jam ab annis 1570.

VI. Ab iſtis hypotheſibus jam progredimur ad demonſtrationem adventus Meſſiæ hanc; prænunciatum eſſe à Malachia cap. 3. 1. Meſſiam venturum ſtante Templo manufacto, & exhibiturum ſe Templi Dominum; אל הובלו *Ad Templum ſuum Dominum*

ill-

ille. Dominum illum, & eundem Angelum Fœderis, esse Messiam Regem, fatetur *R. D. Kimchi*: quamvis putet posse etiam nominatum esse Angelum fœderis Filium venturum; Templum quoque manufactum hic intelligendum minime negant Judæi.

VII. Verum, ne manus dent, contendunt non de Templo illo, quod jam excisum est, quod secundum vocant, accipiendum oraculum, sed de tertio, quod in diebus Messiæ ædificandum opinantur: vide *Targum in Canticum cap. 1. vers.* 17. De quo scilicet tertio Templo & novissimo loquutus sit Ezechiel à capite 40. ab finem Prophetiæ. Nec posse de secundo Templo loquutum esse Malachiam; quia omnium confessione nondum in sua persona advenit Elias Propheta; quem volunt à Malachia præcursorem Messiæ Angelum, cap. 3. 1. & 4. 5.

VIII. Nos negamus (data non concessa hypothesi de ædificando tertio templo manufacto, ad ideam illam Ezechielis,) de tertio templo accipi posse oraculum Malachiæ: Quia saltem donec advenerit Messias, severe ad cultum Lege Mosaïca institutum apud Malachiam Deus Judæos astringit: *Recordamini Legis Mosis servi mei, cui mandavi in Horeb ad totum Israelem statuta & jura, Mal.* 4. 4. Jam autem, si materialis erit fabrica Templi Ezechielis, recedet certe multum, non tantum ejus structura ab exemplari, quod Deus olim scripto tradiderat, 1. Chron. 28. 19. sed ipse, qui describitur futurus Sacrificiorum cultus, in multis deflectet á Lege Mosis: ut ex collatione evidentissimum est.

IX. Enimvero hoc ipso indicio, & accedente demonstratione manifesta allegoriæ ex Ezech. 47. 12. recte disputat & docet Clar. *Const. l' Empereur, præfatione ad Lectorem, Codici Middoth*, esse in parabola intelligendam structuram & ædificationem spiritualem Ecclesiæ, tempore Novi Testamenti. Et certe insinuatam in ænigmate isto centemus Apologiam Christianorum, contra Judæos, qui jam olim exprobrant Apostasiam à Mose, Act. 21. 21.

X. De Præcursore autem Messiæ Elia in persona sua errori Judaïco, opponimus Angeli Gabrielis & Christi ipsis commentarium; qui docent prænunciatum à Malachia Johannem Baptistam venturum in Spiritu & virtute Eliæ: Luc. 1. 17. Matth. 11. 14. & 17.

17. 11. 12. 13. Qui proinde non absolute ex mente Malachiæ Prophetæ, sed relate ad mentem Judæorum (errantium hunc errorem de Elia, qui olim in cœlum raptus erat, reversuro) negavit se esse Eliam, Joh. 1. 21.

XI. Prævaricantur autem hic, & Anti-Christiano Judæorum errori (quo occupati negant Messiam venisse, & ut scilicet adventus Messiæ acceleretur, precantur jugiter, *Misericors Deus mittat nobis Eliam Propheiam*) velificantur Pontificii, quando Judæum Scriptorem Ecclesiastici *Iesum Sirachi*, qui eodem errore occupatus loquitur de Elia, cap. 48. accensent Prophetis scriptoribus librorum Canonicorum.

XII. Sed hoc imprudens factum veterum, quo cum Ecclesiastici libro adoptatur in Canonem error Judaïcus, jugulans fidem Christianam de adventu Messiæ: cumulat sua impudentia *Bellarminus* aliud agens, nimirum, ut doceat, *Romanum Pontificem non esse Anti-Christum*, contendens *verba Malachiæ non posse intelligi de Iohanne Baptista ad literam, sed de Elia solum, Controv. 3. lib. 3. c. 6.*

XIII. Minime autem vetat, quo minus asseramus, stante secundo Templo Messiam, prænunciari venturum, à Malachia nec non Aggæo; quod objicitur, secundum Templum Zorobabelis, ab Herode dirutum esse, & ei substitutum novum ac magnificentius, tradat *Iosephus Antiqu. lib. 15. cap. 14.* Nec necesse est hic cum *Hospiniano* ex *Augustino de Civit. Dei lib. 18. cap. 46.* de Spirituali Templo Ecclesiæ accipere, quod de gloria templi secundi prænunciat Aggæus, de quo etiam ἐπίχει *Clar. Walæus in Locis communibus pag. 676.*

XIV. Rectius *Clar. Const. l'Empereur* docet, quamvis Templum Zorobabelis insignem mutationem subiit tempore Herodis, ut ille novam quasi structuram effecerit, quam etiam Judæorum Magistri agnoscunt; Tamen non habitum fuisse pro tertio novo Templo, sed idem cum secundo Templo Zorobabelis: neque spectasse Judæos mutationem ædificii ab Herode factam, cum asseverarunt Templum ædificatum 46. annis, Joh. 2. Et ratio sub est evidens, quia nulla facta est intercisio cultus Sacrificiorum; quæ bis accidit cum Templi bina destructione.

XV. Ut autem ad Aggæi oraculum accedamus, illic quasi di-

gito monstratur Templum Zorobabelis ædificati cæptum, ter repetito Hebræo pronomine, atque appellatur eadem domus novissima: ut neque præter illam manufactam alia vel cogitanda, vel spectanda fuerit, ad temporis oraculo præfiniti plenitudinem.

XVI. Summa autem oraculi ista est: Non esse languescendum Zorobabeli principi, neque Josuæ Sacerdoti, neque populo reliquo, aut deserendum opus cœptum novæ ædificationis Templi: quantumvis hujus Templi novissimi aspectabilis gloria, propter tenuiorem auri, argenti, & lapidum apparatum, gloriam pristinam Templi Solomonis, quasi nihil esset, in oculis senum illorum, qui prioris fabricæ poterant meminisse: Posse Deum si vellet auri & argenti etiamnum satis superque largiri: at nolle: ac destinasse huic domui novissimæ aliam longe gloriam, aspectabili gloria prioris domus majorem.

XVII. Gloriam illam, qua domus ista vinceret domum priorem vers. 10. non aliam esse, quam quæ in Messiæ adventu exspectanda sit, qui juxta oraculum Malachiæ venturus sit, ut Dominus Templi in Templum suum, confirmant variæ in oraculo Aggæi observationes, quarum princeps est, quod versu 8. antecesserit Venturas gentes omnes tremefactas, ad desiderium omnium Gentium. Scimus alia quoque syntaxi verba accipi, hanc tamen quam sequuti sunt interpretes Leydenses præferimus. Quacunque autem Syntaxi, *Desiderium* illud *omnium Gentium*, credimus esse, Semen illud promissum, in quo benedicendæ essent omnes Gentes Terræ, Gen. 18. 18. & 22. 18.

XVIII. Observatio altera, quę suggerit Messiæ adventum, est ex ipso versu 10. *Nam in loco hoc dabo pacem.* Quæ verba, ad experientiam collata, de secundo Templo vera non sunt, nisi intelligatur Pax spiritualis, quam Ecclesiæ, stante adhuc Templo, conciliaret Princeps ille Pacis, Esai. 9. 5. per veram & solidam peccatorum expiationem, Eph. 2. 14.---17. Luc. 2. 14.

XIX. Verba illa versus octavi: *Et implebo domum hanc gloria dicit Iehovah Sebaoth*, spectant, tacita comparatione majoris & minoris, apparitionem gloriæ Dei in dedicatione Templi prioris, cum igne cœlitus descendente, videntibus Israelitis omnibus, 1. Reg. 8. 10. 11. 2. Chron. 5. 13. 14. & 7. 1. 2. Ex qua observa-

tione

vatione existimamus prenunciatam oraculo Aggæi, futuram, stante Templo novissimo, missionem Spiritus S. glorioſam in die Pentecostes, qui super Apostolos descendit symbolo linguarum ignitarum, Act. 2.

XX. Huc facit, quod illa demum Spiritus S. missione, & Gentium omnium desiderium à Christo impleri cœperit, quando per donum linguarum janua patefacta est vocationi Gentium ad salutem. Et, quod in ipso Aggæi oraculo versu 6. afferitur Zorobabeli & Josuæ totique Ecclesiæ, constans Spiritus S. communio ad solidam consolationem. *Et cum Spiritu meo, &c.*

XXI. Atque hic considerationem meretur, quod ad Domus secundæ gloriam, in comparatione ad domum priorem, desideratus fuerit non tantum auri & argenti lapidum apparatus priori ἰσόλυμος seu par: sed maxime par mensura donorum & gratiæ Spiritus S. assistentis in Templo Sacerdotibus, & Prophetis, totique adeo Ecclesiæ: Ut notent Judæorum magistri, Quinque istas res desiderata fuisse, in Templo novissimo, quarum defectu defecerit gloria ejus infra gloriam prioris Templi. 1. Arcam. 2. Urim & Thummim. 3. Ignem cœlestem. 4. Divinitatem inhabitantem, quam vocant שכינה. 5. Spiritum sanctum, quo olim acti loquabantur Prophetæ. vide *D. Kimchi* ad vocem אבבר *Agg.* 1. 8. & ibidem *R. Schel. Iarchi*: aliosque apud *Galatinum* citatos *lib.* 4. *cap.* 9. & *Hospinianum* ex Galatino. *libro de Templorum origine, capite* 3.

XXII. Ea propter vere impletum in die Pentecostes Oraculum Aggæi dicimus, & quidem in Templo ipso, in quo censemus contigisse illustrem illum illapsum Spiritus Sancti in Apostolos: quia, nisi intra Templi fabricam constituamus domum illam, in qua usque ad Pentecosten manserint Apostoli, ut, ex illa egressi, occurrerint collectæ ex omnibus populis multitudini, in Templi atriis; nunquam conciliabitur, quod Lucas Exang. cap. 24. 52. 53. affirmat, Apostolos fuisse semper in Templo, ex quo ab ascensione Christi Hierosolymam reversi sunt: Neque repugnat, quod latuerint; cum doceat Scriptura, Joasum latuisse in Templo sexennium integrum, 2. Reg. 11. 3. Consentit nobiscum hic & prolixe rem illustrat ac confirmat Clar. *Lud de Dieu, Animadvers.*

in Acta cap. 1. ad versum 13.

XXIII. Quod jam ex Malachia & Aggæo collatis planum est, ante Domus novissimæ excidium debuisse contingere Messiæ adventum; id confirmatur & illustratur ex oraculo Danielis: ubi urbis & sanctuarii eversionem & per illam Sacrificiorum ablationem, suo adventu præventurus dicitur Messias in fine Septimanarum LXX.

XXIV. Non erat quidem sua obscuritate oraculum illud, quæ etiam interpretes Christianos & Chronologos fatigat: attamen in controversia hac Judaica, de Messiæ adventu ante Templi excidium & Sacrificiorum abolitionem, illam habet perspicuitatem, ut πρόφασιν infidelitatis non habeant Judæi. Missa itaque Chronologorum concertatione de LXX. septimanarum initio, an immediate, an intercurrentibus circiter 70. annis, connexo cum fine captivitatis Babylonicæ: Finem earundem cum *Lyra*, *Burgensi*, *Lucido*, *Mercatore*, *Funicio*, *Bucholzero*, *Perkinso*, *Lansbergio*, *Cappello*, malumus conferre in ipsam passionem Domini; cui assignamus Annum Æræ Christianæ 33. Aprilis Juliani 3. Nisan 15. Phamuthi 22. ut hic fuerit annus 490. Quam cum *Tertulliano*, & *Sulpitio*, quos sequitur *Fr. Iunius*, in ultimam eversionem urbis per Titum: aut cum *Scaligero* in annum tertium ante urbis eversionem. De anno tamen uno aut altero cum *Tremellio*, *Beroaldo*, *Pareo*, nolimus litigare.

XXV. Sunt ergo illa in hoc oraculo, quasi Solis radiis scripta, quæ ex ordine indicabimus, 1. יכרת משיח *Excindetur Messias*: quo prænunciatur peccatum Judæorum atrox in Messiam (quem crucifigerent, impii filii impiorum parentum mensuram impleturi) mox vindicandum atroci pœna. 2. *Urbem & sanctuarium perdet populus principis venturi*, ibidem. Peccaturos autem Judæos tempore adventus Messiæ in Messiam ipsum scandalo impie arrepto, prænuntiatum fuit, (quod ipsi Judæorum Magistri fatentur in *Gemara Thalmudica Cod. Sanhedrim.*) oraculo illo, *Esai.* 8. 14. *Erit in sanctificationem & in lapidem allisionis & rupem offensionis duabus familiis Israelis.*

XXVI. De Urbis & Templi per Titum Vespasianum excidio Angelum Danieli loquutum, agnoscit *Aben Esra.* & *Ios. Iac-*

Iachiades

Iachiades Rabbini: *Rabbi Saadias* adscribit desolationem *Imperatori Adriano*, spectans id, quod sub Ælio Adriano contigit, quando Judæi, duce Barcosba, patrium solum occupare & instaurare conati, ad vicinum veteri Hierosolymæ opidium *Bither* בותר, miserabiliter cæsi & omnes solum vertere coacti sunt, vide *Chronicon Hebræorum minus*.

XXVII. Hanc desperatam desolationem Templi & Urbis, desperatissimam tandem effecit, quod sub *Iuliano Apostata* accidit, referente prolixius *Socrate Eccle. Hist. lib.* 3. ♣ 20. & qui hic suspectus esse non potest, scriptore Ethnico *Ammiano Marcellino lib.* 23. *in initio.* cæptam, jubente, & sumptus faciente, Juliano, Templi Hierosolymitani instaurationem, cessasse, quod *metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris adsultibus erumpentes, facerent locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum.*

XXVIII. Quod ergo jam circa annum Christi 400. scripsit *Sulpicius* de Templi per Titum excidio, hoc jam post expletos ab adventu Christi ultra 1640. annos, fortius stringit: *Hæc ultima*, inquit, *Templi eversio & postrema Iudæorum captivitas, qua extorres patria per orbem terrarum dispersi cernuntur quotidie, mundo Testimonio sunt, non ob aliud eos, quam ob illatas Christo impias manus fuisse punitos; Nam sæpe alias cum propter peccata captivitatibus traderentur, nunquam tamen ultra septuaginta annos servitutis pœnam pependerunt.*

XXIX. Sequitur 3. *Et roborabit Fœdus multis*; & mox, *Cessare faciet Sacrificium & oblationem, vers.* 27. Sicut *Esai.* 8. quamvis lapis allisionis & rupes offensionis, pronnnciatur tamen futurus in sanctificationem reliquis in ipsum crediturs: similiter hic dicitur corroboraturus Fœdus multis, quod ex versu 24. referendum ad *expiationem iniquitatis & adductionem justitiæ æternæ per Vngendam Sanctitatem Sanctuatis*, hoc est, Messiam venturum & sanctificaturum Ecclesiam.

XXX. Atque hic non temere præmissum censemus de Messiæ excisione verbum כרת quo solenne est Fœderum dedicationi, à cæsa, enim pecude cum execratione dicuntur illa feriri percuti; & Hebræis dicitur כרות ברית: Indicatur ergo futura, in Messiæ ad mortem excisione, solida & Testamentaria Fœderis Gratiæ cum Ecclesia confirmatio, propter veram peccatorum expiationem.

XXXI. Similiter licet obſervare, de abolitione Sacrificiorum & oblationum Leviticarum adhibitum verbum שבת; quod oportune indicat futurum populi Dei Sabbatiſmum, quo quiſcerent à labore iſto, qui, roborato plene Fœdere, nulli amplius ante eſſet uſui. Atque ſic divina diſpenſatione non ante futuram Sacrificiorum abolitionem; quam antiquationem eorundem flagitaret Libertas Chriſtiana. Quod prolixe confutat Epiſtola ad Hebræos: cujus ſcopus & ſumma eſt, valedicendum Sacrificiis brevi abolendis cum urbis excidio; & facilem credentibus debere eſſe illorum jacturam, cum gaudeant aut vero Sacrificio expiatorio, & vero Sacerdote, per quem mutatio fieri debuit Sacerdotii typici. Atque hanc nullam fore à Moſe Apoſtaſiam, ſed ab ipſo Moſe prænuntiatum populo Dei Sabbatiſmum.

XXXII. Hic non alienum eſt, quod *in Hiſtoriæ Iudaicæ compendio Lud. Capellus ex Ioſepho* annotat, ſingulariter ad Sacrificiorum abominationem divinam, poſt Chriſti ſacrificium in cruce oblatum, portenta duo illa: primo, Bovem ad Altare adductum, agnum in medio Templo enixum eſſe: deinde, Pentecoſtes die ſacro, nocte Sacerdotes interius Templi artium ad ſacra celebranda ingreſſos, primo quidem motum ſtrepitumque ſenſiſſe: mox vero ſubitam vocem audiſſe clamantem, Migremus hinc. Nec videtur negligenda obſervatio. Cum annum, quo id factum eſt, non notet Ioſephus, ſuſpicari nos non immerito poſſe, contigiſſe id die illa Pentecoſtes, quo Spiritus S. in Apoſtolos à Chriſto miſſus eſt? Tum enim, inquit Capellus, proprie videtur השכינה Judæos & Templum deſeruiſſe, ut ad diſcipulos Chriſti tranſmigraret, Nos malumus dicere, tunc שכינה, h.e. Majeſtas Spiritus S. gloria ſua Templum implevit: ſed non in ſanctuario interiori, cui ſciſſo Velo in mortis Chriſti hora nuncium miſerat: verum in Atriis Templi exterioribus, in quibus erat (extimo illi, quod cingebant Habitacula Sacerdotum & Levitarum, proximum) Atrium Gentium: per Apoſtolos loquens linguis Gentium, quæ mox advocandæ eſſent.

COROLLARIA.

1. PEntecoſtes Judaïcæ ἐξόδιον ſeu finis fuit circa ipſam illam horam dici tertiam completam, qua ex domo illa, ut nos

cre-

credimus, quæ intra Templi ambitum erat, pleni Spir. S. prodierunt Apoſtoli, & Judæis, quos è Templo interiori egredientes obvis habuerunt in atriis, concionati cœperunt: Feria 7. Sabbato. Sivan 6. Maij Juliani 23. Payni 12. Pendet computus ab initio dierum Azymorum, quod eſt in initio horæ quintæ matutinæ 14. Niſan, qua ineunte eſt Ceſſatio fermenti, ut nos docet *Majemonides Tractatu* ומצה חמץ *cap.* 1. §. 8. & 10. Hinc explicandum illud, Act. 2. 1. ἐν τῷ συμπληροῦσθαι. Quum impleretur dies Pentecoſtes, Quinquageſimus à ſecundo die Azymorum, (XV. Niſan, ineunte hora 5. matutina) facto initio.

II. Chriſtus non obtulit nec offerre debuit Sacrificia Levitica: ſed tantum illis participavit, inconnexit Sacramentis. Et explodenda eſt prolixa apud *Suidam*, ad nomen *Ieſus*, fabula de Ieſu Chriſto deſignato Sacerdote inter Sacerdotes Leviticos: Qui illam Latine legere cupit, adeat *Theatrum Hondorffii, ſub finem Exemplorum III. Præcepti.*

III. Sacrificiis in morte Chriſti de jure antiquatis, ante abolitionem ſequutam cum Templi excidio, non valedixerunt illico Judæi Chriſtiani facti. Et eorum oblatione etiam libere uſi ſunt Apoſtoli, ad Judæos lucrifaciendos, Act. 21. 23. 24. cum Num. 6. 14.

IV. Canon Synodi Hieroſolymitanæ, Act. 15. 28. 29. repetitu, Act. 21. 25. quoad abſtinentiam, à carnibus idolothytis in macello venalibus, à ſanguine & ſuffocato, eſt veteris juris cæremonialis, quod jam ex ſeipſo antiquatum & abolitum eſt, nulla ſuperveniente nova Auctoritate divina aut Apoſtolica: quam Eccleſiæ poſt Apoſtolorum tempora hic affingunt Pontificii Theologi, ſed ipſa Auctoritate Scripturarum, Matt. 15. 11. Rom. 14. 17. 1. Cor. 10. 25. Coloſſ. 2. 16. Heb. 9. 10. Volente Spiritu S. & Synodo, ut ad breve tantum tempus iſta Veteri ſervitute in convictu cum Judæis in fidelibus, donec ſatis datum eſſet illorum ædificationi, temperata eſſet Judæorum credentium libertas Chriſtiana.

V. Mutata Fœderis œconomia, exteriori per Sacrificiorum abolitionem, non eſt abolita, ſed ad umbilicum deducta, ac perfectionem ſuam adepta eſt, vero vetus Religio Judaica.

Sele-

DE REJECTIONE GENTIUM:

Seu veteris Testamenti œconomia Mosaica.

THESIS I.

AD Controversiam de *Gratia*, qua ex lapsu restauratum est Genus humanum, *Universalitate*, magnum momentum habet Experientia historica Rejectionis Gentium sub Veteris Testamenti œconomia Mosaïca. Ad quam instituta est præsens disquisitio: ut ab omni exceptione vindicetur Thesis hæc, Nullam fuisse sub Veteri Oeconomia Mosaica in Gentibus aliis vocationem Ecclesiæ præputiatæ ad salutem.

II. Confirmat Thesin hanc nubes testimoniorum Scripturæ S. Veteris & Novi Testamenti: quæ docent Deum seivisse istis ætatibus Gentes suis ipsarum viis incedere, Act. 14. 16. Ambulantes in tenebris & confidentes in terra umbræ lethalis, Esai. 9. 1. Quippe peccatores in peccatis mortui, versabantur in peccatis, ut est vita hujus mundi, secundum principem, cui potestas est aëris & spiritus agentis in hominibus contumacibus, Gal. 2. 15. cum Eph. 2. 1. &c.

III. Testantur porro alia Scripturæ loca, Non vocasse Deum Gentes ex Tenebris in lucem. Nec enim ulli Genti verba sua indicavit, nec statuta aut jura sua: ideoque jura ista non noverunt, Psal. 147. 19. 20. Ea propter Apostolus vocat illa tempora ignorantiæ, Act. 17. 30. Atque sic fuit illis temporibus Ecclesia Catholica Deo conjugata in solo populo Judaïco, in reliquis autem Gentibus sterilis, non pariens liberos, Esai. 54. 1. cum Gal. 4. 27. Erant Gentiles, Non Populus, Deut. 32. 21. Rom. 10. 19. *&c.*

IV. Sic porro, cum Antithesi Rejectionis Gentium aliarum, prædicat Scriptura Judaïci populi paculiarem à Deo electionem, præ omnibus populis sub universo cœlo, Deut 7. 6. in quorum majores

jores Jehova amore propensus fuerat, diligendo eos, ut eligeret semen eorum post eos præ omnibus populis, Deut. 10. 14. Tantummodo illos Deus agnoscebat ex omnibus cognationibus terræ, Amos 3. 2.

V. Fuisse autem Gentiles, stante Judaismo, divinitus, non autem Judæorum perverso Judicio, ab Ecclesia exclusos; Et testatur Excommunicationis illa formula á Christo dictata, Esto tibi tanquam Ethnicus, Matth. 18. Quam explicat expostulatio gravissima Dei cum domo Israelis, si in domum sacram introducerent alienigenas præputiatos corde & præputiatos carne illi penes, quos erat potestas clavium, Ezech. 44. 6. 7. 8, 9. Et confirma porro Christus, Gentiles vocans Canes, Matth. 15. 26. cum quo dicto conferendum illud, Foras autem Canes, Apoc. 22. 15. Et quod interdixit Christus Apostolis à se emissis, ne abirent in viam Gentium, Matth. 10. 5.

VI. Accedit quod ipsam Legem Circumcisionis, & reliqui cultus Cæremonialis instituti in populo Judaiço, Apostolus vocat Inimicitias illas, quibus per Christum demum sublatis & peremptis Gentes conciliatæ sint Deo & populo Dei, Eph. 2. 15. 16. &c. Non vocasset Legem ipsam Dei inimicitias illas; neque ipsi Deo diceret conciliatas Gentes peremptis inimicitiis: nisi doceret, voluisse Deum ipsum suas cum Gentibus inimicitias, charactere præputii, obsignatas, ut intelligerentur Gentes (quod eodem capite asserit Apostolus) illo tempore esse absque Christo, alienæ à Republica Israelis, extraneæ à pactis promissionis, spem non habentes & Dei expertes in mundo, vers. 12.

VII. Non patitur hæc testimoniorum nubes (confirmata per experientiam Pauli Doctoris Gentium in Novo Testamento, qui gloriatur prædicatum à se vel maxime illic Euangelium, ubi non nominatus unquam erat Christus,) Hypotheses paradoxas *Wolfg. Franz. Wittebergenses*, quas prolixius refutavimus in *Schola* nostra *Sacrificiorum*, de perpetua omnium Gentium vocatione, ut scilicet cunctis sæculis sonuerit etiam in Templis Ethnicorem doctrina de Messia promisso & passuro, Rom. 15. 20. 21. cum Esai. 52. 15.

VIII. Quæ autem in historia sacra occurrunt ἐναντιοφανῆ, ut

vid eri possit Deus non ita adstrinxisse vocationem ad salutem uni populo Judaico, ut per Circumcisionem titulo Proselytorum in populum illum cooptandi fuerint omnes salvandi, extra ordinem ex Gentibus vocati: illa conciliamus per sequentes Hypotheses, quibus demonstramus, nullos stante œconomia Fœderis Mosaica fuisse pios Gentiles præputiatos, quibus fuerit libera cum Judæis societas Religionis, ut potuerint Circumcisionem & Sacrificiorum oblationes semper negligere.

IX. Non illico, cum Circumcisione instituta in familia & cognatione Abrahami, Ecclesia visibilis fuit penes solos Abramidas circumcisos: ut præputii charactere censendæ essent Gentes à Deo rejectæ, & in illis emortuæ reliquiæ Veteris in præputio visibilis Ecclesiæ: Sed tantisper Abramidis domesticum fuit Sacramentum Circumcisionis, donec constituta Reip. Israelis, illa facta est publicum Ecclesiæ Sacramentum, à Mose Judæis datum, Joh. 7. 22.

X. Interceserunt hic quatuor illa secula, de quibus Deus Abrahamo loquutus est Genes. 15. 15. 16. quorum terminum Deus exspectari voluit, ad maturitatem Rejectionis Gentium: *Non est, inquit, completa iniquitas Amorhæi.* Donec erga Amorheus populis mensuram iniquitatis implesset, à quo Deus voluit Anathematis Cananæorum initium fieri, Deu. 2. 23. Exsequutio judiciorum divinorum, per inimicitias cum Gentibus, exspectabat terminum vitæ piorum illorum præputiatorum extra familiam & cognationem Abraham, qui fecerant Ecclesiam visibilem: parcens tantisper Genti universæ, donec reliquiæ illæ in cœlestem patriam evocatæ essent.

XI. Non sunt accensendi illorum sæculorum Gentibus præputiatis, ante profanam ad Gentilismum Apostasiam, vel in populis pii singuli, Abramidæ, vel ex Cethura secunda uxore, vel ex Esavo oriundi. Illi enim, extra Apostasiam novam, qua relaberentur ad Gentilismum, ut circumcisi hæredes Fœderis, quod cum Abrahamo & Semine ejus fecerat Deus, Judæis ut fratres accensendi fuerunt.

XII. Extra hos Abramidas, & quatuor illorum sæculorum præputiatæ extra cognationem Abrami Ecclesiæ veteris reliquias;

as, negamus ullos nominari in Scriptura pios Gentiles præputiatos, qui quidem, ex quo desierint esse Catechumeni, manserint in præputio. Esto enim, fuerint subinde etiam, quod non negamus, pii aliqui Gentiles Catechumeni præputiati, Non officit hoc nostræ assertioni, nisi in præputio manserint, postquam desierunt esse Catechumeni, sine pietatis dispendio, quod nunquam demonstrabitur.

XIII. Propter Jonæ Prophetæ ad Ninevitas missionem, & conversionem illorum, censent fere Theologi, fuisse illam extraordinariam, populi præputiati, stante Judaismo, vocationem ad salutem: atque illi accensent negotium extraordinarium Babyloniorum, Dan. 2. 3 4. 5. Medorum, Dan. 6. Naamanis Syri, 2. Reg. 5. 17. 18. Atqui etiam si non repugnet, unius populi Judaici electioni, extra ordinaria & rara vocatio ad salutem Gentilium aliquorum habitantium extra terram sanctam: existimamus tamen repugnare, vocationem populi præptiati, qui, ex hypothesi, manserit in præputio.

XIV. Putamus itaque de Jonæ missione ad Ninevitas, eorumque conversione, nodum sic rectius solvi. Non ad Gentis præputiatæ vocationem & conversionem extraordinariam missum Jonam, sed circumcisos, si non Judæos saltem Abramidas, alioqui socios Religionis Judaïcæ; quos credimus frequentiores habitatione permistos fuisse Ninevitis præputiatis, quorum etiamsi profanæ impietati communicarint, ut à Gentilismi pollutione per veram conversionem revocandi fuerint Jonæ prædicatione: nondum tamen illis datus fuit liber repudii.

XV. Si qua autem, quod nolumus negare, Jonæ prædicationem sequuta est veræ & salutaris conversio etiam præputiatorum, qui erant rerum Domini, qua Gentilismo valedixerint: illam acceptam ferimus, non uni illi prædicationi Jonæ, quæ nihil sonuit præter Nineves excidium: sed Traditioni Verbi Dei inter Abramidas πατροπαραδοτα, & Scripturæ Mosaïcæ: quæ nec ante aliis Ninevitis inaudita, neque inaccessa fuerat, quos quidem tangeret cura quærendi Deum Abrahami.

XVI. Atque hoc pacto non apud solos Ninevitas extra terram Canaan, sed etiam apud Babylonios, Medos & Syros, alioque

pulos; qui habitabant illum orbis terræ umbilicum, in quo dispersi fuerunt, inde à Patriarcharum prima peregrinatione, Abramidæ, & à captivitate Babylonica, Israelitæ & Judæi, censemus radiasse per circumcisorum cohabitationem Lucem veræ Theologiæ & Religionis; quamvis apud rerum Dominos prævaleret Gentilismus: Ut non extraordinariæ vocationis miraculo, sed propagatione ordinaria Verbi Dei (per Ecclesias, si non gregatim, saltem domatim, collectas,) vocati sint salvandi: advocatis subinde aliquibus Proselytis ex Gentibus. Vide quæ à nobis dicta in *Prothesia Theologiæ Christianæ.*

XVII. Ex Euangelica aut Apostolica historia, mulieris Græcæ genere Syro Phœnissæ piæ & Fidelis exemplum, nihil præjudicat Circumcisioni, utpote maribus non fœminis institutæ: potuitque illa & debuit sola Fidei professione censeri Proselyta, Marc. 7. 26. Centurionem autem pium Gentilem illum, qui à Senioribus Judæorum Christo commendabatur, Luc. 7. si quidem Circumcisionem nondum susceperat, Catechumenis dicemus annumerandum, qui tandem circumcidendi erant. De Cornelio Centurione, Act. 10. censemus, nec circumcidendum fuisse, Circumcisione jam tum de jure antiquata: ac fuisse illum inter primitias novæ vocationis Gentium.

XVIII. Enimvero jam assertam Scripturæ testimoniis Rejectionem Gentium in Veteri Testamento confirmat porro Novitas Vocationis Gentium ad salutem N. T. quæ & demonstrata jam est ex locis Rom. 15. 20. 21. Esai. 52. 15. Thess. VII. Et manifestissime confirmatur altero loco Eph. 3. 5. 6. Ubi prædicat hoc esse Mysterium Christi; quod aliis ætatibus non innotuerat filiis hominum, ut nunc retectum est, inquit, sanctis ejus Apostolis & Prophetis per Spiritum: Gentes esse cohæredes & concorpores consortesque promissionis ejus in Christo per Euangelium.

XIX. Vidit *Wolfg. Franzius* se hoc testimonio premi itaque conatur elabi *Sch. Sac. Disp.* IX. *Thes.* 90. hac loci Apostolici paraphrasi; *Hoc nimirum non ita erat antea revelatum; Tempore Christi & sub Christo Gentes citrarius Mosaicos futurus cives Ecclesiæ Christi una cum Judæis: Sic. n. præcessit* (c. 2. 14. &c.) *Christus est Pax nostra, qui fecit utraque; unum, inimicitiis* (lege mandatorum seu rituum) *abrogatis, ut*

duos

duos conderet in semet ipso in unum hominem, faciens pacem: & ut reconciliaret utrosque, In uno corpore, *per crucem; per ipsum habemus aditum utrique per unum Spiritum ad patrem, &c.* Quasi omne pondus & momentum gratiæ; quam capite 2. prædicat Apostolus, situm sit in verbis illis, *In uno corpore,* quibus adhibet majusculas literas: & Quasi non fuerit per se novum, quod Gentes, citra ritus Mosaicos, facti sunt cives Ecclesiæ Christi; sed nova tantum fuerit hæc circumstantia, quod facti sint cives Ecclesiæ, una cum Judæis: Adeoque non fuerit nova & inaudita reconciliatio Gentium cum Deo; sed earum reconciliatio cum populo Israelis, qua coalescerent utriquo, *In uno corpore.*

XX. Verum non optima fido *Franzius* exscribens verba Apostoli, ex quibus haurienda sit loci, quo premitur sententia, post illa verba *In uno corpore,* omisit id, quod immediate sequitur, & quod necessariam syntaxin habet cum verbo ἀπεκατηλλάξε, quod præcesserat, nimirum τῷ θεῷ: quo Apostolus Ephesios revocat principaliter ad reconciliationem cum Deo, ut priorem & principaliorem; quam secundario & consequenter comitatur Gentium cum Judæis reconciliatio in uno corpore. Et hanc illis ante omnia commendat Dei Gratiam, quod cum olim ἄθεοι Dei expertes essent, & procul jam Dei votatione propinqui facti essent in Christo Jesu per sanguinem ipsius: propinqui nimirum Deo Patri; ad quem jam haberent aditum per Spiritum, imo jam facti habitaculum Dei per Spiritum & domestici Dei, à versu 12. ad 22.

XXI. Et reclamat Franzio experientia, qua viventibus adhuc Apostolis evenit, ut teste Paulo facta sit Gentium καταλλαγὴ reconciliatio, cum Judæorum ἀποβολὴ rejectione: & Gentes sint ditatæ, cum Judæorum ruina & diminutione: & facta Gentium insitio in Christum cum Judæorum defractione: & Gentis illustratę salutari cognitione Euangelii cum Judæorum excęcatione & induratione, Rom. XI. Ut quando matura fuit Vocatio Gentium, non facta sit Gentium cum Judæis reconciliatio in uno corpore Ecclesiæ tunc visibilis: sed inimici facti sint Judæi propter Euangelium Ro. 11. 28. Unde palpabilis consequentia hæc est; hoc non esse principale τῆς καταλλαγῆς reconciliationis negotium, ut Gentes Judæis concilientur in uno corpore visibili Eccle-

siæ citra ritus Mosaïcos: quæ reconciliato jam aliquot sæculis intercisa est: sed ut reconcilientur Deo, nova adoptione.

XXII. Rem totam illustrat & confirmat, quod Gentium in Novo Testamento vocatio ad salutem, proponitur ut illustre παράδειγμα Gratuitæ reconciliationis Dei nobiscum, cum adhuc essemus peccatores & inimici, Rom. 5. 8. 10. quando Gentes antonomastice vocat Peccatores, easque hoc titulo à Judæis fecerint Paulus, Gal. 2. 15. Nos, inquit, natura Judæi, non ex Gentibus peccati abalienatos à vita Dei, mortuos in peccatis, extraneos à fœderibus promissionis, sine spe ac sine Deo in mundo: Sermonem primo & principaliter quidem dirigit ad Ethnicos, Ephesios, Colossenses, &c. Eph. 2. & 4. Col. 2. ut qui κατ' ἐξοχὴν olim fuerint tales; sed mox mutata persona secunda & tertia in primam docet Judæos non esse natura meliores Gentibus: Inter quos, inquit, & nos omnes conversati sumus, &c. eramusque natura filii iræ, ut etiam reliqui, Eph. 2. 3.

XXIII. Cum itaque Gentes antonomastice vocantur Peccatores, non intelligitur, unde communis illa toti mundo miseria, qua omnes sunt sub peccato, & condemnationi obnoxii, Rom. 3. 9. --- 19. Sed cum hoc miseriæ cumulo, quod in peccato derelicti, ut viverent, ita morrentur in peccatis.

XXIV. In loco ad Galatas cap. 2. 15. cum Eph. 2. 3. non negatur Judæos & Gentes pares fuisse naturali corruptione: sed tantum extrinsecam nascendi conditionem in Gentilismo, & in populo Judaico, imparem fuisse; propter Fœdus Gratiæ datum Judæis & liberis ipsorum, Gentibus autem ablatum. Non ergo idem utrobique notat Natura, nam Eph. 2. notat omnium Adami posteriorum naturalium naturalem propagationem: sed ad Gal. 2. 15. notat Cognationem populi Judaici, sicut Rom. 11. 21. Quæ restant, differimus in Disputationem *De Legis Pedagogia*.

COROLLARIVM

TOrquentur & Scriptoris Apocryphi & Apostoli verba, in Pelagianorum gratiam: ista affirmatione. *Idolorum cultores, non autem quosvis homines φύσει ματαίους, id est, natura vanos appellat scri-*

scriptor libri Sapientiæ cap. 13. 1. & τίκνα φύσει ὀργῆς, Paulus Apostolus, non tam ex sua, quam ex Romanorum, apud quos eum vivebat, persona loquens, Eph. 2. 3. de Iure Belli ac Pacis lib. 2. cap. 12. §. 26.

Sapientiæ cap. 13. 1.

μάταιοι μὲν γὰρ πάντες ἄνθρωποι φύσει, οἷς παρῆν θεοῦ ἀγνωσία.

Selectarum Disputationum XIII.

THEOLOGICA TEXTUALIS DE *Legis Pædagogica ad Christum.*

THESIS I.

DE Legis Pædagogia ad Christum Disputatio flagitat Disquisitionem geminam: Prior est textualis ad locum Apostoli Gal. 3. 24. *Lex Pædagogus noster fuit ad Christum.* Altera est Theologica, ad ipsum Pædagogiæ Legis negotium spirituale; quod initio hac descriptione præcognoscendum: est a. Conscientiæ convictio per Legem de peccato & miseria, ante Exhibitionem Gratiæ Euangelicam, quasi carcer & servitus, peccatorem compellens ad quærendam in Christo liberationem à peccato & miseria.

II. 1. Ad locum Apostoli quod attinet, Verba illa *Lex Pædagogus fuit ad Christum*, in contextu & serie disputationis seu dissertationis Apostolicæ, habent loquutionem Metonymicam: in qua Lex nominatur Vetus Fœderis Dei cum Ecclesia Judaica œconomia, à Legislatione Mosaica in monte Sinai. vers. 17. facta denominatione.

III. De illa Veteri Fœderi œconomia non præscribit metonymia illa, ut intelligi debeat, destituta fuisse omni Gratia Euangelica

lica, & nihil habuisse præter carcerem & servitutem, quæ generat Spiritum servitutis: nec in illam sententiam torquenda oratio Apostoli ad Galatas cap. 3. & 4.

IV. Neque ita comparata fuit ipsa Legislatio Mosaica, ut per illam stabilitum fuerit, secundum primam conventionem cum homine ante lapsum, Fœdus Legale operum: vel ut habuerit nudam Fœderis illius Legalis διυπόστασιν, ad carcerem tantum & servitutem: sed ipsum Legis proœmium dictat Fidem in Deum Redemptorem, qui Fœdus Gratiæ recenti arrhabone liberationis Ecclesiæ Israeliticæ, ex Ægypto, ex domo servitutis: ac consequenter usum Legis, ad normam gratitudinis debitæ Deo redemptori.

V. Est vero hæc Metonymiæ illius ætiologia, quod externam & visibilem Fœderis Gratiæ œconomiam, ipsi negotio Spirituali Fœderis bipertito (Pædagogiæ Legis & Exhibitioni Gratiæ) Deus attemperaverit ministerio Mosis, in parabolam, veteri illo temperamento: Ut scilicet ante Christum exhibitum, in cultu exteriori instituto, palpabilius repræsentatur Lex, Pædagogus carcere servitute coercens, quam Euangelium Promissionum: adeo ut Legis Pædagogia, Gratiæ exhibitionem etiam obnubilaret.

VI. Subest ergo isti Metonymiæ, quando à Legislatione Mosaica Vetus illa œconomia Fœderis Lex appellatur, etiam Synedoche; quam arguit ipsa veteris Pædagogiæ ad Christum enucleatio; quæ petenda est maxime ex Sacrificiorum oblationibus, quibus illa ad Christum Pædagogia præstabat τὴν λογικὴν λατρείαν, hoc est, cultum rationalem: absque illa enim bruta fuisset brutorum animantium & rerum inanimatarum oblatio in Sacrificium: quia extra rationem Sacramentalem, victimis brutis anima humana redimi non potest, nèque fieri expiatio à peccato, Hebr. 9. 13. & 10. 1. 4. 11.

VII. Primo quidem Sacerdotes ut Sponsores typici se sistentes Deo ad victimarum pro se & pro populo oblationem ritu sacro peragendam, præfigurabant Christum sponsorem, qui, ut sua pro nobis sponsione receperat se facturum Dei voluntatem, qua voluntate nos sanctificati sumus, Hebr. 10. Sic illi ad Deum appropinquantes cum victimis, præstabant quod pro eo tempore apud Deum agendum erat Dei jussu, ad fovendam, typica expiatione,

tione, ſpem veræ expiationis peccatorum futuræ, Hebr. 5. 1. cum Levit. 1. 4. & 4. 26. &c. & 16. 34. & 17. 11. Hinc aperte ſatis, ſi animum advertas idem Apoſtolo valet Sacerdos & Fœderis Sponſor, Hebr. 7. 22.

VIII. Deinde victimis, per quas facienda erat typica expiatio, imponebantur peccata, id eſt, imputabantur typice: imperata ad id, in Sacrificio ſolenni, quod in Feſto expiationis peragebatur, cæremonia Impoſitionis manuum, Levit. 16. 21. 22. in qua, Sacerdotes quidem repræſentabant Deum peccata conlicientem in Chriſtum, victimæ vero Chriſtum ea ſuſcipientem, Eſai. 53. Sive autem ſolemnis fuerit ritus ille impoſitionis manuum in omnium victimarum adductione ad Sacerdotem; ſive non fuerit præſcriptus, niſi in ſolenniori expiatione: cunctis tamen & ſingulis typice impoſita fuiſſe peccata, arguit & res ipſa; quia ut in rei veritate nemo luit niſi reus, ita quod in typo pro peccato morti deſtinatur, tenetur typicè reatu peccati. Et idem evincunt nomina victimis piacularibus impoſita אשם Reatus חטאת peccatum.

IX. Et quia ad Typicam expiationem peragendam, jugis erat Sacerdotum labor, in victimarum adductione ad Altare, & mactatione, cum ſanguinis effuſione, & mactatarum vel partim vel in ſolidum deſtructione per ignem: Et vix aliquid præter hos labores in cultu quotidiano ſe oculis offerebat; Hinc tota illa vetus λατρεία Sacrificantium, quæ Lex dicitur, eadem vocatur ab Apoſtolo Litera occidens, & Miniſterium mortis & condemnationis, 2. Cor. 3. 6. 7. 8. 9.

X. Pædagogus autem ad Chriſtum dicitur fuiſſe; quia non patiebatur, in ipſa illa expiatione typica conſcientia offerentium quieſcere, ejus per ſe (citra ſpei melioris ἐπισαγωγὴν) nullitas; & ipſum illud quod ſuberat illi myſterium, quod propter moram ſolutionis debitorum præſtandæ demum in plenitudine temporis, repetita quotidie peccatorum recordatione, ſcriberentur iſta, quaſi peccatorum chirographa, non delenda, donec peccata in Sponſorem Chriſtum conjiceret Deus, & in carne ejus damnaret, Eſai. 53. 6. Rom. 8. 3. cum Hebr. 10. 3. Col. 2. 14. & Hebr. 7. 19.

XI. II. Extra illam conſiderationem Parabolæ in veteri œconomia Fœderis Moſaïca, Pedagogiæ Legis negotium Spirituale, jam

XV. Supposita itaque κατηχήσει in Lege per Verbum Dei; juxta illam προθεωρία Euangelii, ante Exhibitionem Gratiæ Euangelicam, qua Fidem salvificam generat, intercedit Pædagogicus carcer, & Spiritus servitutis, urgens necessitatem Gratiæ Christi, & abnegationem sui ipsius ac justitiæ propriæ, Matth. 16. 24. Luc. 9. 23. Phil. 3. 8. 9.

XVI. De Gratiæ itaque Universalitate hic præscribit Gentium & populorum illorum rejectio quos, vel olim finit *Deus*, vel etiamnum finit suis ipsarum viis incedere, Act. 14. 16. Et in quibus non est nominatus, nec annunciatus Christus, Rom. 15. 20. 21. Quibusque nulla effulget Lux alia, quam quæ illuminat omnem hominem, venientem in mundo, Joh. 1. 9. destituunrur enim, & ipsa in Lege κατηχήσει per Verbum Dei; & Euangelii illa προθεωρία, absque qua nihil effici potest ἐχόμενον τῆς σωτηρίας cum salute conjunctum neque ullo pacto constat Legis temperamentum illud, quo sit Pædagogus ad Christum.

XVII. Respondendum hic illis, qui malæ ἀλχεμήσει molit conciliationem doctrinæ de Natura & Gratia, tuentur *præter duas illas rationes testandæ ac revelandæ misericordiæ, vocandique ad Fœderis communionem*, quas statuunt Orthodoxi, videlicet, *Verbum supernaturaliter factum, & vim internam Spiritus dantis verbo efficaciam, Tertiam* quandam *Vocationem omnium communissimam & generalissimam, cujus intuitu Deus nec ullam Gentem, ne ullum quidem hominem celarit omnino misericordiæ supernaturalis declarationem, qua fœdus novum gratia post lapsum cum Adamo pepigit, in eoque*, ut volunt, *cum universo genere humano propagando*: Quæ assertio contradicit Scripturæ locis plurimis: præsertim illi jam indicato, Act. 14. 16. & perimit Verbi Dei & Scripturæ necessitatem.

XVIII. Obtenditur Vocationi illi sine Verbo locus Pauli Rom. 2. 4. quia scilicet Apostolus *hominem reliquiarum naturæ & communissimæ tantum divinæ misericordiæ lumine donatum compellat: An copiam benignitatis ejus* (Dei) *& tolerantiæ ac lenitatis contemnis; ignorans te benignitate Dei ad resipiscentiam invitari*; Per Dei benignitatem τὸ χρηστὸς τοῦ θεοῦ, volunt intelligi *longanimem illam universi sustentationem, in bonum hominis peccatoris, non obstante sententia mortis*

lata: eamque imputandam existimant *merito Sufficientissimi illius remedii mortis Christi: quia absque ista morte nullus futurus fuisset longanimitati ac patientiæ erga peccatores locus*: Quam postremam hypothesin sano sensu haud gravatim admittimus: ut scilicet, in longanimi post admissum peccatum sustentatione universi, sint vestigia Fœderis Gratiæ.

XIX. Enimvero dato non concesso in verbis Pauli, per τὸ χρηστὸν τοῦ θεοῦ Dei benignitatem, intelligendam esse longanimum illam naturæ universi sustentationem: Tamen asserimus Pædagogiam illam, qua Dei longanimitas peccatorem εἰς μετάνοιαν ἄγει ad resipiscentiam ducit, actu non obtingere omnibus & singulis: sed illis tantum, qui verbo supernaturaliter facto illuminantur supra naturæ reliquias, & communissimam illam lucem: in quibus proinde Theologia naturalis cumulatur Theologia supernaturali, atque illi anciliatur, & ab illa perficitur: Absque qua negamus, ex vestigiis illis Fœderis Gratiæ, ab illis, *qui sola naturæ luce ducuntur*, investigari posse supernaturalem misericordiam Fœderis Gratiæ, ut vel cogitatione assequi possint, sibi fieri spem salutis per meritum mortis Christi.

XX. Verum nihil est quod nos cogat verba Apostoli sic accipere, quasi compellet nominem tantum reliquarum naturæ lumine donatum: existimamus rectius juxta *Thomam*, *Dominicum à Soto*, *Gabrielem Vasquez*, & ex Euangelicis *Illyricum*, sic institui analysin capitis ad Romanos secundi, ut cum illo inchoet Apostolus compellationem Judæorum judicantium Gentiles, atque sic, per τὸ χρηστὸν τοῦ θεοῦ, intellexerit Gratiam Dei in Christo jam prædicatione Apostolica Judæis annunciatam, quam quidem in hac ipsa epistola vocat χρηστότητα: atque hortatur Romanos ex Gentibus conversos, ut in illa permaneant, Ro. 11. 22. Et alibi in illa collocat divitias Gratiæ Dei, Eph. 2. 7. Tit. 3. 4.

XXI. Porro nulla est, quæ nectitur consequentia, *à seria ad resipiscentiam invitatione, ad seriam invitationem seu vocationem ad communionem Fœderis Gratiæ.* Nam quantisper verbi etiam prædicationem soli resipiscentiæ, dubio successu vocationis labor impenditur, revera nulla est vocatio ad communionem Fœderis Gratiæ, propter nullos resipiscentiæ fructus, & tantisper ma-

manens cor ἀμετανόητον. Quia seria minime videtur invitatio ad resipiscentiam, nisi tantisper tales arceantur à Fœderis communione, & officium faciat verbi minister retinendo peccata, non remittendo, Joh. 20. 23.

XXII. Habemus talium seriæ ad resipiscentiam invitationis formulam, qua ad Simonem Magum usus est Apostolus: *Non est tibi pars neque sors in hoc negotio, cor enim tuum non est rectum in Dei conspectu: Resipisce igitur ab ista malitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi cogitatio cordis tui, Act. 8. 21. 22.*

XXIII. Tantum ergo abest, ut communissima & generalissima quadam vocatione sine Verbo, tanquam Pædagogo, ad Christum vocentur omnes & singuli, etiam *qui sola naturæ lace ducuntur*: Ut ne quidem Generalior illa vocatio (quæ cum προθεωρία Euangelii peccatorem εἰς μετάνοιαν ἄγει, & quæ salvandis ex Dei proposito revera est Pedagogus ad Christum,) sit Vocatio ad Christum & ad Fœderis communionem Euanglica; quantisper non Categorice promittit salutem in Christo peccatori converso, sed tantum stimulat & carcere compellit & servitute ad resipiscentiam; & ex Hypothesi eminus tantum invitat ad quærendam Fœderi communionem. Atque qui eo pacto vocati sunt per Verbum, habent tantum *Spiritum servitutis ad metum*, ac *nihil à servis differunt*, Gal. 4. 1. Rom. 8. 15.

COROLLARIVM.

Hic est fons solutionis veræ & solidæ argumenti istius quod Achilles censetur pro Gratiæ præpostera Universalitate.

Obi. Quod omnes & singuli tenentur de se credere, hoc de omnibus & singulis verum est,

Christum pro se mortuum esse; omnes & singuli tenentur de se credere.

Ergo de omnibus & singulis verum est Christum pro ipsis mortuum esse.

Resp. Negamus Propositionem Minorem: Tenentur enim soli resipiscentes de se credere Christum pro se mortuum. Non resipiscentes quamdiu tales tenentur contrarium credere.

Selectarum Disputationum XIV.

THEOLOGICA TEXTUALIS.

DE

Sententia loci 1. Cor. XV. 29.

Quid facient, qui Baptisantur pro Mortuis? &c.

THESIS I.

LOcus 1. Corinth. xv. 29. (Ἐπὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, ἱνατί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν) omnium Theologorum confessione est difficillimus: & ad quem enucleandum labores, quos potuerunt improbissimos adhibuerunt. Cum is nuperrime novo conatu exercuerit non vulgares animas, cœpimus nos quoque conferre symbolam nostram: & visi sumus etiam dissentienti amico *Main. Schotano* proxime ad veritatem accedere. Illam Disputatione in præsens instituta subjicimus examini publico: præmissis in synopsi interpretum veterum & recentiorum expositionibus: quæ quoad Αἰτίαν sive sententiam loci maxime pendent, ex phrasios Græcæ ὑπὲρ τῶν νεκρῶν Græca periphrasi Grammatica quintuplici juxta sequens diagramma.

ὑπὲρ


ὑπὲρ τῶν νεκρῶν
1. ὡς
2. ὡσεὶ
νεκροὶ
Tanquam mortui
Jam quasi mortui
Commortui Christo.
Moribundi in lectulis.
3. ὑπερέκεινα
4. ἀντὶ
τ νεκρῶν
Supra mortuos
Loco & vice mortuorum: Ex pravi Marcionitarum,
In Goemeteriis
5. ἕνεκα
Propter mortuos
Propriè dictos ad officium
Refrigerii animarum.
Sepulturæ.
Ironice dictos: Baptismo metaphorico perpessionum.

THESIS I.

VUlgatus Latinus interpres vertit *pro Mortuis*: quod patitur se applicari ad omnium interpretum suffragia, siquidem, quod res flagitat, ad illud ὑπὲρ νεκρῶν, h. e. *supra mortos* in cœmeteriis, accedat paraphrasis hæc, *Ad officium venerationis & memoriæ mortuorum.* Atramen non pariter se patitur applicari versio vernacula Belgica aut Gallica. quia ὡς νεκροὶ & ὡσεὶ νεκροὶ non est Voor De doo-den / *Pour les mortis*, sed Voor dooden / *Pour mortis*.

II. Primum illud ὡς νεκροὶ ex *Hieronymi* & *Theodoreti* scholiis *Melanchthoni, Thomæ Mortono*, aliisque placet, ut videtur, quia omni scrupulo Theologico caret, & convenit cum loco Rom. 6. 3. 4. Desideramus tamen Doctorem Grammaticum, qui ex Græcæ linguę usu monstret Synonyma esse posse ὡς νεκροὶ & ὑπὲρ τῶν νεκρῶν. Scrupulum nobis auget, quod qui hanc quoq; expositionē in medio relinquunt, *Gaignæus* & *Camerarius*, perlixitate quadā misceant interpretationem *Chrysostomi*: cui, ut notat *Camerarius, placet* νεκρῶν esse τῶν ἡμετέρων σωμάτων, adeoque baptisari ὑπὲρ τῶν νεκρῶν *illi est super confessione de resurrectione mortuorum corporum nostrorum ad similitudinem mortuorum baptisari & aqua mergi.*

III. Eundem scrupulum habet conciliatio phrasios ὡσεὶ νεκροί Monavit expositio illa ex *Epiphanio* qui *hæres.* 28. refert Catechumenos in lectulis baptisatos moribundos, qui Baptismum ante non essent adepti: ac mavult hunc morem respexisse Apostolum, quam aliam Marcionitarum praxin; Et ab illo in lectulis baptismo, qui circa *Cypriani & Augustini* tempora in superstitionem abiit, ortum *Clinicorum* nomen: κλίνη namque idem quod lectus seu lectica. Hanc interpretationem tuetur *Andreas Hyperius, Opuscul. Theol. parte* 1. *pag.* 759. *& seqq.* quamvis secus locum interpretur in *Commentario.* Enimverò minime liquet morem illum petendi Baptismum in agone tanquam itineris extremi viaticum, qui Clinicis nomen dedit, fuisse tempore Pauli; sed videtur verius post Apostolorum excessum cum superstitione inoleviſſe.

IV. Ex diagrammate nostro succedit tertia expositio; quæ est *Lutheri in versione Bibl. Germanica*, nec non *Piscatoris*: quam etiam

am adoptat, atque à prima fere antiquitate commendat doctiſſim. *G. Ioh. Voſſius. Diſput Theol. de Reſurrectione carnis, Theſ.* 18.. Accipiunt illi quoque verbum βαπτίζεσθαι proprie, ſed τὸ ὑπὲρ ſignificatione ὑπεράνω ſuper ſeu ſupra: ut ſit Νεκύεια, *ſuper cadavera: hoc eſt, ſupra ſepulcra, in martyrum cœmeteriis, ad memorias martyrum* Largiemur non inviti manaſſe ex prima antiquitate, & viguiſſe viventibus Apoſtolis, etiam in Baptiſmi ſuſceptione, ſimplices memorias martyrum. Sed ritum ſuperadditum, qui ſuperſtitione non caret, quem flagitat expoſitio particulæ ὑπὲρ per ὑπεράνω; cenſemus deſtitui prima illâ antiquitate temporis, quo vixit & ſcripſit Apoſtolus.

V. In ſolidum autem deſtitutam eadem primâ antiquitate cenſemus expoſitionem quartam ἀντὶ τῶν νεκρῶν, *Loco & vice mortuorum*, quam ſuggeſſerunt *Epiphanius* loco ſupra indicato, & *Tertullianus libro de Reſurrectione carnis; & lib. V. contra Marcionem*: ut ſcilicet reſpexerit Apoſtolus morem *Marcionitis* & *Cerinthianis*, ſecundum *Epiphanium*. (quod *A. Hyperio* ſuſpectum eſt, an illis vere tribuatur) frequentatum: videlicet; Si qui morte præventi Baptiſmum conſequi non potuiſſent, ſolebant ad eorum ſepulcra pro ipſis, id eſt, ipſorum vice & loco, alii viventes, mortuorum feretris ſubditi baptiſari, ut in his illi mortui baptiſati viderentur. Eſto autem, fuerit hoc etiam à *Cerinthianis* factitatum non inde efficitur id factum tempore illo, quo cum Apoſtolis vixit *Cerinthus*. Dato autem non conceſſo, quod poſtulant nonnulli, ut ſaltem vivente *Cerintho*, & viventibus Apoſtolis, *rarius & magis clam id fuerit factum*; tamen non eſt credibile fuiſſe argumentari Apoſtolum ex facto clandeſtino & Apocrypho, de quo palam non conſtabat; in Epiſtola Catholica inſcripta quidem *Corinthiis*, ſed ſcripta omnibus ubivis locorum invocantibus nomen Jeſu Chriſti, 1. Cor. 1. 2.

VI. Mirari licet, quomodo fiat, ut ſuffragiis plurimis recentiorum interpretum probetur, etiam *A. Hyperio in commentariis*; expoſitio iſta, de more, quem nemo non fatetur explodendum, propter vaniſſimum & fædiſſimum, cum Anabaptiſmo, Baptiſmi abuſum: Cum ſic pronunciet *Hyperius Opuſcul. Theolog. pag. 766. Si quid*, inquit, *judicare poſſum, qui de Apoſtolo ſic ſentiunt, voluiſſe illum reſurrectionem mortuorum aſtruere, ratione hac ſumpta de manifeſtiſ-*

simo errore, falluntur. Duo, inquit, *me movent rationes*: adscribemus posteriorem: *Non solent Prophetæ vel Apostoli falsa assumere ad comprobandam veritatem: non magis profecto, quam fas esse ducunt facere mala, ut inde eveniant bona. Supervacaneum etiam fuerit præsidium petere à falsitate vel ab errore, ubi veritas ipsa per se satis armata est suis se munire defendereque copiis, quas habet multas & instructas, abunde potest.*

VII. Si omnino necessum esset ad expositionem illam confugere vel ad similem aliquam, qua ad veritatis apologiam advocetur malum factum, argumento πρὸς ἄνθρωπον ad hominem; oportunum esset *Scaligeri* εὕρημα, qui vult morem, ex quo argumentatur Apostolus, non probum, notari ab ipso Apostolo gravi illa censura versu 34. ἀγνωσίαν Θεοῦ τινες ἔχουσιν quidam laborant ignoratione Dei: *Et*, inquit, *ne alibi quærendi essent, quam in ipsa Corinthiorum Ecclesia*, πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω: *ad pudorem incutiendum vobis loquor.* At minime solidum istud videtur; quia censura illa tangit abnegantes resurrectionem mortuorum: quod liquet ex sequentibus collatis cum Christi censu in Sadducæos μὴ εἰδότας τὴν δύναμιν τοῦ Θεοῦ, ignorantes potentiam Dei: Matth. 22. vers. 29.

VIII. Superest quinta expositio Grammatica, ἕνεκα τῶν νεκρῶν, *Propter mortuos*: quæ quin proba sit ad literam: non patitur nos dubitare auctoritas *B. D. Bertrami* & *G. I. Vossii*, quorum ille ex Scripturæ phrasiologia, hic *ex Eustachio*, interpretationem ὑπὲρ cum genitivo per ἕνεκα confirmarunt. Insigne est illud ὑπὲρ χριστοῦ πάσχειν, quod rectissime sine ulla ellipsi vel hereroси interpretamur, Propter Christum pati. At non impetrant assensum quo ad loci διάνοιαν auctores, quorum varia suffragia notavimus in diagrammate. *Scaliger in Notis ad locos aliquot difficiliores N. T. excusis ad calcem N. T. Genevæ* intelligit de Baptismi susceptione propter mortuos proprie dictos, ad *officium refrigerii animarum*, quam consuetudinem cujusmodi fuerit & unde, prolixe explicat ex *Tertulliano*, *Augustino*, *Lactantio*: revocatque ad *ineptias Patrum majorum gentium*, *quæ*, inquit, *non Doctorum Ecclesiæ, sed ne cujuspiam de vulgo Christianitatis esse debuerunt*: atque huc revocat censuram Apostoli vers. 34. de qua jam dictum.

IX. Non existimamus *Patrum* illud *anile deliramentum*, quod cumu-

cumularunt Pontificii suis hæresibus *de satisfactione pro mortuorum animabus liberandis ex carcere Tropico Purgatorii, per Baptismum Metaphoricum, lacrimarum & pœnitentiæ, qui suscipiatur orando, jejunando, beneficientiam exercendo, proque mortuis sese afflictando* Apostolo in mentem venisse. Quod deliramentum si ejus sit antiquitatis, ut jam pullularit Apostolis viventibus; non eo arreptum esse Apostoli argumentum censemus, sed contra arripuisse & detorsisse homines imperitos & instabiles, & hunc Pauli, & alterum Petri, 1. Pet. 3. 19. locum δυσνόητον, ad deliramentum suum, 2. Pet. 3. 19.

X. Alia est interpretatio *B.D. Bertrami in lucubrationibus Francofurtensibus cap.* 8. quam olim adoptaveramus, de officio sepulturæ: accepit enim *Propter mortuos* βαπτίζεσθαι, de *lotionibus Hebræi viventes eas pollutiones eluebant & expurgabant, quas contraxissent, vel ex contractis mortuorum corporibus & ossibus, vel ex eo, quod animam exhalantibus adfuissent, eorumque modo mortuorum tabernaculum aut sepulcrum aggressi fuissent, ut luculentissimæ apparet ex Eccles.* 34. 29.

XI. Affinis est isti expositioni altera, quæ ex *Beza Paræo* adlubescit, *ut continens propriissimam Apostoli sententiam*: ut τὸ βαπτίζεσθαι significatione verbi Medii notet *ablutionem mortualem Gentilibus & Iudæis consuetam, etiam Christianismum professis, Act.* 9. 37. Enimvero desideramus in utralibet expositione argumenti συναφειαν, quam videtur flagitare particula Επεὶ Alioqui, nec non illud quod monuit *Scaliger* aliud esse ὑπὲρ νεκρῶν, aliud ὑπὲρ τῶν νεκρῶν quod posterius *certos quosdam mortuos* notat, quod nos observamus confirmari hoc ipso versu 29. iis verbis εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται: quod est, si universim omnes mortui non resurgunt.

XII. Superest sententia nuper proposita in *Epistola Theologica à Virgine Nobiliss. Anna Schurmanna*, Ut scilicet, juxta illam Scaligeri observationem, intellexerit Apostolus, certos quosdam mortuos: sed ironice dictos mortuos. Fideles scilicet viventes, quia ex hypothesi hæretica essent exstinguendi morte perpetua sine spe resurrectionis & nunquam revicturi: Propter quos, id est, ad quorum ædificationem in Ecclesia, Apostoli baptisentur metaphorice, id est, afflictiones sustineant. Ironia quidem illa etiam

ipsi Christo usurpata est, in verbis illis, Deus non est Deus mortuorum, Matth. 22. 32. Metaphora autem ista verbi βαπτίζεσθαι res occurrit, Matth. 20. 21. 22. 23. Marc. 10. 38 39. Luc. 12. 50. Tamen insolens videtur, in tam exiguo orationis themate, confluxus gemini tropi, & quidem ejusmodi, qui rarissime usurpatur, maxime cum planissime loqui amet Apostolus, quando de iis, quas ad ædificationem Ecclesiæ sustinebat perpessionibus loquitur: ut hoc intelligerent Corinthii aliique, Mortem in Apostolis agere, Vitam vero in illis, 2. Cor. 4. vers. 12. Deinde neque satis conveniens videtur, ut Certi quidam mortui, intelligantur esse omnes indefinite fideles viventes in Ecclesia.

XIII. Fruatur quilibet suo sensu, nobis hoc quidem placet 1. ut non alius intelligatur Baptismus, quam ille, quo Christianismo initiabantur fideles. 2. deinde ut τῶν νεκρῶν notet *certos quosdam mortuos*. 3. ut ὑπὲρ τῶν νεκρῶν sit ἕνεκα τῶν νεκρῶν *propter mortuos*. ad officium mortuis debitum.

XIV. 2. *Certos quosdam mortuos* intelligimus illos, de quibus sermo inchoatus fuit v. 6. quâ Apost. qua alios fratres ex quingentis oculatis testibus resurrectionis Christi; τινὲς δὲ καὶ ἐκοιμήθησαν: Quidam autem etiam obdormiverunt: ex quibus nonnulli martyrio coronati, Stephanus, Actor. 7. 60. Jacobus, Actor. 12. 2. aliique: Quos in Christo κοιμηθέντας, si censendi essent ψευδομάρτυρες falsi testes in causâ Dei, vers. 15. dixerat periisse, id est, animarum perditionem sibi accersivisse, vers. 18. & juxta illos etiam viventes omnes tunc superstites testes resurrectionis Christi miserrimos esse, vers. 19. Ad certos illos mortuos post interjectam exegesin resurrectionis futuræ & consummationis sæculi redit sermo vers. 29. ad viventes superstites, vers. 30. & 31. Estque versus 29. διάνοια, Mortuos illos non sibi tantum suæ perditionis auctores fuisse, sed etiam illis, qui propter illo baptisabantur.

XV. 3. *Propter illos autem mortuos*, intelligimus *baptisatos* illos, qui postquam aut viventes illos audiissent aut spectasse morientium in testimonio de Christi resurrectione constantiam, & validissimarum consolationem in morte experientiam; illis magistris glori-

gloriabantur se Christum didicisse, & ad illorum memorias baptismum petebant; Quod quidem factum non alia confirmatione indiget, quam verbo illo veteri Martyrum sanguis seminarium Ecclesiæ; nec non antiquitate illa primæ proxima, superstitionis illius post Apostolorum excessum super additæ, ad memorias martyrum, quam attigimus Thesi IV.

XVI. Officium hoc erat mortuis magistris debitum, & per se pium, ut μακαρισμὸς illorum, qui pro causa Christi pie obdormierant: quem μακαρισμὸν post mortem & mater Domini sibi pollibatur, Luc. 1. 48. Et Christus mulieri, quæ ipsum unxerat ad ἐνταφιασμὸν, Matth. 26. 13.

XVII. Enimvero polluebatur pium illud officium, ab illis, qui non ἀγνῶς, hoc est, in sancta simplicitate, ad magistrorum mortuorum memorias Baptismum flagitabant; sed cum περισπληψία seu nimia mortuorum admiratione, ad viventium deprecationem obliti unitatis fidei & Baptismi in nomine unius Christi pro ipsius crucifixi. Quod ulcus ab initio Epistolæ tangebat Apostolus: sibi gratulans quod vix quemquam ipse baptisasset, atque hoc nomine deesset occasio gloriandi illis, qui se dicerent esse Pauli, hoc est, à Paulo vel propter Paulum baptisatos, 1. Cor. 1. vers. 11. 17.

XVIII. Interim quia ἁγνῶς præstari poterat & debebat hoc officium mortuis illis testibus resurrectionis Christi, in Baptismi susceptione: & præstabatur quotidie: ut videlicet credentium myriades se sisterent baptisandos, tanquam mortuorum causæ ὑπέρμαχοι & hyperaspistæ. Hoc existimamus spectasse Apostolum atque hanc esse loci interpretationem genuinam & αὐτοφυῆ.

XIX. *Scrupulus* autem, qui injicitur, *quod* ὑπὲρ, *propter, cum genitivo junctum significet in omnibus locis bonum ejus propter quem fit*, & refellitur ex loco Phil. 1. 29. (Ecquod enim bonum est, quod Christo accedat, à nostris propter Christum perpessionibus?) & in re nullus est, si Bonum mortuorum vocare licet, quod non abnuimus, Officium venerationis, debitum piæ mortuorum memoriæ, & Apologiam veritatis testimonii, quod morte obsignarunt.

COROLLARIA.

I. AN quod se *scire* affirmat *Hug. Grotius in Appendice ad Commentarium de Anti-Christo in 8. pagina* 131. Preces pro mortuis auctoritatem habeant Universalis Ecclesiæ & sacræ Scripturæ, 2. Timoth. 1. 18. & Apoc. 22. 20. *Negamus.*

II. An quod idem dictat, *ibid. pag.* 51. & 52. & ait in Explicatione decalogi se ostendisse. Secundum decalogi præceptum (de Imaginibus) cum positivum sit, & ob temporum locorumque causas Hebræis datum, non magis novum Christi populum obstringat quam de Sabbato. (*Iudaico, feria 7.*) *Neg.*

III. An quod idem dictat *ibid. pag.* 47. inter Anti-Christi notas immerito referatur, Latina lingua in publica Ecclesiæ Romanæ liturgia: *Negamus ex I. Cor. XIV.*

Selectarum Disputationum XV. Textualis

PHILOSOPHICO-THEOLOGICA

Ad loca 1. Thess. v. 23. & Hebr. iv. 12.

DE

SPIRITV, ANIMA, & CORPORE.

THESIS I.

PRæsentis Disputationis τὸ κρινόμενον seu controversa quæstio est: An Scriptura nominans tria illa, *Spiritum, Animam, & Corpus*, φυσικῶς naturaliter uni corpori humano vindicet, Animas saltem duas realiter distinctas; unam Rationalem hominis propriam, quæ proprie dicatur רוח πνεῦμα Spiritus; alteram Sensitivam homini cum Brutis communem, quæ proprie dica-

dicatur נפש ψυχὴ Anima: An vero Theologiæ,& ſaniori,quæ ſe Scripturis ſubjicit, Philoſophiæ, conſentanea ſit ſententia recepta, qua aſſeritur unicuique corpori unica tantum anima Rationalis, quæ eminenter complectitur, & ſua unione naturali cum corpore organico apte diſpoſito, efficit vitam hominis & vegetativam & ſenſitivam & rationalem: Quod nos affirmamus: & confirmamus adhibito Scripturarum examine.

II. Excutienda initio hæreſium latibula & olim hodie quæſita in iſta de duabus ſaltem Animabus opinione, ut illarum rejectione ſtabilito inter Orthodoxos hic diſſentientes conſenſu neceſſario) libera ſit diſquiſitio: Quid hic hæreticis nos largiri cogat Scriptura in Anthropologia Chriſtiana: qua non cogente nihil illis largiendum contra ſententiam receptam. Quæſitum autem initio latibulum hæreſios arrepto loco, 1. Theſſ. v. 23. *Arabicis Thnetopſychitis* ad ſubvertendam Animæ humanæ Immortalitatem: quæ nobis conjectura eſt, ex collatione Theologiæ novorum ex *Socini* Schola Thnetopſychitarum cum opinionibus à *Gennadio Maſſilienſi* damnatis in *Eccleſ. Dogm. à cap.* 13. *uſque* 21. Eſt autem hæc: *Mortuos annihilari; Corpus Euaneſcere: Spiritum redire ad eum, qui dederit ipſum: Animam nec voluptatem ſentire nec dolorem, Anonymus tractatu Belgice edito ann.* 1631. *Spiritum autem, qui ad Deum redit,* minime intelligunt Spiritualem & Immortalem ſubſtantiam, ſuo intellectu & voluntate pollentem; ſed tantum *divinæ particulam auræ, quæ nullam habeat extra Deum in ſe aut per ſe ſubſiſtentiam. Idem Anonymus & Volkelius de vera Rel. lib.* 3. *c.* 11. Breviter, *Negant eße ex ipſa Creatione in homine agnoſcendum quidquam immortalis vitæ: Socinus Epiſt. ad Volkelium V. pag.* 489. Orthodoxi contrarium unanimiter μιᾷ ψυχῇ affirmant. Et qui hic cæteris liberalior fuit *Parkerus*, quamvis non pronunciet vere, ſed tantum *non omnino inepte Philoſophatos veteres, qui tria in homine conſtituebant; mentem animam & corpus, quorum duo poſteriora mortalia etiam affirmabant*: hoc ea lege largitur, ut non Spiritus ſeu ſuperior rationalis anima, in auram divinam, ut ejus particula redeat. Sed hæc ſit Animæ inferioris ἀλόγου cum corpore morientis mors, ut ſicut in terrã corpus ſic in *ſublunarem Animam ſeu auram mundanam* illa abeat: juxta illud *Prudentii, Humus excipit arida corpus; Anima rapit*

aura

aura liquorem: vide Parker. de descensu ad Inferos, lib. 2. pag. 75. 76.

III. Porro conjectura nobis est, quæsitum in illa de duabus Animabus hypothesi latibulum hæresi *Apollinaris*, qui asserebat *Christo fuisse pro Anima Rationali Spiritum Deitatis*: Hanc quoque fovisse *Monophysitas* & *Monotheletas*, atque sic argumentatos: Quemadmodum in nobis Tria illa, Corpus, & Anima sensitiva, ac Spiritus Rationalis, coalescunt in unam naturam: Sic tria illa Spiritum Deitatis Animam sensitivam & Corpus coaluisse in unam naturam Christi. His quoque μιᾷ ψυχῇ contradicunt Orthodoxi.

IV. Abusi quoque sunt eadem hypothesi *Manichæi* ad suam hæresin fulciendam: qua dictabant *à bono Deo esse Rationalem Animam bonam, à Diabolo corpus & Animam sensitivam, malum fomitem mali & peccati*: Huic impietati nemo Orthodoxus non dixerit Anathema.

V. Viderint interim, annon Manicheorum fermentum sapiat, opinio de pluribus Animabus, qui illam urgent cum *Tileno, Synagm. part. 1. Disp. 30. Thes. 30.* hac persuasione occupati *Commodius explicari luctam τῆς ἡγεμονικῆς* cum τῷ θυμικῷ καὶ τῷ ἐπιθυμητικῷ: *& incommoda gravissima vitari, quibus scilicet urgentur, qui ab eadem & quidem simplici unius animæ essentia facultates tam dissidentes & velut adversis frontibus concurrentes derivant*. Non est naturæ humanæ ex suis principiis constitutioni Harmonicæ, sed corruptioni imputandum, si dissideant & adversi frontibus concurrant Animæ facultates seu affectus. Neque miscenda cum naturæ illa ἀνακαθαρσία, Lucta Carnis & Spiritus, quæ in regenitis notat Spiritus Sanctificantis actionem, cum reactione seu recalcitratione naturæ peccatricis, tam in intelligentia & voluntate, quam in affectibus inferioribus; ut nec Caro affectibus sine Spiritu insit, nec Spiritus intellectui & voluntati sine Carne: donec certamen illud in nobis componat hujus vitæ terminus, Gal. 5. 17. & Rom. 7. & Matth. 26. 41.

VI. Consensus porro Orthodoxus, contra quoscunque, iste est: Assumpsisse Christum Naturam humanam ὁλόκληρον, intercedente inter Animam Christi Rationalem & reliquam naturam humanam *Vnione Naturali*: inter naturam autem humanam solidam, & Divinam intercedere *Vnionem Hypostaticam seu Personalem*, qua Humana divinæ facta est, ἐνυπόστατος. Et sic naturali-

ter

ter naturali unione Christus est factus Homo per se, non per accidens unus: Supernaturaliter autem, non naturali, sed personali, duarum non plurium naturarum: Unione, factus non per accidens, sed per se, unum quid, quod vocamus Personam θεάνθρωπον.

VII. Præscribit hic consensus Orthodoxus contra præsumptam Philosophiam istam, quæ forte in individuis unam per se Personam humanam statuit, ubi humanum Corpus Animatum seu Animal, Animæ rationali sit ἐνυπόστατον: Non tamen in Specie patitur Unionem naturalem, qua ex Anima Rationali & Corpore fiat Una per se natura, sed tantum Homo ex Animali humano, & ex Anima rationali aggregatus Unione Personali. Ex qua hypothesi, & Persona Christi fiet secundum *Nestorii* hæresim Persona non per se Una, sed ex Persona utraque humana & divina aggregata.

VIII. Consentiunt porro Theologi Orthodoxi, Hominem ὁλόκληρον Corpore & Anima in Mortuorum resurrectione sistendum Dei judicio, sicut in hoc sæculo cum Deo in Fœdus coiit: neque sub ducendam damnationi Animam impiorum, quæ peccavit. Adeo ut admissa juxta Animam Rationalem Anima altera, quæ cum Corpore moriatur, credenda sit juxta Carnis resurrectionem, altera etiam Animæ mortuæ reproductio, non ex nihilo, sed ex sua, in quam migravit *mundanæ auræ* materia. Atque hic oritur nodus vindice dignus non minus, quam est ille circa Carnis resurrectionem de ἀνθρωποφαγίᾳ & ἀλληλοφαγίᾳ seu hominum ab aliis animantibus & ab hominibus devoratione, quæ videtur obicem ponere ejusdem Carnis reproductioni: videlicet, quomodo non Animæ istius mortuæ reproductioni obicem ponat mortalium Animarum μετεμψύχωσις transeunte in Animæ mundanæ matrice in materiam Animæ Anima.

IX. Ad Controversæ ergo quæstionis determinationem dicimus, Non esse absque Necessitate multiplicanda Entia, maxime si per multiplicationem Entium non solvantur nodi ἄλυτοι seu insolubiles, sed cumulentur & in Philosophia & in Theologia: & ubi aperitur Hæresi non uni lacibulum, contra receptam sententiam. De qua necessitate jam reliqua est Scripturas sacras disquisitio, præmissa obiter responsione, de necessitate, quæ prætexitur

xitur Philosophica, ut scilicet, *Homo generet Hominem*, quod non fiat, si nulla sit in Homine Anima præter Rationalem, quia aut statuendus est Tradux Animæ Rationalis, ut ipsa quoque educatur ex potestate materiæ: aut, *ut Homo Hominem generet, materialis quædam forma homini tribuenda est, quæ reipsa diversa sit ab Anima Rationali.* Respondemus: Siquidem cum Animæ rationalis Traduce conciliari nequeat natura ejus Immortalis, quod nobis etiam placet: se ipsam refellit argumentatio ista, quia ex hypothesi neque Homo generabit Hominem, sed tantum Corpus Animatum isthac forma materiali, quæ re ipsa diversa sit ab Anima rationali, absque qua *Animal humanum* non est *Homo*.

X. Vindicandus ante omnia locus illustris 1. *Thess.* 5. 23. καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ, καὶ τὸ σῶμα ἀμέμπτως, ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τηρηθείη: *Et integer vester Spiritus, & Anima & corpus inculpate in adventum Domini nostri Iesu Christi serventur.* Censetur autem illi parallelum, quod Hebr. 4. v. 12. Paulus habet μερισμὸν ψυχῆς τε καὶ πνεύματος, Divisionem Animæque & Spiritus. Vindicatur autem locus uterque à *Thoma*, nec non *Calvino*, *Beza*, *Piscatore* aliisque isthac responsione: Non notari diversas Animas, sed unius Animæ duas potentias & facultates, *Spiritu, Mentem qua sapimus & intelligimus; Anima, voluntatem atque affectus.*

XI. Nobis super loco 1. Thess. 5. 23. solidior videtur responsio *Gennadii Massil. cap.* 20. quam sequi videtur *Andr. Hyperius in Commentariis*: quam etiam *Thomas* annotavit, *Qui ab Apostolo cum Anima & corpore inducitur Spiritus Gratiam Spiritus S. esse intelligimus: quam orat Apostolus, ut integra perseveret in nobis ne nostro vitio aut minuatur aut fugetur à nobis.* Persuadet nobis expositionem illã, quod antecesserit versu 19. τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε, Spiritum ne extinguite.

XII. Malumus quoque, ut Paulus Hebr. 4. 12. quamvis loquutus de Hominis Anima, tamen Spiritus & Animæ discretione non discreverit Mentem à Voluntate; sed utriusque & Mentis & voluntatis facultatem promam à conda, seu id quod εἰσπορεύεται εἰς τὴν καρδίαν in cor ingreditur ab eo, quod ἐσωθεν ἐκ τῆς καρδίας ἐκπορεύεται intime ex corde egreditur, Matth. 7. v. 19.

19. 21. atque illud vocarit ψυχὴν Animam hoc πνεῦμα Spiritum.

XIII. De cætero animadversa Scripturarum Analogia offerunt se pro recepta sententia munienda observationes sequentes.

1. Etiamsi quando voces רוח πνεῦμα Spiritus notam essentiam Animæ rationalis Spiritualem, à corpore separabilem, ut Psal. 31. 6. Eccl. 12. 1. Luc. 8. 55. Hebr. 12. 7. Zach. 12. 9. 23. 1. Cor. 6. 20. & 7. 34. & alibi. Tamen non est dicata in Scripturis vox Hebræa aut Græca, ad Anthropologiam, significationi vel essentiæ vel facultatis in homine eminentioris, quam quæ vocibus etiam נפש ψυχὴ Anima, exprimi consuevit: Quod evidens est, ubi urgetur Cultus Spiritualis & Charitatis Deo ac proximo debitæ perfectio; vel enim sola ψυχῆς Animæ voce Scriptura defungitur dicens ἐκ ψυχῆς ex Anima, Eph. 6. 6. Col. 3. 23. vel cumulans etiam plura vocabula ad omnem emphasin, expressa voce נפש ψυχὴ Anima vocem רוח πνεῦμα Spiritus, ut Synonyma negligit, dicens, ex toto corde, ex tota Anima, ex tota Intelligentia, ex tota Cogitatione, ex omnibus viribus, Deut. 4. 29. ff. 6. 5. ß. 10. 12. ff. 11. 13. ff. 13. 3. ß. 30. 2. 6. 10. Et Gaudium Spirituale expressit Paulus verbo à ψυχὴ derivato εὐψυχῶν, Phil. 2. 12. Et in spirituali certamine pro causa Christi, testatur se desiderare commilitonem ἰσόψυχον pari anima præditum, ibidem vers. 20. Et jubet perstantes in uno Spiritu, hoc est, munitos unius Spiritus sancti præsidio μιᾷ ψυχῇ συναθλεῖν decertare unâ Anima, cap. 1. 17.

XIV. II. Neglecta etiam voce Spiritus Christus Animam nominat, designare volens patrem hominis nobilissimam ac pretiosissimam, quæ viva superstes manet, nec occidi potest, corpore occiso, Matth. 10. 28. Et quæ totius mundi lucro preponderat, nec non vitæ animali, adeoque ejus jacturâ redimenda est, Marc. 8. 35. 36. Quo posteriori loco eodem quidem Animæ nomine nominatur & Anima redimenda, & Vita redemptioni Animæ impendenda: sed vario schemate dictionis, Vita enim Animalis, impropria loquutione Scripturis familiari, Anima dicitur, ut Ortum quid ex Animæ cum corpore unione. Cui Animæ corpus vivificanti, si dicata esset appellatio Spiritus hic illam vel maxime

flagitasset, Christi oratio, ad causam ab effectu distinguendam.

XV. III. Accedit quod sive mox à corpore separanda, sive jam separata Anima rationalis, non minus vocetur נפש ψυχή Anima, quam רוח πνεῦμα Spiritus, 1. Reg. 17. 21. 22. Apoc. 6. 9. & 20. 4. Et in Christo πνεῦμα Spiritus vocatur, etiam inferior, ex hypothesi, Anima in Corpore sanctis iræ & doloris affectibus turbata, fremens & ingemiscens, Marc. 8. 22. Joh. 11. 33. & 13. 21. Unde obiter notandum neque appellatione τῆς ψυχῆς Animæ, ad inferiorem à corpore inseparabilem vel Animam, vel Animæ facultatem adstringi posse Christi Agoniam, Marc. 14. 34. Matth. 26. 38.

XVI. IV. Neque est negligendum, quod de æterna hominis perditione aut salute loquens Scriptura, fere neglecta voce Spiritus, loqui amet vel de perditione Animæ, Matth. 10. 28. 16. 26. Marc. 8. 36. Ro. 2. 9. Jac. 5. 20. &c. vel de Salute & Redemptione Animarum, Hebr. 6. 19. 10. 39. Luc. 9. 56. 1. Pet. 1. 9. & 4. 19. adeoque quamvis Deum nuncupet Deum Spirituum universæ Carnis, Num. 16. 22. & 27. 16. & Patrem Spirituum, Heb. 12. 9. tamen neglecto Spirituum nomine Christum nuncupat Pastorem & Episcopum Animarum, 1. Pet. 2. 25.

XVII. V. Nec temere factum, quod (sicut Emblema monstrosum in natura, hominis mendacis & fraudulenti, qui modo ait, modo negat, est Homo Bilinguis.) sic Apostolo Jacobo est Hypocritæ Emblema, quasi Monstrum in natura ἀνηρ δίψυχος *Homo Bi-Animis, seu habens duas Animas*, Een Twee-zielich mensch: Qua voce expressit Jacobus Hebræum illud לבולב Cor & Cor, Psalm. 12. 33. quod similiter, ut monstrum hominis pingit hypocritam: Een dobbel-hertigh mensch.

XVIII. VI. Munit quoque jam dicta, quod Scriptura homines recensens, tot numerat Animas, quot homines, Genes. 46. Ex. 12. 4. & 16. 16. 1. Chron. 5. 21. Act. 7. 14. &c. Et quod nonnisi in singulari loquitur de uniuscujusque Spiritu, qui in morte Deo redditur, & de Anima post mortem superstite, Ps. 31. 6. Matth. 10. 28. Eccl. 12. 7. Denique quod Animæ Epitheton facit יחורה *Vnica*, seu juxta LXX. μονογενὴς *Vnigenita*, juxta *Aquilam*

μοναχὴ

μοναχὴ *Solitaria seu singularis*, juxta *Symmachum* μονότης *Unitas*, Psal. 21. 21. & 35. 17.

XIX. VII. Neque quidquam flagitamus præter judicium Logicum & Rhetoricum, ut ex collatis inter se locis Eph. 4. 4. & 1. Cor. 12. 6.---27. legatur hoc quasi Solis radiis scriptum: Esse in uno corpore mystico Ecclesiæ, Unum Spiritum, qui illud, quasi animat & vivificat, influens in singula ejus membra, omnia & singula quantumvis varia singuli membris appropriata ἐνεργήματα similiter, ut Unius corporis naturalis organici Unica est Anima. Adeo ut primo de Corpore naturali ejusque Anima Unica, in protasi deinde de Corpore demum mystico ejusque Spiritu sanctificante unico in apodosi allegorice accipienda sint verba Apostoli, ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα, *Unum Corpus, Unus Spiritus.*

XX. IIX. Cum Uno autem Corpore Unam Animam Rationalem, non tantum *unione Personali* in individuis efficere Personas singulas; sed in naturam unum coalescere, *unione naturali*, in Specie Humana ab individuis abstracta: demonstramus ex Jacobo, qui charactere Dominii in omnes Animantium naturas, quo illæ domantur, ab illis discernit φύσιν ἀνθρωπίνην Naturam humanam, Jac. 3. 7. Pendet ergo naturæ humanæ constitutio in specie sua naturali, ab Anima rationali, absque qua brutis dominari non posset.

XXI. Influere autem Rationalem Animam in corpus organicum ἐνεργήματα seu operationes suas, non tantum illas, quæ videri possent exerceri mediante Anima sensitiva; sed etiam rationales, quibus Deo agglutinanda est: demonstrat ex naturali argumento λόγῳ seu Ratiocinatio Sermocinatione expressa per Linguæ organum, Jac 3. Et supernaturale argumentum idem persuadet: Quod ad *cultum rationalem* Deo sisti non possunt hostia viva sancta ac Deo accepta, corporis membra, Rom. 12. 1. & Ro. 6. 13. si vitam suam in corpus non influit neque illud animat Rationalis Anima.

THEOLOGICO-HISTORICA DE PERSONA MELCHISEDEKI.

THESIS I.

EST de Persona & de Sacerdotio Melchisedeci, Disquisitio ardua & difficilis est, propter illa, quæ δυσνόητα intellectu difficilia se efferunt in Pauli ad Hebræos Epistola maxime cap. VII. non tamen negligenda, propter typi, quo Christus & Regale Sacerdotium ejus adumbratum fuit, præstantiam supra Aaronem & Aaronicum Sacerdotium, quam tantopere Apostolus commendat. De Persona; Quis Qualis; Quantus fuerit Melchisedek, nobis instituta est præsens disputatio, ad Examen opinionum dissentientium, quas habemus quinque, ex antiquitate; de quibus *Hieronymus in Epistola ad Euagrium Tom. IV. fol. 16. & 17. edit. Froben, a. 1516.* & *Epiphanius contra Melchisedecianos Hæresi 35. alias 55. & contra Hieracitas hæresi 47. alias 67.* Ex quibus duas saltem merito olim explosas censemus: Prioris auctor memoratur *Hierax*, qui existimarit *fuisse Personam Spiritus S. qui visus sit sub hominis figura*. Alterius *Origenes & Didymus*, qui dictarint *fuisse Angelum sub hominis figura*.

II. Ex tribus opinionibus reliquis, affinis illi de Persona Spiritus S. est illa, istis apud Epiphanium verbis proposita φύσει τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ ἐν ἰδέᾳ ἀνθρώπου τότε τῷ Αβραὰμ πεφηνέναι, *Illum qui natura Filius Dei est in idea hominis tunc Abrahamo apparuisse*; sed similiter explosa jure an injuria, jam videndum expresso prius isthoc Epiphanii argumento, οὐ γὰρ τις ἑαυτῷ ὅμοιος γεννήσεταί πότε &c. *Non enim quis sibi ipsi similes esse unquam potuit, velut habet Scriptura divina, Assimilatus Filio Dei*; ἀφωμοιώμενος τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ &c.

III. Hodierni assertores istius sententiæ, post clariss. *Cunæum* de

de Rep. Hebr. lib. 3. cap. 3. existimant hoc illud esse, *Quod Filius Dei cum in via Abramo occurreret eum vultum eumque corporis habitum sibi finxerit, quem postea gessit in terris, quod sero genitum formatumque tunc non existitit*: Atqui illud flagitabat, ut diceret Apostolus, assimulatus filio Hominis: vel saltem Filio Dei secundum carnem. Aliud suggerit Clariss. *Molinæus* libro, cui titulum fecit *Vates cap. XIV.* putat pro ista assertione, *Omnia fore plana ac perspicua, si statuatur de Melchisedeco ejusque comitibus, Fuisse ab ipsis assumptos veros homines, quorum unus à Spiritu Christi, cæteri à Spiritibus Angelicis movebantur, & fuerunt à Deo ad hoc opus adhibiti*: Nempe hoc pacto, *ut moverentur ad ea agenda, quæ ipsi non intelligebant, phantasia eorum obsessa & à consuetis cogitationibus abducta: Ac negotio peracto ad quod fuerant à Deo adhibiti, discusso veterno, & cessante ecstasi, ad consueta munia reversi sint, immemores eorum, quæ impulsore Spiritu Divino, aut Angelico egerant.* Sed commentum hoc probatione indiget, quæ nulla est *ex hominum appellatione* in apparitione illa, *Genes. 18. 2.*

IV. Neque evasionibus, quas idem recensет, assertores illius opinionis tam facile eludere possunt Epiphanii argumentum. Non *ex eo, quod Paulus Christum dicit factum ac similitudinem hominum, qui factus est verus homo, Phil. 2. 7.* Omnino n. intellexit hominem factum aliis hominibus, excepto peccato simílem: Neque *ex eo quod Dan. cap. 2. 25. Nebucadnezar conspicatus quartum, inambulantem cum tribus, quos miserat in fornacem, dixit hunc quartum esse similem Filio Dei.* Inde enim non liquet intellexisse Nebucadnezarem, quartum illum fuisse Filium Dei: sed potius Angelum, Angelis illis, qui olim aparuerant similem. Neque *ex loquutione ista, quâ Deus dicitur semper, idem similisque sibi*: Nemo enim hoc θεοπρεπῶς enunciaverit Greca voce ἀφωμοιώμεν. Assimulatus. Neque *ex hac locutione usitatissima, Unum quodque animal generare sibi simile*; inde enim omnino sequitur id, quod generatur non esse ipsum generans.

V. Omnino a. perimit opinionem illam, quod ille quisquis fuerit Melchisedek ab Abrahamo, ut Sacerdos Dei excelsi acceperit decimas omnium, Genes. 14. 20. consequenter ex analogia Legis, Levit. 28. 32. etiam decimas boum ovium & caprarum, ad sacrificium pro victoria Eucharisticum, cruentum. Istas autem boum ovium & caprarum decimas sacrificio devotas accipere, non

est

est nisi terreni Sacerdotis meri hominis functio, Filii Dei Sacerdotiominime conveniens.

VI. Enimvero manent δυσνόητα illa, quæde Melchisedeco prædicat Apostolus, quomodo de mero homine affirmari possint; quod non habeat initium nec finem vitæ, fuerit sine Patre sine matre sine genealogia, habeatque supra homines morientes Testimonium, quod vivat: & maneat Sacerdos in æternum: Videtur enim in istis Melchisedecum non posse esse similem Filio Dei, quin sit ipse filius Dei: Et nulla videtur inveniri posse causa idonea, cur Abraham tantum honorem debuerit Melchisedeco impendere, eique ut majori & longe digniori assurgere, si fuit homo peccator & mortalis, & unius oppidi regulus in regione Cananæa. Contra quæ argumenta, languide pugnari iisque non satisfieri à recepta sententia, quam mox audiemus assertoribus, pronunciat *Molinæus cap.* 15. Sed neque ipse nodum solvit, istâ, quam Thesi. 3. indicavimus, hypothesi, quæ ipsa probanda erat, & docenda.

VII. Reliquæ ergo duæ opiniones examinandæ, quæ consentiunt in ista principali hypothesi; Fuisse Melchisedecum verum & m erum hominem de genere humano ex Adamo & Noacho ortum, de quo loquens Scriptura Genes. XIV. & Psal: CX. silet genealogiam, & patrem ac matrem ejus, silentii mysterio Prophetans ad Christum venturum adumbrandum, qui ut æterna à Deo patre generatione, est sine matre, & initii temporis finisque vitæ expers, sic temporali conceptione Spiritum S. ex matre virgine proprie est sine patre.

VIII. Verum salvo isthoc consensu alii existimant, absolute de genealogia, de patre Melchisedeci silere Scripturam universam, ut omnino frustra sit, & propter Scripturæ silentis auctoritatem, curiositate peccet disquisitio illa, Quis fuerit Melchisedek: atque hæc & Patrum olim, & hodie nostrorum Teologorum, post *Martyrem*, *Hyperium*, *Calvinum*, receptior est sententia. Alii autem, cum *Melanchthone & Peucero ad Chronicon Carionis*, existimant non esse urgendum Scripturæ silentium illud, cujus mysterii propheta-rit, extra locum jam indicatum, ubi nominatus est Melchisedek. Adoptant autem Hebræorum magistrorum opinionem, ut consentaneam admodum, *fuisse Melchisedek Sem Noachi filium.* Neque pau-

paucorum hæc opinio est, scripsit enim L. *Danæus ad Augustinum de hæres. cap.* 34. *plerosque fere omnes id existimare.* Acerrime autem illam propugnavit *Hugo Broughtonus Anglus, maxime libello vernaculo edito* 1591.

IX. Utrisque felicius se viam in hoc senticeto complanasse existimavit nuper de Novæ Melchisedeco excogitatæ opinionis auctor: qui statuit, *Fuisse illum purum putum hominem, hoc proprio nuncupatum nomine, regem proprie dictum, in urbe Hierosolyma, figuram Christi: sed qui fuerit verè & perfecte justus & sanctus, Rex, & ejusmodi summus & unicus populi sui Pontifex, qui necesse non habuerit, sicut alii Sacerdotes offerre pro peccatis suis, cum ipse justus esset & sanctus; sed tantummodo pro peccatis sui populi, proprie & secundum literam sine patre & sine matre, quia homo factus à Deo, non per carnalem generationem, sed per immediatam ipsius Dei creationem: unde in Gen.* 14. *introducitur vel ut homo quidam de cœlo delapsus: Sine genealogia a respectu liberorum, quos nullos habuerit, neq; proinde successores in Sacerdotio: Sine dierum initio, quia nullum ei fuit initium dierum nativitatis sive genituræ; quale habent omnes alii homines, qui in hunc mundum non ingrediuntur, nisi impletis diebus partus. Finem etiam vitæ nullum habuerit, quia creatus fuerit per gratiam nunquam moriturus: Assimilatus autem, id est, per quam simillimus factus Filio Dei, non venturo, sed ei, qui jam ante præcesserat, primo homini, qui inter homines solus per excellentiam dicebatur* ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, *ille filius illius Dei, Luc.* 3. 38. Verum haud existimamus fore, ut opinio nova inter Theologos orthodoxos assensum impetret, aut ætatem ferat: opponimus illi sequentes Antitheses accuratius perpendendas.

X. 1. Alius præter ipsum Christum Rex vere & perfecte justus & sanctus; & ejusmodi summus & unicus populi sui Pontifex, qui necesse non habuerit offerre pro peccatis suis, quod ipse justus esset, Est Non Ens, quod neque ex Analogia Scripturæ, neque *ex nova Dei revelatione didicit*, nec docuit Apostolus: Solus enim ex hominibus Homo Christus ἀναμάρτητος impeccabilis.

XI. 2. Alius præter primum Adamum per immediatam Dei creationem sine patre & matre factus homo, similiter est Non Ens, quod refellit Scripturæ Analogia, secundum quam, ne Christo quidem excepto, omnium viventium mater est Eva, Genes. 3. 20. cum vers. 15. Et Sacerdos nullus est nisi ex hominibus assum-

ptus, Hebr. 5. 1. cum cap. 2. 11.

XII. 3. Luc. 3. 38. cum vers. 23. primus homo Adam non est dictus *ille filius Dei*, cum illa articuli expressione ad excellentiæ emphasin: legitur vers. 23. υἱὸς absque articulo: nec temere, ne offuscaretur Christi excellentia versu 22. cum gemino articulo expressa voce cœlitus delata ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, ille filius meus, ille dilectus. Neque ut primus homo dictus sit Hebr. 7. vers. 3. vel illi Filius, vel absolute Filius Dei, patitur Analogia Epistolæ ab initio ad capitis VII. versum ultimum usque: Quandoquidem per Filii Dei nomen Christo vindicat excellentiam Deitatis veræ, supra, non tantum homines eminentissimos, sed ipsos Angelos.

XIII. 4. Præposteritatem habet, quod assimilationi illi, qua Melchisedek sit, per quam simillimus factus, ex hypothesi, Adamo primo, nempe creatus sine patre & matre; credatur Apostolos voluisse miscere illud, sine genealogia, respectu liberorum, quos nullos habuerit: Hoc enim pacto fingitur primo homini, stirpi & parenti universi generis humani, per quam dissimillimus.

XIV. 5. Vox ἀφωμοιωμένος Græca nihil præscribit contra umbratilem typi ad veritatem antitypi assimilationem: ut aliam in Phœnice cœlitus delapso similitudinem veram magis ac realem ad Christi figuram, quærere necessum sit: Quandoquidem nec contra falsam mendacii assimilationem ad veritatem præscribit; ut docet illud Platonis, quod auctor ipse expressit, ἀφομοίωντες τῷ ἀληθεῖ τὸ ψεῦδος, *Assimilantes veritati mendacium.*

XV. 6. Paradoxon quoq; est καὶ ἀπαλήπτως quomodo propria & literalis sit expositio ista: *Sine dierum initio: id est, non impletis diebus partus*: Sic enim etiam proprie & secundum literam & primus homo, & mundus ipse universus, non habuit dierum initium. Et præposterum esse dierum vitæ initium restringere ad dies partus impletos, cum in utero anticipare possit & sæpe anticipet vitæ finis.

XVI. 7. Temere quoque tribuitur Creationis novæ privilegio & Gratiæ id, cujus τὸ ὅτι supponitur, quod Melchisedek instar Enochi *translatus sit ne videret mortem.* Atqui in hoc rursum, fuerit primo homini non simillimus, sed dissimillimus factus. Neque

que illud τὸ ὅτι, exprimi potest ex testimonio Davidis, Psal. 110. neque ex Hebr. 6. 20. Quo posteriori loco non dicitur Jesus post Melchisedecum πρόδρομον cælos ingressus; sed ipse noster πρόδρομος, ubi cœlos ingressus est, factus seu declaratus Sacerdos secundum ordinem Sacerdotis Melchisedeci. Breviter secundum Scripturæ Analogiam, uno Christo excepto, nemo unquam post lapsum primi hominis in mundum venit aut venturus est, qui non sit nascendi conditione peccato & morti obnoxius, ut pro peccatis suis ad liberationem à mortis maledictione sacrificio apud Deum expiatorio indigeat, non excepta ipsa matre Domini, neque illis, qui mortem non viderunt, Enocho & Elia: aut quos viventes offendet dies novissimus.

XVII. Reliquum est, ut particularius examinemus: An, quod censent viri graves, nulla prorsus ratione nitantur, qui existimant *Melchisedekum fuisse Sem*? ac nullum veri colorem habeat opinio illa, adeoque tanquam Judæorum inane commentum sit explodenda. Existimavit autem *Iac. Cappellus ad A. M.* 2086. esse *nuperum Iudæorum commentum*, quo antiquiorem aliam Judæorum opinionem notarit *Ambrosius circa annum Dom.* 378. Verum liquet esse antiquissimam, ex *Targum Ionathan*, in quo legitur ברנח חוא שם *Ipse fuit Sem filius Noach.* cum quo consentit *Targum Hierosol. ibidem* שם רבה חוא *Ipso fuit Sem ille magnus.* Docet autem *Buxtorffius in Bibliotheca Rabbinica, Ionathanis Chaldaicam paraphrasin librum esse antiquissimum Hebræorum omnium, atque ipsum floruisse paulo anti-Christum.* Fuerit ergo apud Hebræos, antequam ad illos scriberet Apostolus, traditio ista πατροπαράδοτος similis illi de nominibus *Iannis & Iambris*, quæ vere idem *Ionathan* expressit *in Exodum cap.* 1. 15. *& cap.* 7. 11. ut ex Paulo discimus 2. Tim. 3. 8.

XIIX. Frustra quoque olim *Epiphanius* neglecta veritate Hebraica, voluit ex Chronologia sacra facere opinionem istam καταγέλαστον *Ridendam*: Sive enim juxta receptiorem calculum Annus Abrahæ natalis statuatur patris Terachi 70. sive juxta *Tremellium, Beroaldum, Broughtonum, Pareum, Capellum*, aliosque plures, patris Terachi 130. res salva est. Nam anno Abrahæ 83. ad quem circiter refertur res gesta Genes. 14. ex priori hypothesi Sem fuerit annorum 472. atque supervixerit ipse Abrahamo annos circiter

36. atque attigerit Semi vitæ terminus annum Isaaci 111. Jacobi 51. Ex posteriori hypothesi Sem fuerit annorum 532. & super vixerit illi Abraham annos circiter 24. atque attigerit Semi vitæ terminus annum Isaaci, 41. annis ante natum Jacob. circiter 9.

XIX. Quamvis a nolimus à receptiori hodie sententia recedere; & malimus de nodis quibusdam nondum solutis profiteri ignorantiam nostram: Tamen non parvi momenti est, quod per illam de Semo opinionem: ista quidem auferuntur valde alias δυσερμήνευτα difficilis interpretationis; Quomodo potuerit ex gente à Noacho maledictioni devota, eique jam vicina, manare Abrahami & Seminis ejus benedictio: Quomodo ex illa gente aliquis in Cananæa regulus Abrahamo σύγχρονος, potuerit magno Patriarchæ Abrahamo Regalis Sacerdotii eminentia major & dignior censeri, ut hic illi deberet decimas omnium. Fuit enim Sem proavi Abrahami tritavus, cui merito assurgere debuit Abrahamus; & à quo benedictionem exspectare erat conveniens: Ut nempe hæres fieret Abraham istius prærogativæ, qua Deus nuncupatus fuit Deus Sem, Genes. 9. 26. 27. ac Deus porro diceretur Deus Abrahami, ac seminis ejus Isaaci & Jacobi. Ac valde conveniens est, ut Sem natus præter propter ann. 500. dierum fatur: χρηματισθείς seu oraculo edoctus, atque actus Spiritus Prophetico, & gestierit videre illius benedictionis à Deo designatum hæredem, qui ipsi *Patri omnium filiorum Heber*, Genes. 10. 21. succederet *pater omnium credentium* & Hebræorum & Gentium, Rom. 4. 7. 18. atque ipsi processerit obviam, apprecatione sua ministraturus Benedictionis divinæ consilio.

XX. Neque contemnendum, quod hic plurimorum consensu adoptatur Hebræorum Traditio de Melchisedeci regia *Salem* fuisse illam *Ierusalem*; atque existimatur confirmari ex Psal. 76. 3. ubi tugurium Dei in Salem, sit habitatio Dei in Jerusalem; & censetur respexisse Psaltes id, quod de habitatione posterorum Japheti in tentoriis Sem prophetavit Noach. Conspirant de Melchisedeco rege Jerusalem, *tres Paraphrases Chaldaica, Ionathanis, Onkeloси & Hierosolymitana.*

XXI. Ut porro symbolam nostram conferamus: Si Melhisedek statuatur fuisse Sem; videtur facilius solvi posse, quomodo dicatur Mel-

Melchisedek μαρτυρούμενον ὅτι ζῇ, *Testimonium habens, quod vivat*: Quod accipiemus de scripto apud Mosem testimonio, isthoc nempe jam indicato, quo Noach θεοπνεύστως, divina inspiratione Deum vocavit Deum Sem, Genes. 9. 26. Quemadmodum ex testimonio apud Mosem scripto pronunciat Christus, testimonium habere Abrahamum, Isaacum & Jacobum, quod Deo vivant cum exspectatione beatæ resurrectionis; quia scriptum est Deum esse Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi, Luc. 20. 38. Quamvis enim omnes fideles communiter sic Deo vivant post mortem, non tamen pariter sunt scripto personali testimonio eximii, ut Sem, Abraham, Isaak, Jacob. Neque propter mortem intercedentem perimetur Antithesis, qua Melchisedeko viventi opponuntur Sacerdotes Levitæ ἀποθνήσκοντες, qui moriuntur. Erit enim hoc accipiendum limitare, qui móritur, absque testimonio illo; quo certa sit futura morientium salus: cum etiam piis impii possint succedisse juxta Aaronici Sacerdotii ordinem: Neque porro perimetur Christi figuratio; Quia attenditur maxime Christi Sacerdotium, in quo ipse Christus est μαρτυρούμενος ὅτι ἐγένετο νεκρὸς καὶ ζῇ seu testimonium habet, *quod fuerit mortuus & vivat*, Apoc. 1. 18. & 2. 8.

XXII. Enimvero sic censemus, non voluisse Apostolum inde à capitis V. versu 11. texere de Melchisedeco, quisquis ille fuerit sermonem prolixum & δυσερμήνευτον difficilis interpretationis, quem scilicet, ut, prælacte, solidum cibum commendaret adultioribus: Sed vocasse solidum cibum, & sermonem difficilis tunc apud Hebræos interpretationis, sermonem de ipso Christo ejusque secundum ordinem Melchisedeci sacerdotio: Atque ad Christum ipsum referendum illud περὶ οὗ *De quo &c.*

XXIII. Ea propter malumus sic instituere Capitis VII. Analysin, ut versu 2. verbs illis πρῶτον μὲν ἑρμηνεόμενον, non ordiatur Apostolus ænigmata de Phænice aliquo, de quorum interpretatione divinandum nobis sit, sed ut ordiatur ἑρμηνέαν seu interpretationem figuræ: ac de figurato Christo ministret se idem cibum illum, quod ipse sit Melchisedek ἑρμηνευόμενον, & ἀφωμοιωμένον τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ, i. e. veram interpretationem, & effigurationem suam atque expressionem solidam assecutus in persona

Filii Dei incarnati: breviter Melchisedecus ἀλληγορούμενος.

XXIV. Hoc pacto habemus personas duas vere distinctas & disparatas: unam Melchisedecum, quisquis fuerit, verum & merum hominem de genere humano ex Adamo & Noacho, nascendi conditione nobis per omnia similem, minime immortalem, aut immunem à peccato: gratia autem fidelibus communi regeneratum & sanctificatum, atque obsignatum ad beatam resurrectionem ac vitam æternam: singulari autem dignatione divina factum figuram & typum Christi, per quam hæres benedictionis pronunciatus est Θεοπνεύστως Abraham: Verum cujus personam, ad Abrahamum comparatam, extra Christum admirari, illorum est, quibus lacte opus est non solido cibo. At habemus personam alteram Christum ipsum, in quo ἀφωμειωμένος Melchisedecus, id est, solidum corpus finiens umbram, & absolvens assimilationem (secus quam Melchisedecus ἱερομένος) est *solidus cibus, & sermo justitiæ*, quem capiunt, qui sensus habent in Scriptura exercitatos.

XXV. Quemadmodum jam vexanda nunquam est interpretatio allegorica, aut laborandum, quomodo τὰ ἀλληγορούμενα. V. G. *Mons Sinai*, *Mons Sion*, *Agar* & *Sara* Urbis *Salem* & *Ierusalem*, Gal. 4. 22.--- 31. & Psal. 76. 3. vere & proprie sint, quod esse dicuntur. Quia perimeretur allegoria, si ipsa in se haberet αὐτὴν τὴν εἰκόνα τῶν πραγμάτων, ipsam expressam rerum imaginem; Sic neq; vexandum putamus sermonem Apostoli; sed hoc sufficeret, ut Melchisedecus Rex, an Salem, an Jerusalem, ἀλληγορούμενος seu per allogoriam ἑρμηνευόμενος expositus, solide sit illud, quod esse dicitur, non in se, sed in Filio Dei ἀφωμοιωμένος seu similitudine perfectiori expressus; quam qua ipse olim filium Dei figurabat, aut figurare poterat. Videtur certe assimilationis olim absolvendæ tempus nunc perfectum notare vox ἀφωμοιωμένος cum Emphasi etiam propositionis ἀπὸ. Hoc forte rectius nodos non solvendo, sed secando, via complanabitur in hoc de persona Melchisedeci senticeto.

AUCTA-

AUCTARIUM

Ex noſtra Sacrificiorum Patriarchalium Schola Sacra. Pag. 18. 19. 20.

Sacrificium à Melchiſedeko oblatum.

POſt hæc ſe offert in ſacra hiſtoria Melchiſedek Sacerdos Altiſſimi in terra Canaan, Geneſ. 14. v. 18. cui Abraham dedit decimas ex omnibus, verſ. 20. Pontificii, ut tueantur aſſertionem Concilii Tridentini ſeſſ. 22. cap. 1. Chriſtum videlicet declarantem ſe Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedek in æternum conſtitutum, obtuliſſe corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini: arripiunt ex verſu 18. verba illa לחם ויין הוציא ut probent Melchiſedecum panem & vinum Deo in ſacrificium obtuliſſe. Sed fruſtra ſunt. Etſi enim largiremur, quod eſſet in præjudicium Vulgatæ verſionis, quæ Pontificiis authentica eſt, transferendum fuiſſe non proferens, ſed offerens panem & vinum: nihil nos cogeret fateri, magis hic illam panis & vini oblationem fuiſſe ſacrificium principale, quam olim fuit panis & vini oblatio Leviticis Sacerdotibus præſcripta, Exo. 29. & Levit. 28. quam Bellarminus aſſerit non fuiſſe illic ſacrificium principale, ſed principalis ſacrificii partem quandam & veluti condimentum. Quidni ex Hypotheſi idem liceret nobis hic ſentire? Revera autem cenſemus nihil aliud intelligendum eſſe, quam muneribus iſtis prolatis Melchiſedekum teſtatam feciſſe lętam congratulationem de victoria, quam reportarat Abram, ſive illis famem & ſitim ſedarit Abram; abſumpto jam cibo & potu ſuo, ſive extra neceſſitatem gratam habuerit donationem congratularotiam: cujus mos poſtea invaluit extra rationem ſacrificii, ut apparet Judic. 8. v. 6. ob quod officium neglectum Moſes maledicit Ammonitis & Moabitis Deuter. 23. v. 4.

De cætero Sacrum Decimarum donarium, datum Melchiſedeko, tanquam ſacerdoti, qui Abrahamo major erat, teſte Apoſtolo, Heb. 7. v. 4. 9. ſuggerit nobis Sacrificii, quod Melchiſedekus obtulit pro Abrahamo genus & materiam: Nam ſi Abrahamus & in ipſi-

us

us lumbis Levitæ dederunt Melchisedeko Decimas omnium מע שר מכל Genes. 14. v. 20. pariter ut ex Lege olim Leyites Sacerdotium sortitis decimas dederunt fratres ipsorum, Hebræo. 7. v. 5. consequens est ex Lege Levit. 28. v. 32. Melchisedekum etiam tanquam Sacerdotem Altissimi accepisse ex manibus Abrahami Dei cimas boum, ovium, & caprarum, ex quibus Deo obtulit sacrificium & Eucharisticum simul & Propitiarium, in cujus acceptatione divina haberet benedictionis, qua ipsi Melchisedek Sacerdos Altissimi benedixit, sacramentum. Sic Melchisedekus, secus quam contendunt Pontificii, Leviticis Sacerdotibus major fuit Donorum & Sacrificiorum nec efficacia, nec genere, nec benedictionis natura, quia salutem vovit non contulit, pariter ut illi Num. 6. v. 23. 27. sed gradu tantum dignitatis, quod pro munere sacerdotis regalis pro Abrahamo Patriarcha dona ad se adducta Deo obtulerit: & suæ benedictionis ministerio voverit Abrahami posteris Levitis illam quam egressi ex lumbis Abrahami obtinuerunt, dignitatem.

Pag. 127. 128.

Melchisedek non sacrificavit per Sacerdotem alium.

Audax facinus est, quod Franzius asserit de ipso Melchisedeko & Rege & Sacerdote, tamen non sacrificare ausum fuisse unquam pecora sacrificialia, ipsemet ut ea discidisset manibus suis. Quam hoc velint & magno mercentur Pontificii nugantes de Sacrificio Melchisedeki incruento? Aniles nugæ! Universalis est illa Pontificis definitio Apostolica: Omnis Pontifex ex hominibus assumitur, & pro hominibus constituitur in iis, quæ apud Deum agenda sunt, ut offerat donaria & victimas pro peccatis, Heb. 5. v. 1. qui ergo negare ausus est Melchisedekum victimas obtulisse, is eadem opera negat Sacerdotem fuisse Dei altissimi. Quin dato, non concesso, aliquos Sacerdotes fuisse, qui suis manibus nullas offerrent victimas, sed ad illos adducerent Sacerdotes penes, quos jus esset per se sacrificandi, perimitur fastigium illud honoris, quod

quod Sacerdotio Melchisedeki asserit Apostolus, per istam depreciationem Melchisedeci, sub Sacerdote illo, qui ipso victimas sacrificet: qui Franzii opinione fuit Semus tunc superstes. Tolerabilior hic opinio illa Judaica (quam, ut plectuntur nonnulli viri docti, mirum est non Franzium, qua illam Melchisedeci depreciationem evitasset) videlicet Melchisedekum non fuisse alium ab ipso Semo.

COROLLARIUM.

Sacrificium Melchisedeki, materialiter olim constans ex pane & vino, benedicto & sanctificato in altari ligneo, in typum Christi seipsum in ligno crucis Deo oblaturi: Et Sacrificium incruentum memoriale panis & potus animarum nostrarum in vitam aternam, quem nobis Christus in sacramento Eucharistiæ sub speciebus panis & vini offert & exhibet.

Non longe absunt à fermento Papistico, quod in Ecclesiis Reformatis expugatum est.

Selectarum Disputationum Theologicarum XVII.

DE Unctione Christi Mediatoris.

THESIS I.

UNctio à qua Mediator noster Jesus Hebræo nomine מָשִׁיחַ Græco χριστὸς Christus, id est, *Unctus* dicitur, præsenti disputatione nobis enucleanda est, consideratione bimembri; vel enim spectantur *persona Ungenda & Ungens*; vel spectatur *munus, cui inunctus est unctus ille.* Personæ quidem Ungendæ Hebræum Messiæ nomen in Veteri Testamento tributum est, Psal. 2. 2. 6. item Ps. 132. 10. 17. 1. Sam. 2. 10. 35. Dan. 9. 25. 26. Id-

que exerte Jesu filio hominis vindicatur in novo Testamento, Matth. 1. 16. Joh. 1. 42.

II. Figurabant autem Messiam illum seu Christum olim venturum, illi qui olim vel communiter uncti Dei salutabantur; vel qui singulariter etiam eo nomine insigniebantur ab unctionis visibilis ritu, quo habebant obsignatam vocationem divinam: Sicut Patriarchas Unctos suos vocat Deus, Psal. 105. 15. Et David Saulem Unctum Dei nominat, 1. Sam. 24. 7. 11. &c. 12. 3. & 2. Sam. 11. 14. 16. Et Cyrum Persarum Regem prænunciat Deus futurum Unctum suum, Esaj. 45 1.

III. Fuere autem *Ordines Unctorum tres*; nam præter Regum Unctionem, legitur etiam Unctio, qua Elias jussus est inungere Prophetam Elizæum, 1. Reg. 19. 16. Et ad Prophetas restrictum videtur illud Unctorum Dei nomen, Psal. 105. 15. allatione historiæ, quæ respicitur Gen. 20. ubi versu 7. Deus Abrahamum faciet Prophetam.

IV. Quod hic existimat *Clariss. Piscator*, Mandatum de Ungendo Elizæo impropria loquutione per Synecdochen speciei accipiendum esse, *quod Elias mandatum illud exequens, non legatur Elizeum unxisse, sed tantummodo pallium suum injecisse.* 1. *Reg.* 19. 19. dilutum nimis est, nec solida est, quæ substernitur hypothesis, Quia scilicet *Scriptura tales actiones, quæ magni sunt momenti plene narrare solet*: Sic enim æque proclive erit negare Christum octavo die circumcisum esse: quia neque hoc plene narrat Lucas cap. 2. 21. *Vide Piscat. in Exegesi Aphorismorum ad Aphor. VI.*

V. Maxime a. solenniter imperata fuit divinitus Sacerdotum Unctio, cum Sacerdotii Aaronici inauguratione Lev. 8. & Num. 3. Cunctas a. illas Unctiones credendum est figurasse Mediatoris venturi Unctionem, ut præordinati Summi prophetæ, Sacerdotis & Regis. Ac *respectu Ungentis Unctio sita est*, 1. *in Designatione*, 2. *in Obsignatione Patris.* Ac *Designationem* quidem *vocatus factam ab æterno præordinationem Filii*, 1. Pet. 1. 20. qua Præordinatus est à Patre, Filius vovens sese, conspirante Spiritu Sancto; ineffabili unius voluntatis divinæ in Personis tribus consensione.

VI. Præordinationis illius hypothesis hanc habet consequentiam: quæ militat contra Remonstrantium haud piam assertionem, quam

alibi

alibi confutavimus prolixius *Disput. Sel.* 1. Quod Christus non potuerit non suscipere in plenitudine temporis provinciam à Patre mandatam. Secus enim haud quaquam dici posset Pater, nos in Filio aut per Filium prædestinans, Spem vitæ æternæ nobis promisisse ante tempora sæcularia, ut Deus mentiri nescius, Tit. 1. 2. cum Eph. 5. 11.

VII. Deinde nec Filius ipse, secundum Remonstrantium assertionem istam, fuerit ab æterno idem cum Patre Deus mentiri nescius: neque Filii cum Patre in una essent voluntas una: Vel in Deum mentiri nescium cadet impotentia: qua, etiam volens divina persona provinciam suscipere, non potuerit, ex hypothesi, voluntatem humanam flectere ad id exsequendum, propter quod jam assumta erat natura humana. Utcumque ἀθεόλογον est.

VIII. *Obsignatio Mediatoris ab æterno designati* gemina est; juxta geminam temporis Periodum: Prior est ante ejus adventum in carnem; altera est temporis plenitudo illa, postquam manifestatus est in carne. *Obsignatio ante Incarnationem, constat Verbo Prophetico, & Sacramentis Promissionum,* quibus prænunciatus olim est Patribus, & præfiguratus Messias venturus; quarum τὸ ναὶ καὶ τὸ Αμὴν est in Christo ad Dei gloriam, 2. Cor. 1. 20.

IX. Obsignationem factam demonstrat, quod promissiones Mediatoris venturi dicantur interposito divino jurejurando confirmatæ: Deus ἐμεσίτευσεν ὅρκῳ interrcessit jurejurando, ut valida esset consolatio per duas res immutabiles, in quibus fieri non potuit, ut mentitus sit Deus Patribus ἐπαγγελίαμεν Hebr. 13. 18. cum Luc. 1. 73. Atque hæc est Fœderis κύρωσις in Veteri Testamento, quæ dicitur Pactio ante confirmata à Deo in Christum, Gal. 3. 17.

X. In hanc rursus Mediatoris Obsignationem, & Fœderis in illum κύρωσιν, impingit dicta jam Remonstrantium assertio. Potuit enim ex illa hypothesi, fallere Deus etiam juratus: si Christus provinciam non suscepisset; vel cum eam suscepisset se oneri ejus subduxisset; quod secundum illos committere potuit: Fuisset enim hæc manifesta ἀκύρωσις Pactionis divinæ in Christum confirmatæ: Quam neque per Dei veritatem à Deo, neque à Mediatore

homine absque peccato, fieri potuisse, evincit apertè Apostoli testimonium. Ut Remonstrantes hic velint nolit adoptare cogantur, illam, quam videri volunt asserere blasphemiam, *Christum potuisse peccare.*

XI. *Obsignatio Mediatoris manifestati in carne*, primo quidem spectatur *foris in Patris testificatione*, quæ fuit, *vel mediata* internunciis Angelis & hominibus Θεοπνεύστοις, Luc. 1. & 2. *vel immediata* è cœlo delata voce audibili, quod terfactum narratur. 1. In Baptismo ad Jordanem, Matth. 3. 17. 2. In monte sancto, Matth. 17. 9. 2. Pet. 1. 17. 3. Cum Passionis suæ horam persentisceret Christus, Joh. 12. 28.

XII. Deinde spectatur Mediatoris *Obsignatio intus, in Testificatione interna Spiritus sancti, ad conscientiam Christi humanam.* Qua *testificatione accedente ad Verbum propheticum lectum & vocem Patris è cœlo auditam, definienda est Vocatio Hominis Christi*, Personæ scilicet Filii, secundum naturam humanam exspectanda à Deo Patre, & non absque Patris mandato usurpanda, Hebr. 5. 5.

XIII. Hæc *Vocatio per Spiritum Sanctum, connexam habet infusionem donorum Spiritus S.* uberrimam illam, absque qua Unctio illa nequaquam in solidum constat, (qua Mediator dicitur κατ' ἐξοχὴν Unctus à Spiritu Sancto) sola vocatione jam dicta.

XIV. *Cœpit illa Spiritus sancti unctio* Christi in utero Virginis conceptione, cum Animæ Christi nova creatione in perfecta Sanctitate & Justitia: *accepit autem suam ἀκμὴν* successivo incremento & profectu in sapientia, cum statura; & in gratia apud Deum & homines: Donec ad Prophetici muneris functionem publicam anno ætatis circiter 30. accessit, Luc. 2. 52. Tunc autem ipsi in Jordane baptisato, *obsignata est Unctio Spiritus Sancti, visibili descensu Spiritus Sancti* in specie columbæ, & mansione supra ipsum, juxta Verbum Patris, & Sacramentum Baptismi, Matth. 3. 16. 17. Joh. 1. 32. 33. 34.

XV. Unctio illa Spiritus sancti facta est plenitudine illa gratiæ & donorum, quæ conveniens erat, ad muneris Prophetici Veritatem infallibilem, & ad victimæ humanæ sanctitatem ἀναμάρτητον impeccabilem, quam flagitabat inhabitans in Christo per Unionem hypostaticam Deitatis plenitudo; nec non ad Regiam donorum

rum Spiritualium distributionem, qua ipsi, ut capiti sua constet supra universos & singulos ὑπεροχὴ, Eph. 1. 16. Colos. 1. 18. 19. Ps. 68. 19. Eph. 4. 8. cum v. 13. & Eph. 3. 19. cum Colos. 2. 9. & Psal. 45. 8. Hebr. 1. 18. *Hinc, quamvis ob naturam humanam Christi finitam, dici nequeat absolute infinita; Tamen comparatione ad nostram Unctionem,* (quæ sit admenso singulis modulo, pro sapienti divina distributione talentorum spiritualium, Matth. 25. 15. 16.) *dicitur facta non* ἐκ μέτρου. Non enim Christo, ut nobis, modulo admenso, Deus dat Spiritum, Joh. 3. 34.

XVI. Quando *hic negant Remonstrantes Christi impeccabilitatem fundari posse in illa à Spiritu Sancto Unctione Christi supra consortes*; necesse habent contra Scripturæ negationem affirmare: admensum Christo mutabilis Sanctitatis modulum, atque consequenter tueri non possunt, Infallibilem Christi veracitatem in Doctrina tam Fidei, quam pietatis: quæ tamen hactenus, sine cujusquam contradictione, fundata creditur in Christi Unctione in summum Prophetam. Sin autem hic manent in consensu orthodoxo, de Infallibili veracitate Christi docentis, propter Unctionem Spiritus Sancti; sed negant tamen impeccabilitatem Christi: Non elabuntur, rursum quin deprehendantur nimis manifeste fingere Unctionem ἐκ μέτρου: quandoquidem hoc pacto ponitur Christus Infallibilis quidem Doctor, atque hactenus in Doctoris officio impeccabilis, ut ἀψευδὴς mentiri nescius, quem audire queas absque erroris aut seductionis periculo: At non impeccabilis vitæ exemplo salutis ἀρχηγὸς & Dux viæ ad vitam, quem sequi & imitari quiverint auditores, absque periculo seductionis peccati.

XVII. *Distinguendum autem* nobis videtur *inter Unctionem Christi in carne manifestati, Unam qua unctus fuit in diebus carnis ad illas functiones muneris Mediatorii, quæ in terris consummandæ erant; & Alteram illam, qua unctus est ad Coronationem in gloria cœlesti*: ac de posteriori hac accipimus locum illum Psal. 45. 7. Hebr. 1. 9. Dilexisti Justitiam & odisti iniquitatem, propterea nuxit te Deus tuus, oleo exultationis supra consortes tuos: Suadet enim loci analysis, ut de coronatione Christi ad fruitionem gaudii cœlestis intelligamus oleum exultationis.

XVIII. Distinctionem illam non unius, sed geminæ saltem

Unctionis Christi in carne manifestati, videtur figurasse olim cum Davidis coronatione iterata unctio. Unctus enim fuit David, primo, vivente adhuc Saule à Samuele, 1. Sam. 16. 13. post quam unctionem aliquantisper adhuc privatus vixit, & ad pascendas oves Patris reversus est: secundo post mortem Saulis unctus est in Hebron Rex Juda, 2. Sam. 2. 4. Tertio demum unctus est Rex Israëlis universi, qua unctione confirmatus arcem Sionem occupavit, 2. Sam. 5. 3. Atque illum in Coronatione cœlesti Unctionis colophonem, tertia Davidis unctione adumbratum, notant, si animum advertas, oracula Prophetica, & Psal. 110. cum Ps. 68. 19. & 89. 28. & maxime illud Apostoli Act. 2. 36. Certo sciat ergo tota domus Israel, hunc esse factum à Deo Dominum & Christum.

XIX. Jam *respectu muneris Mediatorii, cui inunctus est Christus*: (per distinctionem muneris illius tripartitam, analogam tribus in Veteris Testamento Unctorum ordinibus) *salutatur Messias Christus Unctus Propheta, Sacerdos, & Rex. De Regia Messiæ unctione* prænunciata res in confesso est. *De Prophetica Unctione* loquitur Esaiæ oraculum à Christo sibi vendicatum, Esai. 61. 1. Luc. 4. 18. 19. Unxit me εὐαγγελίζεσθαι, ad Euangelisandum, לבשר κηρύξαι ad prædicandum, לקרא. *De Sacerdotali Unctione* est oraculum Psal. 110. 4. quo Pater juratus, venturo Davidis Domino promittit Sacerdotium æternum secundum ordinem Melchisedeci: Nec non oraculum Dan. 9. de Ungendo sancto sanctorum, v. 24. de excindendo Messia משיח יכרת v. 29. & de roborando per Messiæ excisionem Fœdere ad cessationem Sacrificiorum & oblationum, quæ secundum Legem offerebantur.

XX. Enimvero hic considerandum *Axioma illud eminens, quo Mediator unctus, ut Summus Propheta, Sacerdos & Rex*, præcellit cunctis Prophetis, Sacerdotibus & Regibus. *In regio quidem munere Eminens illud Christi axioma constat Monarchia aut Regno terreno, in tertis visibili*, quale exspectant Judæi carnales: *sed Spirituali in Ecclesiam Dominio, & Ecclesiæ tutela spirituali & cœlesti.* Demonstratur hoc contra Judæos, ex prænunciato Regis Messiæ primo adventu, quo in terra versaretur, humili & contemptibili, Zach. 9. 9. Exsulta valde filia Sionis, clange filia Hierusalem: Ecce Rex tuus advenit

tibi

tibi justus, insidens, salvator, pauper, asino & pullo asinæ: Veruntamen cujus humilem adventum consequeretur ingressus in gloriam, quo erat sessurus ad dexteram Jehovæ, Psal. 110. 1. (per adscensionem videlicet in cælos, Psal. 68. 19.) & in cœlis Dominaturus, & hostes subjugaturus sceptro ferreo, Psal. 2. Ac se demonstraturus Deum excelsum superiorem Regibus terræ, Ps. 89. 28.

XXI. Contra Socinianos & Anti-Trinitarios omnes, qui contra Judæos nobiscum asserunt Messiæ regnum spirituale cœleste; *ex ipso illo regno spirituali & cœlesti, solide demonstratur vera Deitas Christi*: Quia Spirituale in Ecclesiam Dominium, (cui vindicatur non tantum imperium in humanas conscientias, sed etiam in Angelos, ut Spiritus ministratorios propter Ecclesiam:) omnino est supra axioma & dignitatem creaturæ cujuscunque: neque acquiri potuit ulli, qui non esset ipse æternus Patris Filius & hæres omnium: Hic est scopus Apostoli in principio Epistolæ ad Hebræos.

XXII. *Prophetici muneris in mediatore eminentia supra omnes olim Prophetas* demonstratur contra Judæos, ex ejus supra Mosem ipsum (qui veterum Prophetarum fuit eminentissimus, Num. 12. 6. 7. 8.) axiomate, quod liquet; quia, ut post Mosem sublatum venturus & manssurus Propheta, à Mose ipso prænunciatur exspectandus, Deut. 18. 18. 19. Illa autem supra Mosem eminentia Christi contra Judæos posita, porro contra Anti-Trinitarios demonstratur *Christi, quamvis ad breve tempus ministerio functi, Magisterium divinum* per quod Mosi præpollet, ut Dominus servo, Heb. 3. 1.----- 6. & quamvis alias non erubuerit Apostolos fratres nominare etiam post resurrectionem, humanæ naturæ respectu, Joh. 20. 17. cum Hebr. 12. 11. Tamen nullos unquam in Prophetico munere agnovit fratres aut Collegas: usus hic ad Apostolos contestatione illa, Unus est Doctor vester καθηγητὴς Christus; omnes autem vos fratres estis, Matth. 23. 8. quare etiam hoc nomine ut Lux ipsa contradistinguitur Johanni Baptistæ, ut testificanti de Luce, Joh. 1. 8. 9. quod confirmat ipsum θεοπρεπῶς esse & Summum Theologum, & ipsam rem Theologicam.

XXIII. *Sacerdotii eminentia* ab Apostolo demonstratur ex oraculo Psalmi 110. de Sacerdotio æterno secundum ordinem Melchisedeci, capite ad Hebræos 7. Ex quo typo docet Christum

ſtum Sacerdotem eſſe æternum, qui nec initium dierum nec vitæ finem habet, ſine matre, ſine genealogia, videlicet ſeundum naturam divinam, qua ſe ipſum obtulit Heb. 9. Qui proinde non tantum ipſe exſtitit ante initium dierum carnis ſuæ, ſed etiam ſibi obnoxios habuit, ut vicarios ſuos Sacerdotes, quotquot exſtiterunt ab initio mundi: qui (donec veniſſet ipſe in carne, & facta per ſe peccatorum vera & ſolida expiatione, fungeretur ſolida nunquam interrumpenda interceſſione,) fungerentur typica expiatione & vicaria interceſſione, Hebr. 8. 5. cum 9. 5. & 10. 1.

COROLLARIA.

I. *Demonſtrationem Anti-Chriſti ſufficientem habent ſequentes Bellarmini de Papa Romano aſſertiones.* (*Papa eſt Immediatus vicarius Chriſti: Ergo præeſt iis omnibus loco Chriſti, quibus Chriſtus ipſe inviſibiliter præeſt, & quibus etiam præeſſet viſibiliter, ſi viſibiliter adeſſet. Bellarm. de Conciliis lib. 2. cap. 15.* (*Omnia nomina, quæ in Scripturis tribuuntur Chriſto, unde conſtat eum eſſe ſupra Eccleſiam, eadem omnia tribuuntur Pontifici. 1. Paterfamilias in domo ſua, qua eſt Eccleſia. 2. Paſtor ovium. 3. Caput corporis Eccleſiæ. 4. Vir ſeu Sponſus Eccleſiæ.*

II. *Chriſto ipſi magno Deo & Servatori noſtro exæquatur Papa: in prima & ſecunda veneratione Cardinalium, quando Novum Pontificem primo in ſacrario, deinde in Eccleſia S. Petri*, ſedere ſuper Altare ipſique omnes per ordinem pedes manus & os deoſculantur.

Libero Sacrarum cæremoniarum S. Romanæ Eccleſiæ: excuſo Romæ typis Valerii Dorici 1560. pag. 8. Lib. 1. ſub finem Tituli 1.

Sele-

Selectarum Disputationum Theologicarum XIIX.

DE
Sacrificiis Patriarchalibus.

THESIS I.

IUdicium de Patriarcharum & Ecclesiæ Veteris Testamenti Communi nobiscum Fide & Religione pendet à disquisitione ad τὴν λογικὴν λατρείαν *seu rationalem cultum Sacrificiorum*, à quo distinguendi sunt *ritus ipsi sacrificiorum externi*, & quæ in illis occupabatur ἡ σωματικὴ γυμνασία corporis exercitatio seu fatigatio: de quo hic sufficiet dixisse, illam sicut jam antiquata est, ita per se solam Deo nunquam placuisse, prout variis Scripturæ locis hoc Deus contestatus est, 1. Sam. 15. 22. Psal. 50. 13. & 51. 18. Esai. 1. 12. 14. Ier. 6. 20. & 7. 21. Amos 5. 21. 22. Mich. 6. 6. 7. 8. Quod tamen minime destruit sequentes nostras assertiones, à Thesi IX. ad XIV.

II. Præcognoscenda ad hanc disquisitionem, Sacrificii *definitio & partitio* juxta cultus rationalis religiosia natomen; & Sacrificiorum *cum Sacramentis cognatio & connexio, nec non ab invicem differentia*: initio facto à vocum significatione. Ex vocibus prima occurrit מִנְחָה Genes. 4. 3. 4. quæ generali notione significat *Donum*, Græce δῶρον, quâ voce etiam Christus quasvis Sacrificiorum oblationes complectitur, Matth. 5. 23. 24. & 23. 18. 19. & Apostolus Hebr. 5. 1. & 8. 3. 4. & 9. 9. &. 11. 4. Eadem est notio vocis Hebrææ קָרְבָּן κορβᾶν ὅ ἐστι δῶρον, Marc. 7. 11. *Doni autem Oblationem*, qua Deo dicatur, exprimit Græca vox προσφορὰ quam fere adhibent LXX. quando מִנְחָה conjungitur cum altera voce וּזְבַח: quod fit passim ubi de cultu Sacrificiorum universim sermo est: θυσίαν καὶ προσφοράν, Psal. 40. 7. Hebr. 10. 5. Dan. 9. 27. Atque tunc מִנְחָה προσφορὰ strictius illas tantum *oblationes* notat, quæ non sunt ex pecudibus, sed *ex frugibus, aliisque terra provenientibus*: ac וּזְבַח θυσία *Oblationem pecudum cruentam* significat quam

LXX. alio nomine σφάγιον vocarunt, à mactatione, Amos 5. 15.

III. Reliqua Sacrificiorum & Oblationum nomenclatura fuit à vario ritu sacro, quo solebant destrui. Ritus autem destructionis maximè notabilis, & ut videtur primus in Sacrificiis, erat integri Sacrificii per ignem absumptio & in fumum ascensio: unde est nomen אשה quod alias etiam oblationes inanimatas igne absumendas notat, sed maxime frequens עולה, ab ascensione in fumum: pro quo LXX. usurpant ὁλοκαύτωμα & ὁλοκαύτωσις: item ὁλοκάρπωμα & ὁλοκάρπωσις: Latini Holocaustum.

IV. Si, quod fieri solet, utrumque θυσίαν καὶ προσφορὰν communiori appellatione sacrificii complectamur; *Definitio Sacrificii generalior* hæc est; *Oblatio Religiosa, qua, interveniente Sacerdotis visibilis ministerio, Deo res aliqua dedicatur & consecratur, ut ritu sacro divinitus præscripto destruatur, ad cultus divini spiritualis testificationem & Symbolum externum.* Jam genero quidem posito Oblationis & dedicationis religiosæ, & fine testificatione externa cultus Spiritualis, habent convenientiam cum Sacrificiis Patriarchalibus, atque ea de causa etiam nomen mutuantur: Dona omnia, quæ etiam hodie à Christianis Deo offeruntur, dicata ad sacros & pios usus, puta ad pauperum sub ventionem, aut ut ministerium Euangelii & Scholæ conserventur, Phil. 4. 18. Hebr. 13. 19. At non habent differentiam positam, qua requiritur ad veri nominis Sacrificium, ut, interveniente Sacerdotis visibilis ministerio, ritu sacro divinitus præscripto destruatur: Adeo ut hoc charactere etiam olim Sacrificium discerneretur, & secerneretur, à donatiis ad pios & sacros usus dicatis, quæ non destruebantur.

V. Quando autem restrictiori notione Sacrificii venit tantum θυσία, *character ejus peculiaris est αἱματεκχυσία sanguinis effusio.* Aliarum autem oblationum, quæ veniunt nomine προσφορᾶ character est, quod, juxta Sacrificia cruenta, maximam partem tanquam illorum appendices, vel incendio, vel alio convenienti ritu sacro per ejusdem Sacerdotis ministerium destrueretur.

VI. *Partitio Sacrificiorum & Oblationum veri nominis, ex Anatome cultus Spiritualis* recte revocatur ad duas Classes; sunt enim, aut *Eucharis-*

charistica, quæ inserviebant spirituali Gratiarum actioni; aut ἱλαστικὰ *Propitiatoria*, quæ inservjebant Supplicationibus spiritualibus ad flagitandam gratiam Dei. Enimvero, quemadmodum in cultu Spirituali, nunquam Supplicatio aut Gratiarum actio altera est sine altera, ita consequenter neque denominatio Sacrificii vel Eucharistici vel Propitiatorii præscribit, quominus eodem Sacrificio utraque semper peracta fuerit.

VII. Illa autem Cultus Spiritualis, quatenus ab homine proficiscebatur testificatione & Symbolo externo, constabat *ratio Sacrificii*. At *Sacramenti rationem* habuit in omnibus olim Sacrificiis, externum & visibile Symbolum divinæ testificationis, qua Sacrificantes testimonium obtinuerunt, Deo testimonium perhibente de donis, vel in donis ipsorum, Heb. 11. 4. Qualia fuere, 1 Sanctificatio Sacrificiorum & Oblationum per Altare, Matth. 23. 19. quæ altari tribuitur metonymice propter ἐμπυρισμὸν, qui fiebat in Altari per ignem cœlestem. 2. Sanguinis ῥαντισμὸς consperſio fere omnia purificans, Hebr. 9. 22. 3. Sacra omnia & Festiva convivia seu Cœnæ post peractum θυσίαν, in quibus manducatio erat Altaris communicatio: adeoque obsignatio divna sanctificationis & communionis sanctorum, 1. Cor. 10. 18. cum 5. vers. 7. 8. atque hæc vocamus *Sacramenta Sacrificialia*.

VIII. His præcognitis, plenior de Sacrificii Disquisitio flagitat Quinque Problematum sequentium ex ordine Tractationem. 1. *Quæ sit Sacrificiorum cum Sacramentis connexio Antiquitas*? R. Non attingit illa statum innocentiæ: in quo Pontificii contendunt etiam fuisse locum futurum veri nominis Sacrificiis: ut hoc prætextu obtrudant necessitatem Sacrificii externi & visibilis etiam hodie in Religione Christiana: perperam. Post peccati demum in mundum ingressum, & post factam Adamo & Evæ promissionem de Semine mulieris cæptum est Sacrificari. Censemus autem non esse citerioris antiquitatis Sacrificiorum oblationem, quam est ipsa illa promissio: adeoque non primos Abelem & Cainum sacrificasse, sed Adamum ipsum: Cogit nos Apostoli assertio, Vetus Fœdus absque sanguine dedicatum non fuisse & absque sanguinis effusione non fieri remissionem peccati, Hebr. 9. 18. 22. & vestigium histo-

ricum primæ oblationis cruentæ existimamus satis manifestum esse in tunicis pelliceis Adamo & Evæ datis, Gen. 3. 21. *Vide Disp. de V. T. prima antiquitate. Thes.* 19. 20. 21.

IX. 11. *An autem Dei institutione & mandato, an per hominis* ἐθελοθρησκείαν *ab initio sacrificatum sit*; non patiuntur nos dubitare, quæ Apostolus docet de Oblatione Abelis: asserens 1. Illum ex Fide obtulisse, Hebr. 11. 4. Non potuit a. ex Fide offerre sine verbo Dei audito, quo Sacrificium flagitarit Deus, Rom. 10. 27. omnis quippe cultus ex Fide est obedientia, qua paretur Deo vocanti, ac perimit Fides ἐθελοθρησκείαν, sicut hæc nixa mandatis & doctrinis hominum irritum facit mandatum Dei, Col. 2. 22. 23. cum Matth. 15. 3. 6. 2. Accedit quod affirmat Apostolus Deum remuneratum fuisse Abelis Sacrificium, Justificationis testimonio, in exemplum credentibus ad Fidei plerophoriam: ut scilicet conscii vocationis divinæ sperent certam obedientiæ remunerationem, Hebr. 11. 4. cum vers. 6. Istud autem justificationis testimonium fuisse visibile Sacramentum, ac omnino verisimiliter incendium sacrificii per ignem cœlitus demissum, evincit Caini illud persentiscentis indignatio, Gen. 4. 5.

X. Quicquid sit, in posteriorum saltem temporum sacrificiis, liquet ἐμφυσμὸν per ignem cœlestem, in altari fovendum ad jugem victimarum sanctificationem, fuisse sacramentum visibile divinæ acceptationis victimarum ad propitiationem pro peccatis, ac justificationem offerentium: ut evincit κύρωσις Fœderis cum Abrahamo, Genes. 16. 17. item prima Aaronis oblatio, Lev. 9. 24. Gedeonis sacrificium, Jud. 6. 21. Dedicatio Templi Salomonis, 2. Chron. 7. 1. & concertatio Eliæ contra Baalitas, 1. Reg. 18. 24 31. Invicta autem est demonstratio à connexa visibilis illius sacramenti divina institutione, (secundum quam noluit Deus alio quam cœlesti igne vel recens delapso, vel conservato in Altari, holocausta & victimas incendi, severe vindicatis illis qui ignem alienum in altare inferrent Levit. 10. 1. 2.) E cœlo quoque fuisse sacrificiorum institutionem, non ex hominibus. Quare crasso nimis errore videntur hallucinari, qui cum *Justino Martyre in Dial. cum Tryphone*; *Theodoreto Græcan. affect. serm. 7. Hieron. in Ierem cap. 7.* De sacrificiis, etiam post ordinatum Aaronicum Sacerdotium Lege Mosaica

Mosaïca, sic censent; *non fuisse vere aut proprie Israelitis à Deo imperata, sed indulta tantum, quia scilicet sic ab Ægyptiorum ceremoniis erant avocandi.*

XI. Loca ἐναντιοφανῆ sunt Jerem. 7. 22. Amos 5. 25. Actor. 7, 42. quo postremo loco, quia Stephanus paulo ante commemoravit μοσχοποίιαν, *Hieronymus* putavit liquere, quod ille vitulus aureus ligi sacrificiorum occasionem dederit. Verum quid fiet ex hac hypothesi Sacrificiis Patriarchalibus ex Fide oblatis, quæ inde à generis humani primordiis vigerunt, 2500. circiter annis ante Israelitarum peccatum illud? Locis illis negantur Israelitæ in deserto per ann. circiter XL. obtulisse sacrificia: & negatur Deus illo temporis intervallo flagitasse sacrificiorum oblationem. Intervallum illud XL. annorum inchorandum anno, ut minimum integro post conflatum vitulum aureum, quando circa vindemiam anni secundi à migrata Ægypto, in pœnam murmurationis ab exploratoribus Sycophantis decem excitatæ, Num. 14. 33. denunciata fuit XL. annorum peregrinatio in deserto: atque sic etiam vituli aurei peccatum Deus ad animum revocavit. Enimvero hinc efficitur contrarium omnino; Sacrificiorum oblationem ab initio divino præcepto imperatam, fuisse, ad dedicandum & fovendum Fœdus Gratiæ & pacis cum Deo: Quorum Legislatione per Mosem instaurata, intercurrente peccato illo τῆς μοσχοποίας, cum Deum quasi pœniteret ipso fere Legislationis actu: hoc fuit indulgentiæ Dei, quod illo non obstante Legislationem persequutus sit, ordinaritque Sacerdotium Aaronicum: quo Aarone vix inaugurato, Deus iterum murmuratione jam dicta irritatus, hanc exercuit vindictam, quod fecerit cessare Sacrificia tota illos XL. annos; donec patribus morte absumptis in deserto Filii in deserto nati transito Jordane nove sanctificarentur ad cultum Sacrificiorum, Jos. 5. 10. 11. Cessatio ergo illa à parte offerentium fuit documentum Apostasiæ: à parte autem Dei demonstratio iræ & indignationis ac dedignationis divinæ: Atque hoc confirmat, ipso cessationis istius tempore Pinehaso Aaronis nepoti facta promissio, ad zeli ipsius remunerationem, de instaurando ipsi pacto Sacerdotii sempiterno, Num. 25. 12. 13. Nec non id, quod ad Josuam dixit Deus, cum rursus Israelitæ, in Gilgale circumcisi, ini-

Christi, ex Veterum Sacrificiorum Patriarchalium typis: si audiendis *Grotius in Voto pro pace Ecclesiastica*, sic disputans pro Pontificiorum ἐθελοθρησκείᾳ in honore Sanctorum: *Neque vero Colos. 2. 25. omnem ἐθελοθρησκείαν damnat Paulus: ita enim damnasset & Abelis sacrificium, quod non ex præcepto divino, sed humano venisse instituto, ex sententia veterum diximus, ad librum quintum pro Veritate Religionis Christianæ.*

XIV. *IV. Quibus autem ministris, & quorum nomine offerri debuerint Sacrificia*: Id determinamus primo generatim; Sacrificia debuisse offerri per Sacerdotem pio peccatis illorum, qui dona & victimas adducebant ad Fidei suæ in Deum per Mediatorem promissum testificationem, in cultu Adorationis publico divinitus instituto Affirmatione enim Apostoli, Heb. 5. 1. 4. patet ad Sacrificiorum λατρείαν prærequisitum fuisse Ministerium divinitus institutum, in quo conspicua esset vocatio divina Sacerdotis unius ex multis hominibus, qui suo & aliorum nomine se Deo sisteret, Sacrificans dona & victimas; ut Mediator & Sponsor typicus Fœderis inter Deum & Ecclesiam. Cujus vocationis à Deo exspectandæ necessitas, rursus jugulat ἐθελοθρησκείαν & confirmat Sacrificia ex cœlo fuisse, non ex hominibus.

XV. Censemus autem, *symbolum fuisse rejectionis ab Ecclesia visibili, in populis quibuscumque, si nulli essent Sacerdotes divinitus vocati, qui pro illius offerrent Sacrificia*: Et manifestam fuisse Apostasiam à Fœdere in illis, qui dona & victimas ad Sacerdotem à Deo vocatum non adducerent adoraturi: saltem qui doloris sensu non tangerentur in illa Ecclesiæ calamitate, qua vel servitute vel captivitate pressi, arcerentur à Sacrificiorum oblationibus. Cum Ecclesia ergo Patriarcharum, ex quibus Christus, inde à mundi initio conservata & propagata, conservata quoque fuit & propagata Sacerdotii νομόθεσια ligislatio: Quamvis *sub Ecclesiæ initio, ante Mosem, non fuerit jus Sacrificandi intra solam lineam genealogiæ Christi; neque* (quo Franzius Witebergensis Theologus contendit) *necesse habuerit ex populis aliis non rejectis à Dei Fœdere, ad unius illius populi in una illa linea constitutos Sacerdotes, Sacrificia adducere oblaturi.* Secus quam post Mosem fieri debuit; Quando Gentes reliquæ non fuerunt populus Dei, ac solis Judæis vindicatum fuit jus Sacrificandi.

Atque

Atque hic Rejectio Gentium asserimus factam non tantum typico per ablationem Sacerdotii, sed sub typo illo revera à spe saluti.

XVI. *V. Superest disquisitio, Quando & quare antiquari debuerint Sacrificia?* Per antiquationem non intelligitur, nec ad illam sufficit, aliqua Sacrificiorum, modici vel diuturni temporis, cessatio & intercisio cultus, propter calamitatem publicam, puta servitutem, captivitatem, Templi eversionem: quando adsunt divinæ promissiones, de Ecclesia & Religione restituenda, quales comitabantur captivitatem Babylonicam, Jer. 12. 15. & 16. 15. & 24. 6. & 29. 10. 14. confer Deut. 4. 27. 29. & 30. 3. Sed Antiquatio vera intelligitur esse posse, etiamsi id, quod antiquatur non cessat actu; satis est si de jure sit nullius necessarii usus & licite negligi possit: Quanquam evidentior sit Antiquationis demonstratio si per abolitionem etiam usus tollatur è medio sine spe restitutionis. Quomodo *Antiquata sunt Sacrificia in illo temporis Articulo, quando velum Templi scissum est divino miraculo in morte Christi*, Matth. 28. 5. Marc. 15. 38. Luc. 23. 45. *Abolita autem cum excidio Urbis & Templi.*

XVII. *Usque ad illum Mortis Christi articulum, debuerunt de jure divino manere Sacrificiorum oblationes.* Nec fuere illa antiquata in Christi nativitate; neque antiquata fuerunt per prædicationem Christi ante mortem ipsius: Et hic extra omnem controversiam est Christum ea nocte, qua traditus est, comedisse una cum Apostolis θυσίαν Agni Paschalis, Luc. 22. 15. *Quam fuisse veri nominis θυσίαν Sacrificium asserimus*, quia ex loco Deut. 16. 5. 6. & 1. Cor. 5. 7. convenit nomen זבח θυσία quod etiam Josepho Philoni frequentatum; & convenit omnino Sacrificii definitio supra posita: ac emicuit *ratio Sacrificii* Deo oblati & à Deo acceptati, *in effusione sanguinis agni & delatione ad Altare, & adipis absumptione in Altari*: Secundum communem Legem Levit. 3. Quamvis non negamus emicuisse vel maxime *rationem Sacramenti cum Sacrificio connexi, in epulo & Cœna, quâ agnus comedebatur.*

XIIX. Enimvero, quamvis propter connexum Sacramentum, & Paschali Sacrificio, & similiter aliis participavit Christus, ut factus sub Lege etiam Cæremoniali: Attamen quatenus oblationes fiebant ad obtinendam expiationem: adeoque imperatæ fuere ad peccatorum publicam confessionem, ac habuerunt exercitium

citium censuræ Ecclesiasticæ antecedens, quæ ista typica satisfactione tolli debebat: *Non habuit Christus illam quidem Legis obligationem, ut vel per se alios Sacrificia offerret, quæ Lege præscripta erant*: Atque hic de Sacrificiis Leviticis pro immunditia aut peccato, non offerendis à Christo aut pro Christo, accipimus literam verborum illorum, *Sacrificium & oblationem noluisti*, &c. Psal. 40. 7. Hebr. 10. 5. 6. 7. 8. *Non potuit enim Christo posita fuisse Lex illa sui parte, seu in decretis illis, à quibus sequestrari non poterat confessio peccati, & nota immunditiæ ac pollutionis spiritualis.*

XIX. Tempore jam intermedio illo, (inter Sacrificiorum Antiquationem in morte Christi, & eorundem Abolitionem in ultima per Vespasianum Templi eversione) quamvis quodammodo exsanguis & mortua tunc fuerit ac de jure antiquata Religio Sacerdotii Aaronici: tamen *Sacrificiis de juri antiquatis non valedixerunt illico Judæi Christiani facti: Et iis etiam libere usi sunt Apostoli ad Judæos Christo lucrifaciendos*, facti Judæis et Judæi, 1. Cor. 9. vers. 20. Confer Act. 21. 23.--- 26. cum Num. 6. 14. Sic tamen ut & convictu cum Gentilibus seu Ethnicis credentibus libero, ac contestata Gentium exemptione ab observationibus legis Cæremonialis, testarentur palam, se velle assertum jus Legis illius antiquatæ mox abolendæ: ac nolle in servitutem redigi observationis necessariæ: atque hoc agere, ut omnia tandem rituum decreta ipso usu perirent, Colos. 2. 22.

XX. Enimvero, *mutata hoc pacto per Sacrificiorum Antiquationem, ac tandem Abolitionem, visibili Fœderis œconomiâ: Non tamen antiquata est vera vetus Religio Judaica*, cujus nucleus erat Dei cum Ecclesia Fœdus Spirituale, confirmatum in Christum, & in illum Fides Salvifica: quem unum eundemque manssisse olim & nunc confirmant loca illustria, 1. Cor. 3. 11. & Heb. 13. 8. Act. 26. 6. 7. & 22. 23. Eph. 2. 20. Ac quamvis per *novam ὀνοματοποιίαν Christiani nominis*, Act. 11. 26. à Judæis divortium factum sit: tamen tantum abest, ut novitatem Fidei aut Religionis eo nomine significarint Apostoli, ut contra voluerint contestari adversus Judæos carnales antiquam Religionem, atque illis adscribere & illorum facere Apostasiam à Mose, qui Jesum non crederent esse Christum à Mose prænunciatum: & pertinaciter servarent jam nucleo cassum

veteris Religionis corticem: ſpectato autem nucleo illo jam dicto. Quotquot inde ab initio mundi crediderunt, & ſperarunt adventum Meſſiæ ſeu Chriſti fuerunt; quamvis no mine ſerius formato, revera tamen Chriſtiani.

COROLLARIUM.

NOn opus eſt ſubtiliori Theologica contra Vbiquitatem corporis Chriſti diſputatione, poſt illam deductionem ad craſſum abſurdum iſtud, quod contra magnum Theologum Tigurinum Henr. Bullingerum aſſeruit Iohannes Brentius Recognitionis ſuæ, edita Tubingæ 1565. pag. 164. & 165.

Sicut Deus antea præſens erat in utero virginis ita ſecum ſuum habuit cœlum, è quo deſcendit, & in quod hominem, quem aſſumſit, ſecum aſcendere fecit in eoque collocavit.... Diaboli ſuum ſecum infernum circumferunt: quomodo ergo Deus non circumferret ſecum ſuum cœlum. Et pag. 222. & 223. Falſum igitur eſt quod Bullingerus dicit, Infernum non eſſe penes nos in terris, ſed ubicunque fuerint, vel diaboli vel homines damnati poſt hanc vitam, vel etiam tentati de aterna ſui damnatione in hac vita, ibi infernus ſit, neceſſe eſt.

Et pag. 221. Siquidem Bullingerus loquitur de ſuo inferno, quem fingit eſſe localem, fateor eum non eſſe penes nos in terris, quia nuſquam eſt.

Pag. 184. Hoc genus locorum ſicut & tempus una cum cœlo & terra exuretur. Creabuntur enim novi cœli & nova terra: non in quibus ſint locus & tempus, ſicut in hoc mundo, ſed in quibus habetabit juſtitia. Et eum cœli non amplius movebuntur, nullus erit amplius, nec in cœlo, nec in terra motus localis.

THE-

EPIMETRUM.

Disputationes duæ Repetitæ,

I. De Filii Dei Divinitate:
II. De Christo Servatore.

Prior olim ab Autore disputata Heidelbergæ CIↃ. IↃC. XIII. 24. Julii: approbantibus, Decano D. D. *Paræo*, Præside D. B. *Coppenio.*

Altera Genevæ. CIↃ. IↃC. VIV. 19. Novemb. Præside D. B. *Turrettino.*

THESES THEOLOGICÆ

DE

DEITATE FILII DEI.

DIsputaturi de Deitate Filii, ut initio ab omni ambiguitate libera sit Disputatio, per Deitatem non intelligimus illam aut potestatis aut diginitatis, illi, qui tantum creatura sit divinitus datam prœeminentiam; sed essentiam æternam & increatam, quæ à nulla alia essentia pendeat; nec ullum habeat causam à qua producta aut effecta dici possit.

II. Hoc sensu Filium Dei asserimus Deum esse, non precario aut potestatis in tempore ipsi collatæ dono, sed Deum per essentiam æternam & increatam; Genitum à Patre, non Essentiatum Patri ὁμοούσιον atque ita Deum, ut nulli tanquam causæ aliquid suæ Deitatis acceptum ferat.

III. Distinctionis itaque causa non Deum tantum, sed & Αὐτοθεὸν, appellamus, quæ vox & origine & usu primario nihil aliud significat, quam אלוהים הוא *Deuter.* 4. 35. 39. *Iesa.* 45. 18. *h. e. ipsum illum Deum* κατ' ἐξοχὴν sic dictum.

IV. Quod si vocem illam interpretari libet *Ase Deum*: hoc eo sensu etiam Filio vere tribuetur, quatenus *causam suæ Deitatis* nullam habet: ideoque etiam Deus de Deo, nisi voce Dei personaliter accepta, dici non potest: Essentiam enim à Patre non habet tanquam productam aut genitam, sed tantum, ut communicatam; hoc ipso quod Filius producitur subsistens in illa.

V. I. Hanc Deitatem essentialem Filio Dei, ut asseramus hanc statuimus hypothesin; Nomen יהוה ab *esse* deductum Deo esse & in se & ex usu Scripturarum ita proprium, ut absolute, definitive & proprie uni tantum illi tribuatur: quemadmodum ipse, præter quem unum nullum scimus esse alium, 1. *Cor.* 8. 4. dicit; Ego sum Jehovah, illud est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, *Esa.* 42. 8. & 48. *v.* 2. & 11. Idque ita sancte ipsum præstitisse dicimus,

ut ne figuratam quidem ejus nominis acceptionem, qua aut creatis Angelis aut ulli omnino rei creatæ illius nominis gloria tribuatur, usquam in scripturis agnoscamus.

VI. Filio vero suo Deus ipse nomen illud absolute & definitive tribuit, *Hoseæ* 1. 7. sic loquens, servabo eos per Jehovam Deum ipsorum: & tribuunt etiam hæc scripturæ loca sequentia, *Gen.* 19. 13. *&* 19. 24. *&* 22. *v.* 12. 16. *Exod.* 3. *v.* 2. 4. *Ios.* 6. *v.* 5. *Iudic.* 6. 11. 14. 18. *&c.* 13. 23. *Ier.* 23. 6. *Zach.* 3. 1. Quod vero in ultimis istis locis etiam Angelus Jehovæ appellatur, id ob eandem causam fit, ob quam alibi nominatur Angelus fœderis, *Malach.* 3. 1. & Angelus faciei, *Esa.* 63. 9.

VII. Illustria autem sunt testimonia V. T. quæ de Jehova vero Deo Israelis loquuntur, & in N. T. de Filio explicantur. Ex hac enim istorum locorum collatione Filius est Iehovah ille, qui ab Israelitis tentatus est in deserto, *a*, ille primus & ultimus, *b*, ille cujus nomen invocandum, *c*, qui ab omnibus Angelis adorandus, *d*, coram quo omne genu flectendum, *e*, qui scrutatur corda & renes, *f*, qui est in lapidem offensionis & petram scandali, *g*, ille cujus gloriam vidit Esajas, *h*, ille cui testimonio omnium Euangelistarum Johannes viam præparavit in deserto, ille qui venturus est & cujus merces apud illum, *k*, quem videbunt, qui eum transfixerunt & super quem plangent familiæ seu tribus terræ, *l*.

à *Num.* 14. 27. *&* 21. 5. 1. *Corinth.* 10. 9. b. *Iesa.* 41. 4. *&* 44. 1. *Apocal.* 1. *v.* 11. 17. c. *Ioel.* 2. 32. *Rom.* 10. 13. d. *Psal.* 97. 7. *Hebr.* 1. 6. e. *Esa.* 45. 23. *Rom.* 14. 11. f. *Ier.* 17. 10. *Apoc.* 2. 23. g. *Esai.* 8. 14. 1. *Petr.* 2. 7. h. *Esa.* 6. 5. *Iohan.* 12. 41. i. *Esa.* 40. 3. k. *Esa.* 40. 10. *&* 62. 13. *Apoc.* 22. 12. l. *Zach.* 12. 10. *Ioh.* 19. 37. *Apoc.* 1. 7.

VIII. II. Nomen Dei, in scripturis nemini absolute & definitive tribui affirmamus, nisi qui verus Deus sit & numen increatum: idque authoritate locorum quæcitavimus Thesi V.

IX. Filius autem in Scripturis definitive appellatur, & Deus fortis, *a*, & אל־הים Deus, *b*, Θεὸς, *c*, ὁ Θεὸς, *d*, Deus qui proprio sanguine redemit Ecclesiam, *e*, supra omnes Deus benedictus in sæcula, *f*, Deus manifestatus in carne, *g*, Deus magnus, *h*, Verus Deus, *i*, Et hæc quidem oppositè ad creaturam intelligi debere docet Apostolus

lus: cum non ab hominibus, vel per homines, sed per Jesum Christum se vocatum dicit *k*.

à *Esa.* 9. 6. b. *Iud.* 13.22. *Psal.* 68. 18. 19. *cum Eph.* 4. 8. c. *Ioh.* 1. 1. d. *cap.* 20. 28. e. *Act.* 20. 28. f. *Rom.* 9. 5. g. 1. *Tim.* 3. 16. h. *Tit.* 2. 3. *& Apoc.* 19. 17. i. 1. *Ioh.* 5. 20. k. *Gal.* 1. 1. 12.

X. Dei nomini æquivalet appellatio Altissimi, *a*, quæ simpliciter Deo propria est: Et ille soli Deo conveniens, *b*, & Filio tamen attributus titulus, Rex Regum & Dominus dominantium, *c*, Rex, *d*, & Dominus gloriæ, *e*, Dominus Davidis, *f*. Quo eodem sensu non gratiæ tantum, sed etiam naturæ jure in N. T. passim simpliciter appellatur unus, *g*. omnium, *h*. Dominus, quia per eum omnia, *i*, scilicet facta sunt.

à *Luc.* 1. 76. b. 1. *Tim.* 6. 15. c. *Apoc.* 17. 14. *&* 19. 16. d. *Ps.* 24. 6. e 1. *Cor.* 2. 8. f. *Ps.* 110. 1. *& Matth.* 22. 44. g. 1. *Cor.* 8. 7. h. *Act.* 10. 36.

XI. III. Et quidem hanc cum Deo Patre Unitatem in essentia, quæ ex nominibus istis colligitur aperte Filius sibi tribuit, explicans, quomodo Deum appellasset Patrem, nim. quod Filius ejus esset non gratia aut adoptione, aut humanitati assumtæ donorumve in illam collatorum ratione tantum: sed æterna generatione in essentia Patris cœæternus coessentialis Filius ejus. Hanc ob causam dicit: Ego & Pater unum sumus, *Ioh.* 10. 30. & hac Unitate essentiæ, mox dicit Patrem in se esse & se in Patre, *v.* 8.

XII. Hæc æterna generatio in una essentia denotatur in scriptutis; tum quando Filius Dei unigenitus, *a*, μονογενὴς παρὰ πατρός, id est, solus à Patre genitus, *b*, Proprius, *c*. Verus, *d*, Denique talis Filius vocatur, qui hæres omnium est, & Angelis opponitur, ut Filius servis *e*.

à *Ioh.* 3. 16. b. *Ioh.* 1. 14. c. *Rom.* 8. 3. d. *Matth.* 14. 33. e. *Hebr.* 1. 2. 6. 7.

XIII. Tum vero clarius exprimitur eadem generatio, cum vocatur splendor gloriæ & character personæ Patris, *a*, ob expressam videlicet in ipso per genarationem, illa æternam totam Patris personam & gloriam: ob quam etiam imago Dei & πρωτότοκος πάσης κτίσεως, *b*, id est, genitus ante omnem creaturam dicitur, & quidem ita, ut in forma seu essentia Dei Deo esset æqualis, *c*, qui

alias

âlias neminem ſibi parem anoſcit, *d*.

a *Heb*. 1. 3. b. *Coloſſ*. 1. 15. c. *Phil*. 2. 6. d. 2. *Sam*. 7. 22. *Iſ*. 46. 9.

XIV. IV. Eſſentiam divinam attributa eſſentialia neceſſario comitantur; à qua, utpote ſimpliciſſima, nullo, alio quam noſtro concipiendi modo diſtinguuntur, ita ut vi teſtimoniorum ſuperiorum ea omnia Filio neceſſario tribuenda ſint.

XV. Explicite tamen & particulatim attributa illa in ſcripturis tribuuntur. Ac primo Æternitas: teſtatur enim ipſe primo quidem non in principio tantum patefactionis in carne ſe cœpiſſe, cum dicit, Antequam Abraham fieret, ego ſum, *a*, deinde vero ipſe dicitur fuiſſe jam in principio, *b*, & inde à principio, *c*, id eſt, à diebus æternitatis: Unde etiam Pater æternitatis, *d*, & vita æterna dicitur, quæ erat apud Patrem etiam antequam patefieret, *e*, itaque non tantum ſine, ſed & principio carens.

a *Iohan*. 8. 58. b. *Iohan* 1. 1. c. 1. *Iohan*. 1. 1. *& Mich*. 5. *v*. 2. d. *Ieſa*. 9. 6 e. 1. *Ioh*. 1. 4

XVI. Idem confirmat, cum dicit ſe fuiſſe ante principium, ante opera Jehovæ, ante ullum tempus, genitum ante colles, *a*, ante principium mundi ſe habuiſſe gloriam apud Patrem, *b*, nim. qua in forma Dei Deo erat æqualis, *c*. Et Paulus in eo dicit Melchiſedecum Filio Dei aſſimilatum, quod nec initium dierum neque vitæ finem habeat, *d*, unde ipſe ſe vocat primum & ultimum, *e*.

a 2. *Prov*. 8. 22. *& ſeqq*. b. *Ioh*. 17. 5. c. *Phil*. 2. 6. d. *Heb*. 7. 3. e. *Apoc*. 1. 11. 17.

XVII. Secundo immenſitas eſſentiæ divinæ tribuitur in ſcripturis, per quam iſta loci expers eſt ſecundum ſpacium & terminum, quia ſimplicis & infinitæ eſt entitatis, & per quam, poſitis jam creaturis & locis, quibus creaturæ continentur, tota eſt ubicunque creatura aliqua aut locus aliquis eſt.

1. *Reg*. 8. 27. *Ioh*. 11. 8. 9. *Pſ*. 139. 8. 9. *Eſa*. 66. 1. *Ier*. 23. 14. *Act*. 17. 27. 28.

XVIII. Hæc eſſentiæ immenſitas, & Ubiquitas, Chriſto tribuitur, cum dicit ſe in medio ad futurum, ubi duo aut tres fuerint congregati in nomine ipſius, *a*, ſe futurum cum ipſis uſque ad conſummationem ſæculi, *b*, ſe vidiſſe Nathanaelem ſub ficu cum corpo-

re

re abesset, *c*. Denique cum dicit neminem ascendere posse in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, Filium nim. hominis, qui est in cœlo, *d*. Erat quippe tunc in cœlo per essentiam divinam, in quod postea ascendit secundum humanitatem: ita ut tametsi secundum utramq; naturam cum in terra esset, secundum alteram tamen etiam cœlos impleret.

a *Matth.* 18. 20. b. *Matth.* 28. 20. c. *Ioh.* 1. 49. d. *Ioh.* 3. 13.

Coroll. An qui Deum secundum essentiam statuunt tantum in cœlis esse, tueri possint Christi in terris versantis divinitatem? Neg.

XIX. Tertio: Omniscientiam & sapientiam omnem Deo soli, *a*, propriam, qua Deus & se & alia omnia divino modo intelligit & cognoscit, Filio etiam competere novimus, ex eo, quod exclusis omnibus creaturis, dicat se solum novisse Patrem, quemadmodum nemo novit Filium nisi Pater, & quamcunq; alii habent Patris notitiam eam dicat esse ex sua revelatione, *b*, Sic etiam nomen ipsius dicitur nemo nosse nisi ipse, *c*, Et sic quidem perfectam & divinam ipsius divinitatis notitam sibi vendicat

a *Rom.* 16. 27. b. *Matth.* 11. 27. c. *Apoc.* 19. 12.

XX. Aliarum vero rerum omnium etiam maxime contingentium scientia se habere monstravit, futurorum contingentium denunciatione & prædictione pro arbitrio suo, quæ Deum verum ab idolis distinguit, *a*, Aliquoties enim ipse futura prædixit discipulis, ut cum illos ad asinam emitteret, & ad parandam cœnam: Et omnes Prophetæ acti Spiritu ejus prædixerunt futura, *b*, quia Spiritus, quæ renunciavit, accepit ex ejus sapientia, *c*.

a *Esa.* 44. 2. b. *Apoc.* 19. 10. c. *Ioh.* 16 14. 15.

XXI. Ut vero maxime Illustrem faciat hanc omniscientiam suam, præcipue sibi tribuit notitiam cordis humani, quod alias abyssius est soli Deo pervestigabilis: nam solus novit animum filiorum hominis, *a*, Dicit enim Filius se esse scrutatorem renum & cordium, *b*, novit quid sit in homine, *c*, vidit cogitationes Pharisæorum, *d*, & propositum discipulorum, *e*, noverat à principio quinam essent, qui non credebant, & quis eum proditurus esset, *f*, Breviter itaque novit omnia, *g*.

a 1. *Reg.* 8. 39. b, *Apoc.* 2. 23. c. *Ioh.* 2. 25. d. *Matth.* 9. 4. *&* 12. 25.

e. *Ioh.* 16. 19. f. *Ioh.* 6. 64. g. *Ioh.* 21. 17.

XXII. Quarto: Convenit ipsi immutabilitas, quà & in se invariabilis est, *a*, & promissionibus & verbis constans, *b*.

a *Psal.* 102. 27. 28. b. *Matth.* 24. 35. *Ioh.* 14. 6. 2. *Cor.* 1. 20. *Apoc.* 19. 11.

XXIII. Quinto: Omnipotentiam quæ vis infinita est, ac proinde extra Deum communicari non potest, imo cujus etiam extra Deum nullum capax subjectum reperitur, Christus sibi vendicat cum inquit; Ego sum ille omnipotens, *a*, cum dicit potestatem se habere ponendi animam suam, & potestatem habere rursus eam assumendi, *b*, Et quidem cum potestate hac conjunctam fuisse potentiam docet Petrus, cum dicit impossibile fuisse ipsum à morte retineri, *c*. Unde Paulus excellentem magnitudinem potentiæ Dei prædicat & efficaciam fortitudinis roboris ipsius; quam exseruit in Christo cum excitavit eum ex mortuis, *d*. Eam vero efficaciam alibi Spiritui sanctificationis, id est, divinitati in Filio à carne distinctæ idem tribuit, *e*, convenienter illi quod Christus se facturum prædixerat de templo corporis sui, *f*.

a *Apoc.* 1. 8. b. 10. 18. c. *Actor.* 2. 25. d. *Ephes.* 1. 19. 20. e. *Rom.* 1. 4. f. *Ioh.* 2. 19. 21.

XXIV. V. Talis vero Filius Dei qualem jam descripsimus, cui in essentia æterna & immensa etiam Omnis sapientia Immutabilitas & Omni potentia conveniunt: potenter declaratus est Operibus vere divinis & Deo propriis: Quæ generatim omnia sibi tribuit, dicens: Quæcunque Pater facit, hæc etiam Filius pariter facit, *Ioh.* 5. 19.

XXV. Particulatim vero hoc confirmat Scriptura primo de Opere Creationis: de quo sic ait Deus. Ego Jehovah facio omnia, extendo cœlos solus, expando terram per me ipsum, *a*. Et hoc ipsum Jobus testatur, *b*, Et hanc rerum omnium creationem Deus ita statuit notam sui Διακριτικὸν ut perituros dicat è terra Deos istos, qui non fecerunt cœlum & terram, *c*. Sed hanc ipsam notam Filio tribuunt Apostoli, quod per eum facta sint omnia, & absque eo factum sit nihil, quod factum est, *d*, etiam mundus ille qui eum non agnovit, ac proinde per eum non est restauratus. Omnia quæ in cœlis sunt & quæ in terra visibilia, & invisibilia, id est, Angeli

geli, *f*, quod terram fundarit initio & opera manuum ipsius sint cœli, *g*.

a *Esa*.44.b.*Iob*.9.8.c.*Ier*.10.11.d.*Iob*.1.3.e.*Iob*.1.10.f. *Coloss*. 1.16.g.*Psal*.102.26.*& Hebr*.1.10.

XXVI. Neque creavit tantum omnia, sed etiamnum eadem conservat; sustinet siquidem omnia verbo suo potente, *Heb*. 1. 3. & per ipsum omnia consistunt, *Coloss*.1.17.

XXVII. Ita vero in conservatione naturæ à se creatæ cum Patre usque adhuc operatur, *Iob*. 5.17. ut præter & supra naturæ vites multa Vi sua operetur, tum temporibus quibusdam extraordinariis, ut miracula; tum communiter quovis loco quovis tempore populum sibi ex natura lapsa & corrupta colligendo & instaurando. Et miracula quidem Jehova Deus Deus Israelis facit, solus, *Psal*.72.18. sua sc. potentia infinita, quæ finitæ creaturæ communicari non potest licet illa in suo nomine & spiritu digiti Dei efficiendi potestatem concesserit quibusdam, id est, assumserit illos tanquam instrumenta honoraria, quæ non participarunt tamen in se ullam vim aut efficaciam ad miracula illa efficienda.

XXVIII. Filius vero ita in patrandis miraculis operatus est, ut ex illo exiverit potentia, *a*, qua E. G. morbidos sanavit: Et in hac virtute & potentia sua operandi potestatem aliis concessit, *b*, qui etiam non propria vi, *c*, sed per fidem in nomen filii Dei, *d*, & per nomen ipsius, *e*, se ista effecisse testati sunt.

a *Luc*.6.19.*& cap*.8.46.b. *Marc*. 16.17. *Luc*.10.9.c. *Actor*.3. 12.d.*vers*.16.e.*Act*.4.10.

XXIX. Ad restaurationem & regenerationem Ecclesiæ quod attinet. Hoc ex Scriptura certum est, illum, qui Salvator est seu auctor salutis & vitæ æternæ, esse verum & æternum Deum. Sibi enim peculiariter hoc vindicat Rex Israelis & vindex ejus, *a*. Servator Israëlis, *b*, per quem servatur salute æterna, *c*, quod præter se Salvator nullus sit, *d*, quod ipse propter se deleat defectiones & remittat peccata, *e*.

a *Esa*.44.1.b.*Esa*.45.15.c.*vers*.17.d.*vers*.21.*& Hosea* 13.4.e. *Esa*.43.12.*& 44*.17.

XXX. Christus vero est Ille Rex Israel, *a*, qui servat populum suum à peccatis ipsorum, *b*. Novi fœderis & Mediator, *c*, &

ipſe Teſtator, *d*, quod fœdus hominis pactionem, *e*, eſſe negat Apoſtolus, extra hunc Jeſum in nullo alio eſt ſalus, *f*. Ille eſt Jehovah Deus noſter, per quem ſervat nos Jehova, *g*.

a *Ioh.* 1. 50. b. *Matth.* 1. 21. c. *Hebr.* 12. 24. d. *Hebr.* 9. 15. 16. e. *Gal.* 3. 15. 1. f. *Act.* 4. 12. g. *Hoſ.* 1 7.

XXXI. Et ſe quidem illum eſſe demonſtrat, cum ſua authoritate remittit peccata, *a*, & poteſtatem aliis concedit remiſſionem illam in ſuo nomine annunciandi, *b*, cum dicit ſe eſſe reſurrectionem & vitam æternam, *c*, id eſt, cum vitam habeat in ſe ipſo, *d*. etiam quos vult vivificare, *e*, & ſuſcitaturum in die ultimo quidquid ei dedit Pater, *f*. Quapropter etiam nos, ut municipes cœlorum gerimus, quod inde Servatorem exſpectemus Dominum Jeſum Chriſtum: Qui transformabit corpus noſtrum humile, pro efficacitate (NB.) qua poteſt etiam ſubjicere ſibi omnia, *g*.

a *Matth.* 9, 6. b. *Ioh.* 20. 23. c. *Ioh.* 11. 25. d *Ioh.* 5 26, e. *verſ.* 21. f. *Ioh.* 6. 36. 40 g. 9. *Philip.* 3. 20. 21.

XXXII. VI. Et hæc opera aliaque multo plura ſibi tribuit Chriſtus: ut inde cognoſcentes illum cum Patre unum eſſe, omnes honorem Filium, prout honorant Patrem, *a*, Qua ipſa honoris poſtulatione verum Deum ſe demonſtrat. Nam nulli alii, quam iſti, qui ſolus novit animum Filiorum hominis hic honor convenit, *b*. nec invocare poſſumus, in quem non credimus, *c*, quamobrem ſcriptum eſt Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies, *d*, Et quia conſerv ni oſtri ſunt Angeli ſe adorari nolunt, ſed Deum adorari jubent, *e*.

a *Ioh.* 5. 23. b. 1. *Reg.* 8. 33. c. *Rom.* 10: 13. d. *Matth.* 4. 10. e. *Apoc.* 19. 10. & 22. 9.

XXXIII. Deus vero quum inducit primogenitum in orbem terrarum licet forma ſervi accepta ſimilis hominibus factus eſſet, *a*, itaque pauliſper inferior Angelis factus, *b*, illum tamen Angelorum, tum conſervum ipſis inferiorem ab omnibus illis adorari voluit, *c*. ob formam nimirum Dei, qua Deo ſemper manſit æqualis, etiam tum cum ſe exinanivit.

a *Philip.* 2. 7. b. *Heb.* 2. 9. c. *Heb.* 1. 6. & *Pſal.* 97. 7.

XXXIV. Imo & antequam in mundum introduceretur gloriam ejus vidit Eſaias à Seraphim adoratam, *a*, & hoc ſuo jure ſe uti velle monſtravit cum in ſuo nomine omnes baptiſari voluit, *b*, & agnoverunt Apoſtoli, cum ab eo petierunt incrementum fidei, *c*, &

Stepha-

Stephanus cum in manus ejus commendavit ſpiritum ſuum, *d.* Et populus Dei univerſus, qui in eum credidit, illum agnovit eſſe Dominum illum, quem Malachias prædixerat venturum in templum ſuum, *e*, Templi verò Dominus adorandus eſt & cultum Deo proprium habet. Huic itaque Jeſu Chriſto, qui eſt fidus ille teſtis, primogenitus ille ex mortuis; ac Princeps Regum terræ: qui nos dilexit, & lavit nos à peccatis noſtris per ſanguinem ſuum: & fecit nos reges & ſacerdotes Deo, & Patri ſuo: ei Gloria & robur in ſæculorum, Amen, *f.*

a *Eſai.* 6. 3. 5. *& Iohan.* 12. 41. b. *Matth.* 28. 29. c. *Luc.* 17. 5. d. *Actor.* 7. 59. e. *Malach.* 3. 1. f. *Apoc.* 1. 5. 6.

AUCTARIUM.

In Deum blaſphemi, in Chriſtum injurii ſunt, in Totam Trinitatem ſacrilegium admitrunt, & ex B. Virgine Maria Idolum faciunt illi, quorum ſunt hæc ſequentia de B. Maria & ad B. Mariam dicta.

(Pſalterium B. Mariæ virginis, Leodii excuſum apud Guillelmum le Sane, 1607. approbatum ibidem 17. Novemb. 1606. hæc omnia habet totidem verbis.)

Domina noſtra Omnipotens poſt Deum nomen ejus, *pag.* 132.

Altior cœlo, terra latior eſt hæc Domina noſtra, *pag.* 104.

Diſpoſitione tua perſeverat mundus: quem Dominus Deus fundavit ab initio, *pag.* 165.

Oculi noſtri in te ſperant Domina, mitte nobis cibum & eſcam delectantem, *pag.* 226.

Merito in te reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te & de te benigna manus omnipotentis quidquid creverat recreavit, *pag.* 239.

De plenitudine tua accipit tota Trinitas gloriam, *pag.* 248.

Adorent te familiæ gentium, & glorificent te omnes ordines Angelorum, *pag.* 38.

Operit cœlos gloria tua, *pag.* 161.

Tibi omnes Angelicæ creaturæ inceſſabili voce proclamant, Sancta, Sancta, Sancta, *pag.* 8.

Etsi unigenitus filius tuus Christus Jesus nobis poterat sufficere; tamen quia in eo divinam reveremur majestatem, & illi non sola cantatur misericordia, cantatur pariter & judicium: quia denique Deus noster ignis consumens est: nos peccatores veremur ad eum accedere, ne quemadmodum fluit certa à facie ignis sic pereamus ipsi à facie Dei. Sis quæso nobis ad istum Mediatorem filium tuum in nostra reconciliatione Mediatrix: Ad te accedimus, quia in te nihil austerum, nihil terribili, tota sua vis es, in te plena sunt omnia misericordiæ. Talem te nobis providit Deus mediatricem, in qua nihil posset esse suspectum, *pag.* 246. 247. 248.

Inclina vultum filii tui super nos: COGE illum precibus nobis peccatoribus misereri, *pag.* 56.

Domina Salvatrix mea, *pag.* 48. In te Domina speravi, *pag.* 50.

Domina Angelorum & Regina mundi. Tu es mater illuminationis cordis mei, *pag.* 61.

Illuminationem Spiritus sancti per te suscipiant servi tui, *p.* 145.

Nisi Domina ædificaverit domum cordis nostri non permanebit ædificium ejus, *pag.* 197.

Omnes sitientes venite ad illam & de fonte suo gratanter vos potabit, *pag.* 112.

Venite ad eam omnes, qui laborati & tribulati estis; & refrigerium dabit animabus vestris, *pag.* 6.

Summus Cæsar sine ea non salvabit te, *pag.* 213.

Non invenitur propitiatio sine illa, *pag.* 217.

Quemadmodum infans sine nutrice non potest vivere, ita nec sine Domina nostra potest habere salutem, *pag.* 214.

Virgo clementissima, Ablue omnia peccata nostra, *pag.* 88.

Virgo ipsa est porta vitæ, janua salutis, & via nostræ reconciliationis, *pag.* 67.

Tu cum Filio tuo sedes ad dextram Patris, in manus tuas commendo spirituum meum, *pag.* 208. & 51.

Hæc pauca ex multis excerpere libuit: ut appareat illos eripere nobis & sibi ipsis omnia pæne argumenta quibus hactenus Filio Dei Divinitatem asservit Ecclesia Catholica.

THE-

THESES THEOLOGICÆ DE CHRISTO SERVATORE.

THESIS I.

IN Scriptura SERVARE dicuntur ii sæpenumero, quos Deus Populo suo dedit vindices & liberatos ab oppressionibus, à servitute & captivitate temporali, unde & nomen Jesu quibusdam in V. T. divinitus inpositum. Talem Servatorem Judæi, in persona Messiæ, sibi promissum putant. Nos vero Filium, qui nobis datus & natus est, profitemur esse Jesum, quia servat populum suum à mileria & captivitate spirituali, seu à peccatis ipsorum, *a*, Hujus liberationis spiritualis, & servationis à peccatis, principalem auctorem & causam efficientem, in confesso est, non esse alium quàm Deum ipsum, is enim est Servator Israëlis *b*, per quem salvator salute æterna, *c*, nec præter eum servator ullus est, *d*, qui ipse propter se delet defectiones, & remittit peccata, *e*,

a *Matth.* 1. 21. b, *Esai.* 45. *v.* 15. c, *v.* 17. d. *v.* 21. *& Hos.* 13. 4. e, *Esai* 43. 25. *&* 44. 22

II. Quod quum propter se, & auctoritate sua faciat Christus, *a* & ab aliis annunciari jubeat, *b*, ἀυτοθεότητ@ ratione, *c*, primùm Servatoris titulum ipsi convenire apparet. Verum, hac consideratione nunc omissa, non excluſa, Christum in assumpta natura humana & officio Mediatoris inter Deum & homines spectamus, quatenus nimirum Deo subordinatur id efficienda nostri liberatione. Ea quum bifariam considerari queat, quà nimirum Christus suo nobis ipsius illam merito peperit, & jure acquisivit, vel quà in gloria Patris, unde Servatorem eum exspectamus, *d*, factus τῆς ζωῆς ἀρχηγὸς *e*, salutare bonum auctoritate regia dispensat, & virtute divina distribuit: impræsentiarum quodnam illud sit Personæ Mediatoris opus & ἀπολύτρωσιν, ad παρίπτωσιν ἀπολυτρώσεως, in assumpta servi forma præstitum, investigamus; in quo justitiæ ratione ἐν ὑπακοῇ obedientiæ, non minus, quàm potestatis

tis in imperii ἀυθεντείᾳ, ſervator agnoſcantur & adorentur.

a *Matth.* 9. 6. b. *Ioh.* 20. 23. c. *Act.* 20. 28. & 1. *Ioh.* 3. 16. *edit. Compel.* 1. *Cor.* 2. 8. *Tit.* 2. 13. d. *Philipp.* 3. 20. 21. e. *Actor.* 3. 15.

III. Enimverò, quia multi animas ſervare dicuntur, tanquam cauſæ Deo ſubordinatæ, qui ſcilicet ſalutis viam annunciant, *a*, qui & ſervatores appellantur, *b*, & illi præ cæteris, qui ſalutis nuncium miraculis, vitæ exemplo, & mortis martyrio obſignant: Et hæc omnia perfectiſſime Chriſtus implevit, euangelizans pacem, *c*, & Euangelium miraculis plurimis, vitæ perfectæ, *d*, & mortis tam exemplo, *e*, quam martyrio, *f*, obſignans, Servatoris, hoc illi nomine, ſicuti nemo negaverit appellationem, ita hiſce cancellis ipſius officium nefariè non nulli claudunt.

a *Roman.* 11. 14. 1. *Cor.* 9. 22. 1. *Tim.* 4. 16. *Iac.* 5. 20, b *Obad.* 21. c. *Epheſ.* 2. 17. d. 1. *Cor.* 11. 1. 1. *Theſſ.* 1. 6. 1. *Ioh.* 2. 6. e. 1. *Pet.* 2. 12. 3. *Ioh.* 1. 16. f. 1. *Tim.* 6. 13.

IV. Idcirco, utrum præter illud Propheticum, aliud Chriſto nullum tribuatur munus, cujus ratione κατ' ἐξοχὴν Servator nuncupetur, eo quòd juſtitiæ Dei pro peccatis noſtris, ob quæ damnandi eramus, ſatisfecerit, atque vitam illam, quam nobis daturus eſt, acquiſiverit merito obedientiæ ſuæ, adverſus novos Redemptionis hoſtes, nobis eſt diſcutiendum.

V. Ac primò quidem, quia huic ſacrificio, quo verum λύτρον Chriſtus perſolviſſe negatur, divinæ miſericordiæ prætexitur velum, à Dei natura in verbi ſpeculo ſpectata exordimur: atque ab iis falſa Miſericordiæ imagine ludi aſſerimus. ſiquidem nullam hujuſmodi, quæ omnia prorſus peccata ſine ulla ſatisfactione dimittat impunita gratiam legimus: quum maximè Veritas & Juſtitia, quæ in ipſo Deo, imò Deus ipſe ſunt, non minùs quàm Miſericordia, in hoc negotio interveniant, ideoque per Miſericordiam non magis tolli poſſint, quàm à ſe ipſo Deus abnegari. Atque hæc in comminatoria mortis ſanctione, & ſententia lata patent, quam non retractat Deus mentiri neſcius. Quare, ne quidem per Fidem, hac in parte, Lex inanis redditur, *a*, in qua, fœdere videlicet operum, Fidei in Chriſtum nulla ſubincluditur conditio, *b*, ſed abſolutè peccatori, quâ peccator eſt, maledictio incumbit.

a *Rom.* 3. 31. b. *Gal.* 3. 12.

VI. Adde, quòd ipsa lex (ut ea nobis ex rationis umbra & Scripturæ luce innotescit) in transgressores pœnæ sanctionem appendi sibi postulat, idque juxta immutabilem Dei naturam, qui peccatum non potest non vindicare, pœna vel serius subsequutura: Est n. zelotes naturâ, *a*, nam vel tantillum imaginis naturæ suæ in creaturis rationalibus relinquere non potuit, post earum corruptionem, quin comminationem mortis, tanquam opus legis, cordibus inscriptam sentiant, & à propriis cogitationibus accusentur, ut ad pœnam, qua se dignos norunt, arcessantur, *b*.

a *Exod.* 20. 5. *Deut.* 5. 9. b. *Rom.* 1. 32. *cum* 2. 14.

VII. Neque Benignitatis & Misericordiæ actiones ab hac, in contrarium, norma discedunt. Pœnam enim peccati Deus nunquam simpliciter aufert, *a*, etiam si differunt ordinariâ patientiâ suâ invasis iræ, *b*, & trans ferat, *c*, misericordiâ suâ ab electis suis in ipsorum sponsorem, qui cum ipsis unum est, *d*, ita ut ad illam plenitudinem usque temporis, quo Christus ad redemptionem peccatorum V. T. mortuus est, *e*, Deus dicatur peccata ista præcedentia dissimulasse, seu præteriisse in patientia sua, qua nimirum à Christo solutionem exspectabat, *f*, quam quum exigeret, Christus passus est, *g*, ut Deus justitiam demonstraret, esset que justus etiam tum quum justificat eum, qui (per misericordiam) ex fide est Jesu Christi membrum: sine sanguinis enim effusione non fit remissio peccatorum, *h*, & qui in Christum non credunt, donec credant, ira Dei super ipsos manet, *i*, in quo etiam electi iræ filii sunt sicut & cæteri, *k*, ideoque ab ira ventura liberari opus habent, *l*, nec tantum, ut ipsi ad Deum, sed etiam ut Deus ad ipsos appropinquet necesse est; quippe qui occultat faciem ab iis, neque exaudit peccatores, *m*.

a *Exod.* 23. 7. & 34. 7. *Num.* 14. 18. *Nahum.* 1. 3. b. *Rom.* 2. 4. c. 2. *Cor.* 5. 14. d. *Iob* 17. 21. *Ephes.* 5. 30. 1. *Cor.* 12. 12. e. *Heb.* 9. 15. f. *Rom.* 3. 25. 26. g. *Esa.* 53. 7. *ubi verbum* נגש *simplissimè significat. Exigitur solutio.* h. *Heb.* 9. 22. *Ioh.* 3. 36. k. *Ephes.* 2. 3. l. 1. *Thess.* 1. 10. m. *Esa.* 59. 2. *cum Iac.* 4. 8. & *Heb.* 7. 19. *Ioh.* 9. 31.

VIII. Quocirca nulla nobis à Deo salus, si ne Reconciliatione, neque hæc sine Satisfactione. Ideo idem μεσίτης est & inter-

nuncius, qui etiam federis ἔγγυος, id est, sponsor seu fidejussor, ut exsertè vocatur, Heb. 7. 22. Quòd vero huic sponsioni tum satisfecerit; quum Deo se ipsum obtulit inculpatum in sanguine suo *a*, ex eo constat, quòd v. illo 22. duobus superioribus adnexo, Fœderis sponsor & Sacerdos, vel æquipolleant, vel, ut necessario subordinata, promiscuè usurpentur.

a *Hebr.* 9. 14.

IX. Idem de Redemptoris & Liberatoris titulo judicium est: nimirum Liberationem & Redemptionem spiritualem à Deo per Christum nobis non obtingere, nec per Prophetas & Apostolos aliter anunciari, quàm in λύτρῳ mortis Christi, quod nostro nomine Deo, cujus captivi eramus, à Christo persolutum est, ut à Deo dimitteremur in libertatem. Ideoque verè & proprie voces גאל פדה ἐξαγοράζειν, λυτροῦν, λυτροῦσθαι, ἀπολυτροῦν, hic accipimus, pro eo quod est, captivum aliquem è manibus illius, qui eum detinet, pretio illi dato, liberare huic enim significationi nihil in re ipsa contrarium est. Si enim quæritur, cui pretium persolutum est, quum antea nos captivos detineret, is Deus, cui ὑπόδικοι, id est, obnoxii eramus ad judicium sive condemnationem, *a*, ille ipse nos concluserat sub peccato, *b*, ideoque à Christo assimilatur creditori, qui iratus debitorem suum tradit tortori (cui respondet Diabolus) quoad usque totum debitum exsolvit, *c*.

a *Rom.* 3. 19. b *Rom.* 11. 32. c. *Matth.* 18. 34. 35. & 5. 25. 26.

X. Donec enim Christus sanguinem funderet deleri non potuit, nec è medio tolli, chirographum illud, peculiariter quidem ritibus externis à veteri populo obsignatum, nobis tamen æquè ac illis contrarium, *a*, quippe quod & nos & illos Deo obligat in conscientiis, ad mortem & plena justitiæ impletionem: nec alio modo, quàm quòd Christus sub lege factus est, ex lege redimitur, *b*, Antequam enim veniret fides, sub lege custodiebamur concluſi, *c*, quæ custodia tametsi ex gratia Dei, electis Pædagogia est ad Christum, suâ tamen natura carcer & captivitas est, quâ durante, Filii Dei à servis nihil differunt, *d*, quippe qui, dum peccata ipsorum retinentur, ligantur etiam in cœlis, *e*, quod à nullo alio, quàm à Deo ipso, fieri potest: imò, nisi Deus in cœlis liget, nec ligari efficaciter à Dei ministris, nec à Satana captivus detineri quisquam

potest;

potest: Vis enim peccati, ad nos sub Satanæ & mortis imperio captivandum, non est alia, quàm lex Dei voluntas, est. *f.*

a *Col.* 2. 14. b. *Gal.* 4. 4. 5. c. *Gal.* 3. 23. d. *v.* 4. *cum* c. 4. 1. e. *Matt.* 16. 19. *cum Ioh.* 20. 23. f. 1. *Cor.* 15. 16.

XI. Quum ergo Deus hominem liget & captivuum detineat in statu peccati: Christus vero se Deo obtulerit, Hebr. 9. 14. ut deleretur, & è medio tolleretur chirographum, quod contra nos erat, *a*, ipsum verè & propriè dedisse animam suam λύτρον, *b*, seu ἀντίλυτρον, *c*, i. e. redemptionis pretium & obtinuisse quoque veram λύτρωσιν, *d*, seu ἀπολύτρωσιν, *e*, i. e. redemptionem, quam etiam περιποίησιν seu acquisitionem per pretium proprii sanguinis vocat Scriptura, *f*: quis inficiari audeat? Quinimo non metaphoricum, sed verum pretium interveniisse, & propterea veram redemptionem, fatentur ipsi veritatis hostes, dum verum pretium hic vocari quicquid datur ei satisfiat, qui captivum detinet, agnoscunt, *g*, Captivus detinebatur homo. Vinculis damnarat Deus, accedit pretium & dimisit. Ergò.

a *Coloss.* 2. 14. b. *Matth.* 20. 28. c. 1. *Timot.* 2. 6. d. *Hebr.* 9. 12. e. *v.* 15. f. 1. *Pet.* 2. 9. *cum* 1. *Cor.* 6. 20. *&* 7. 23. *&* *Act.* 20. 28. g. *Socinus de Servatore par.* 2. *cap.* 1. *&* 2.

XII. Quia vero pretium hoc servandis imputati seu adscribi debet in Dei judicio, *a*, antequam illius vi à servitute liberentur, qui metui mortis sunt obnoxii, *b*, adscribi verò non potest, nisi Christum induerimus per fidem, *c*, ita ut in ipso simus, *d*, & ipse in nobis, *e*, hinc fit ut remissionis peccatorum credenti facta, ex Dei misericordia, promissio, justitiam quoque Dei, peccata, quæ nobis remittit, in Christo vindicasse demonstret, *f*. De pœnitentia quoque & conversione, quæ eandem habet promissionem, similiter judicandum; non habere nimirum annexam peccatorum remissionem, nisi quatenus per hac communio quæritur cum Christo, ut in eo habeatur verum & sufficiens redemptionis pretium, cujus merito quoque fides & fideles quodammodo glorientur contra judicium, *g*, qui n. in Christo sunt coram gratiæ & justitiæ pariter tribunali, justificantur, quippe in Christo non misericordiam tantùm, sed & gloriationem consequuti, *b*. Neque enim tantum modo reconciliati sumus sublato dissidio, sed & καυχώμεθα ἐν τῷ

τῶ Θεῶ, διὰ τῦ κυρίυ ἡμῶν Ιησῦ Χριςῦ δι' ὃ νῦν τὴν καταλλαγὴν ἐλάβομεν, Rom. 5. 11.

a *Rom.* 4. 6. b. *Hebr.* 2. 15. c. *Gal.* 3. 26. 27. d. *Rom.* 8. 1. e. *Ioh.* 6. 56. f. *Rom.* 3. 25. 26 g. *Iac.* 2. 13. *cum Rom.* 4. 2. h. *Matth.* 5. 7. *cum Prov.* 21. 21. *&* 1. *Cor.* 1. 31. *&* *Heb.* 3. 6.

XIII. Hactenus Dei veritas & Justitia in lege & providentia; Christi sponsoris & vindicis officium; Nostri captivitas, obligatio, & exsolutio, Satisfactionis quærendæ, expectandæ, credendæ, necessitatem comprobarunt. Jam ipsa verò ἀνταλύτρυ veritas & satisfactionis ratio in Scriptura commonstratur, quæ tria distinctè proponit, 1. Peccata nostra Christo fuisse imputata, 2. Christum, ob peccata nostra ipsi imputata, nostro loco mortuum esse, 3. Hac morte sua illum expiationem peccatorum nostrorum apud Deum peregisse.

XV. I. Imputationem peccatorum & factam esse & fieri potuisse negantibus os obturat Scriptura, quum dicit Christum, ut sponsorem fœderis, *a*, peccata nostri sibi à Deo imposita, *b*, suscepisse, *c*; atque sua fecisse, ut pro nobis peccatum, i. peccator factus sit in Dei judicio, *d*, Quam peccatorum imputationem & bajulationem, ab eorundem ablatione seu aspertatione distincta ceremonia Deus quoque præfiguravit in hirco emissario: quum Aaronem peccata super caput illius confiteri, eique imponere, & hircum ea suscipere: atque ità non nisi ferendo auferre in solitudinem voluit, *e*. Atque hæc peccatorum susceptio & bajulatio, causa est bajulationis pœnarum efficiens meritoria: & in eo, qui ipse innocens est, & peccatum non novit, qualis est Christus, *f*, necessario statuenda est, ut pœna illi justè infligatur Dei judicio, quod est secundum veritatem, *g*.

a *Hebr.* 7. 22. b. *Esa.* 54. 6. c. *v.* 4. d. 2. *Cor.* 5. 21. e. *Levit.* 16. 21. 22. f. *Hebr.* 7. 26. 2. *Cor.* 5. 21. g. *Rom.* 2. 2. *cum Rom* 6. 23

XV. Atque hinc 11. claret, quomodo Christus dicatur propter peccata nostra traditus, *a*, vulneratus à defectionibus nostris, fractus ab iniquitatibus nostris, pro nobis, *b*, & plagam sustinuisse à defectionibus nostris, *c*, nimirum quòd à peccato, quod in se susceperat, mortem & perpessiones stipendii loco acceperit, *d*. Et quia peccatum factus pro nobis, factus quo fit pro nobis execratio,

e, vi legis, *f*, cui se nostro nomine subjecit, *g*. Ita ut peccatum hic tanquam stimulus mortis Christi, *b*, id est, causa efficiens proponatur, à qua ad mortem vulnerari, & in corpore suo signo affigi debuit, *i*, & pro illis, quorum peccata susceperat, crucifigi, *k*, mortem gustare, *l*, id est, pro populo suo mori, *m*, & animam ponere pro ovibus, *n*, seu vice & loco ipsarum: is enim vice & loco alterius moritur, quo mortuo alter mortuus censetur in judicio. Jam vero uno Christo pro omnibus mortuo, omnes intelliguntur esse mortui, *o*.

a *Rom.* 4. 25. b. *Esaj.* 53. 5. *cum* 1. *Cor.* 11. 24. c *Esaj.* 53. 8. d. *Rom.* 6. 23. e. *Gal.* 3. 13. *cum.* 1. *Corin.* 15. 56. g. *Gal.* 4. 4. 5. h. 1. *Corinth.* 15. 56. i. 1. *Petr.* 2. 24. k. 1. *Corint.* 1. 13. l. *Hebr.* 2. 9. m. *Joh.* 11. 50. n. *Joh.* 10. 15. o. 2. *Cor.* 5. 14.

XVI. 111. Inde peccatorum purgatio, tanquam mortis effectus fluit: nam sicuti verè per Spiritum æternum se obtulit Deo, ita quoque verè & plene purgantur conscientiæ, *a*, ut ita πλεωθέντες accedamus εἰς πλατρεύειν Deo vivo in spiritu & veritate. Qui enim cum Christo mortui sunt, *b*, in ipso comminationi Legis satisfecerunt, *c*, ideoque tanquam mortui justificantur à peccato, quod non ampliùs imputatur, &, tanquam passi in carne, cessant esse peccatores in Dei judicio, *d*, Deus enim condemnavit peccatum in carne Filii sui, *e*, idcirco mortis stimulus definit esse, &, vi legis destitutum, *f*, condemnare nequit eos, qui in Christo sunt, *g*, in quibus etiam si in dies adhuc crucifigatur (vi condemnationis istius in carne Christi factæ) ad ipsorum sanctificationem, *h*, ad justificationem tamen, sufficienter & penitus sublatum est, quando chirographum, quod nobis in Dei judicio contrarium erat, Christus delevit, & è medio sublatum cruci affixit, *i*.

a *Hebr.* 9. 14. b. *Rom.* 6. 8. c. *Gen.* 2. 17. d. *Rom.* 6. 7. *cum* 1. *Pet.* 4. 1. e. *Rom.* 8. 3. f. 1. *Cor.* 15. 56. g. *Rom.* 8. 1. h. *Rom.* 8. 3. 4. *cum Rom.* 6. 6. 1. *Coloss.* 2. 13. 14. i.

XVII. Quæ peccati ἄθεσις, seu abolitio per ἀπολύτρωσιν, seu pretii persolutionem, *k*, aditum nobis, aulæo templi duas in partes à summo ad imum scisso, *a*, ad thronum & ad Deum judicem omnium aperit, *b*, pacem efficit, qua Deo reconciliamur, *c*, ita ut ipse quoque ad nos accedat, nec faciem ampliùs avertat, *d*,

docebat, perpessionum & mortis meritum typis sacrificiorum & ceremoniarum adumbrans, Christum sponsorem præfigurarunt sacerdotæ, qui proinde, tanquam sponsores deterioris fœderis, Christo sponsori melioris fœderis, opponuntur, *a*, spondebant verò pro peccatis tum, quum victimas pro peccatis oblaturos, *b*, se recipiebant, id est, præstituros quod pro eo tempore Deus ad efficiendam expiationem peccatorum, *c*, requirebat, ac proinde sponsionem Christi adumbrabant, quâ recepit se facturum Dei voluntatem, quâ voluntate nos sanctificati sumus, *d*.

a *Hebr.* 7. 11. 22. b. *Hebr.* 5. 1. c. *Levit.* 1. 4. & 4. 26. & 16. 34. & 17. 11. d. *Hebr.* 10. 9. 10.

XX. Hinc victimis, per quas facienda erat expiatio, peccata imponebant, aqua ita ipsi Deum peccata conjicientem in Christum, victimæ verò, Christum ea suscipientem figurabant: idque arguunt necessariò & voces illæ אשם, *a*, reatus, חטאה, *b*, piaculum, cui Græcum περὶ ἁμαρτίας respondet; & res ipsa: ut enim in rei veritate nemo punitur nisi reus, *d*, ita etiam in typo, quod pro peccato morti destinatur, typice peccati reatu tenetur: denique exemplum evidens in hirco emissario, circà quem distincta etiam ceremonia, hæc peccati impositio peragebatur, *e*.

a *Levit* 5. 6. 16. & 7. 1. 2. *Num.* 5. 7. b. *Exod.* 30 10. *Levit.* 4. 8. 24. & 7. 7. *Ezech.* 45. 19. 23. c. *Heb.* 10. 6. & 8. *cum Psal* 40. 7. & *Rom.* 8. 3. d. *Rom.* 2. 2. e. *Levit.* 16. 21. 22.

XXI. Ut verò hirco huic, ita etiam aliis victimis, si non singulis, cunctis tamen, omnia omnino peccata imposita fuerunt: Peccata enim, pro quibus offerebant sacerdotes, non erant tantùm ἀτυχήματα seu ignorantiæ, *a*, sed & ἁμαρτίαι, *b*, id est, pravæ voluntatis opera, & veræ iniquitates adversus expressa Dei mandata commissæ, *c*, cujusmodi sunt, fraus, rapina, violentia, furtum, interversio depositi, dolus malus, perjurium, *d*, quæ si Deus remitteret, non remitteba sine sanguine, *e*, unde etiam non sine sanguine fiebat, *f*, sacrificium illud anniversarium, in quo omnium עונות iniquitatum populi Israëlitici, & omnium פשעים defectionum seu rebellionum, & חטאת peccatorum confessio fiebat, *g*, & expiatio per sacerdotem, *h*, quoniam personis tanquam λύτρα subrogabantur hostiæ, ut in Isaaci typo, & primogenitorum

rum in Ægypto salute per sanguinem agni, animadvertere licet, *i*.

a *Hebr*. 9. 7. b. *Hebr*. 5. 1. & 7. 27. c. 1. *Ioh*. 3. 4 d. *Levit*. 6 12. e. *Heb*. 2. 22. 22. f. *Levit*. 16. 27. g. *ibid*. *v*. 21. h. *ibid*. *v*. 30. i. *Gen*. 22. 13.

XXII. Illarum vero actionum sacerdotalium approbatio apud Deum, & victimæ acceptatio, argnebat Deum peccata illa, quæ Sacerdos victimæ imposuerat eidem imputare, eamque Sacerdotis manu pro iisdem plectere, ut pœna ista in solutionem accepta, expiarentur peccata eorum, pro quibus fiebat oblatio. Nec alio sensu victimis tribuitur odor quietis Jehovæ, *a*, quàm quod illis oblatis quiesceret ira ejus ob peccatum, & restingueretur plaga, *b*, peccati eatu sublato. Quam expiationis descriptionem Scriptura ipsa subministrat in Aarone, qui grassante plaga Dei, ex edicto Mosis inter vivos & mortuos medius stans, grati odoris thymiamate iram Dei sævientem & mortem inhibuit, *c*.

a *Levit*. 1. *v*. 9. 13. 17. & 4. *v*. 31. 32. &c. b. 2. *Sam*. 24. 21. & *v*. 25. c. *Num*. 17. 11. 12. 13. *alias* 16. 46. 47. 48.

XXIII. Verùm omnia hæc typicè tantùm & sacramentaliter de victimis dicuntur, quatenus cum re ipsa in Christo adumbrata componuntur: cui si opponantur per se consideratæ, nec peccata auferre, *a*, nec quicquam sanctificare, *b*, nisi πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς καθαρότητα Heb. 9. 13. potuerunt, aut quenquam justificare, *c*, Ideoque, quam Scriptura iis tribuit purificationem animarum, *d*, ipsis non convenire eadem asserit, nisi propter ἐπεισαγωγὴν i. subintroductionem spei melioris, *e*, nimirum de Christo, sine cujus sanguine proinde, netum quidem facta est peccati ullius expiatio *f*.

a *Hebr*. 10. 4. & *v*. 11. b. *ibid*. *v*. 1. c. *Act*. 13. 38. d. *Levit*. 17. 11. e. *Hebr*. 7. 19. f. *Hebr*. 9. 22.

XXIV. Quamobrem, tunc temporis vel nulla fiebat in conscientia peccatorum ablatio vel eadem cum ea, quam jam in N. Testamento obtinemus: non aliud habens fundamentum, quàm quod sponsioni filii sui, de satisfactione pro peccatis, in plenitudine temporis præstanda, Deus jam tum acquiesceret: adeò ut ob sponsionem hanc ipse Christus mactatus dici possit jam inde à jactis mundi fundamentis: saltem nullus unquam servatus, qui non inde à jactis mundi fundamentis, in libro vitæ agni hujus jam mactati (tum mactandi) inscriptus fit, *a*, tanquam solutionem pro debitis

sui

ſuis, creditori Deo, certò præſtiturus in Chriſto.

a *Apoc.* 13.8. & 17.8. *cum* 20.15. & *Dan.* 12.1.

XXV. Atque hoc pacto Chriſtus, non pro noſtris tantùm, ſed & pro totius mundi peccatis, propitiatio eſt, *a*, umbrarum iſtarum corpus, expreſſa & realis forma, *b*. Solus enim ipſe verè poſuit animam ſuam אשם περὶ ἁμαρτίας, id eſt, pro peccato, *c*, ſeque ipſum tradidit pro nobis oblationem ac victimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ, *d*, cujus odoris efficacia ipſe Deo non aliter gratus eſt, quàm ut nos per ipſum liberemur ab ira ventura, *e*, ipſe eſt verum propitiatorium in ſanguine ſuo, veteris illius τύπον, *f*, verus agnus Paſchalis immaculatus, qui pro nobis ſacrificatus eſt, *g*, ut ſanguine ſuo nos purget ab omni peccato, *b*.

a 1. *Joh.* 2.2. b. *Coloſſ.* 2.27. *cum Hebr.* 10.1. c. *Eſai.* 53.10. *Rom.* 8.3. d. *Epheſ.* 5.2. e. 1. *Theſſ.* 1.10. f. *Rom.* 3.25. *cum Hebr.* 9.5. g. 1. *Cor.* 5.7. *cum* 1. *Pet.* 1.19. h. *Joh.* 1.29. *Hebr.* 9.14. 1. *Pet.* 1.2. *Apoc.* 1.5. 1. *Joh.* 1.7.

XXVI. Ad hanc purgationem peccatorum per ſe ipſum efficiendam, *a*, Chriſtus in carne manifeſtatus, ſtitit ſe Dei judicio, *b*, & quicquid ad eam requirebatur, id in ara crucis conſummavit, *c*, in qua ſe ipſum peccatis noſtris onuſtum immolavit, *d*, & obtulit in mortem, *e*, atque ita jam ante ingreſſum in cælos, in diebus carnis, Pontificis & Sacerdotis partibus functus eſt, *f*, ita ut poſt reſurrectionem offerre ampliùs, non magis opus habuerit, quàm denuo pati, *g*, In ipſa enim reſurrectione ex mortuis ampliſſimum ſibi juſtitiæ æternæ elogium, *h*, ſuis verò juſtificationem, *i*, ſeu peccatorum ἄφεσιν, i. remiſſionem, & immortalis vitæ jus adeptus eſt: ut oblatione pro peccatis ampliùs opus non eſſe, *k*, Spiritus ipſum à mortuis excitans teſtificatus ſit, *l*.

a *Hebr.* 1.3. b. 1. *Tim* 3.16. cum Hebr. 9.26. c. *Joh.* 19.30. d. *Heb.* 9.26. e. *ibid.* f, 27.28. *cum Hebr.* 11.17. f. *Hebr.* 5.7. g. *Heb.* 9.25.26. h. *Dan.* 9.24. i. *Rom.* 4.25. k. *Hebr.* 10.14. & *v.* 19. 20. l. *Joh.* 16.10. 1. *Tim.* 3.16.

XXVII. Poſtquam hoc pacto, ut caput noſtrum, juſtificatus eſt Chriſtus, *a*, æternam redemptionem & vitam, hoc titulo & jure, *b*, noſtro quoque nomine adiit, quum in cælos ingreſſus eſt, *c*, poſt quem ingreſſum perpetuò in Dei conſpectu pro nobis apparet, *d*,

ut advocatus, *e*, & Pontifex noster, sanctuarii ἀχειροποίητε λειτουργὸς immortalis, *f*, ea perfectissimè adimplens quæ in Levitico sacerdotio, per τὰ ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, repræsentabantur, *g*,

a *Esai.* 50 8. *cum Rom.* 5. *v.* 17. 18. *&c.* b. *Hebr.* 9. 12. *Esai.* 53. *v.* 10. 11. c. *Hebr.* 6. 20. d. *Heb.* 9. 24. e. 1. *Ioh.* 2. 1. f. *Hebr.* 8. 1. 2: g: *Hebr.* 8. 5. *&c.* 9. *v.* 24.

XXVIII. Quòd verò per sanguinem suum in sacrarium legitur ingressus, *a*, (ut olim Pontifex semel quotannis in adyta ingrediebatur, non sine animalis pro peccato immolati sanguine, quem pro se & pro populo offerebat, *b*, id, inquam, sacrificii in terris præstiti perfectioni nihil derogat; neque propterea nova oblatio, aut sacerdotii in cælis inchoatio statuenda est. Namque victimæ accessus, oblatio, mactatio, & uno verbo, sacrificium pro peccato, in locis sanctissimis peragi nequit: Imò τὰ ἅγια, ac multo potiori ratione τὰ ἐπουράνια hostiæ foris, non modo extra templum, sed etiam extra civitatem, immolatæ, sanguine, *c*, purificanda, id est, ad introitum & habitationem sanctificanda & dedicanda fuerunt, *d*.

a *Hebr.* 9. 12. *cum v.* 7. b. *Hebr.* 9. 7. c. *Hebr.* 13. 11. d. *Hebr.* 9. 23. *cum Ioh.* 14. 2. 3.

XXIX. Quæ proinde dedicatio à Christo peragitur, non novæ alicujus oblationis merito, *a*, sed solâ corporis εἰς λύτρον crucifixi præsentatione, & justa, *b*, ob satisfactionem à se præstitam, interpellatione, *c*, pro iis omnibus, quorum nominà in pectore gestat, *d*, quorum personas, gratiarum actiones, opera bona, suavissimo bonæ (ex oblatione in terris consummata) fragrantiæ thymiamate, in illo suimetipsius altari ἐπουρανίῳ verè aureo, coram Deo æternum perfundit, *e*, ut expiatorii ipsius sacrificii merito, ipsorum quoque sacrificia εὐχαριστικὰ, tanquam communionis ipsorum cum Christo argumenta, *f*, sint odor bonæ fragrantiæ hostiæ acceptæ ac gratæ Deo, *g*, eo ipso quod omnem expiationis laudem Deo, per Christi sanguinem mundum sibi reconcilianti, atque ita misericordiam cum justitia conjungenti, *h*, & Christi ab ipso dati merito soli & in solidum tribuant, dicentes, *i*, ἡ σωτηρία τῷ θεῷ ἡμῶν τῷ καθημένῳ ἐπὶ τῷ θρόνῳ καὶ τῷ ἀρνίῳ, ὅτι ἐσφάγη καὶ ἠγόρασε τῷ θεῷ ἡμᾶς ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ.

a *Hebr.*

a*Hebr.*9.v.12.&23. b.*Rom.*3.25.26.&*Rom.*5.9.10. 11.c. 1. *Iob.*2. 1. *cum v.*2.d.*Exod.*28.21.e.*Hebr.*13.10.& *v.*15.*cum Apoc.* 8.3.4.f.*Apoc.*10.6.&5. 10. g.*Rom.* 12.1.& 1. *Petr.*2. 5.*Philipp.*4.18.*cum Ephes.*5.2.h.*Rom*3.25.26.i. *Apoc.*7. 10. & 5.9.

COROLLARIUM.

An rectè dici possit, Christum sibi meritum esse.

R. Prout Christus vel in forma Dei Deo æqualis, vel in forma servi paulò etiam Angelis minor consideratur; ita etiam duplex est illa, quam post mortem & justitiæ impletionem adiit, gloria. Una, quam habuit apud Patrem, antequam mundus esset, cujus radiis ad tempus repressis, ipsa tamen possessione illibata, sè exinanivit: cujus proinde, utpote rei æternæ, plena manifestatio, etsi obedientiæ Christi in forma servi præstitæ consequens fuerit, effectus tamen nulla ratione dici potest, unde nec merito hîc locus. Altera est illa, quæ in ipso, ut homine consideratur: ideoque non simpliciter æterna & infinita, sed ad finitæ naturæ proportionem, citra mensuram tamen, communicata. De hac propriè quæritur, utrum obedientiæ merito, ex fœdere operum, eam à Deo legislatore, ut βραβεῖον obtinuerit; an verò sola unionis cum τῷ λόγῳ, qui Deum ipse est, efficacia, etiam qua homo Dominus gloriæ constitutus sit.

Non inficiamur eam esse illius unionis dignitatem, ut ab omni indigentia, ideoque merendi necessitate Christum potuerit eximere, etiam quâ homo est.

Verùm, quia nunquam Unionis hypostaticæ huma-

nitatis Christi cum τῷ λόγῳ meminit Scriptura, nisi propter mysticam ejusdem, tanquam capitis, unionem cum corpore Ecclesiæ. Ipse verò se nobiscum uniendo, suo jure velut exutus pauperem se fecit, ut non nisi ex labore ipsius, in ipso & cum ipso ditesceremus. Idcirco vita glorioſa, naturæ ipsius humanæ, non nisi per & propter decursum obedientiæ stadium, tribui solet; nimirum, quatenus illam meritus est toti Christo, id est, corpori Ecclesiæ: à quo merito proinde excludi non potest, modus & gradus ille vitæ glorioſæ, qui ipsi ut capiti præ reliquis membris conveniens est

Breviter, meritus est Christus vitam & gloriam illam, quâ, in communione corporis mystici, ipse æternum beatus est, ut in se & à se membra sua æternùm beata reddat. Ex quo merito proinde & vitæ gloriæque communionem cum corpore; & jus quoque reliquum corpus secum vivificandi habet: quod ipsum jus illud quidem est, quo nos beati sumus: ita tamen, ut simul Christi supra ejusdem gloriæ consortes prærogativa sit, qua ipse est πρωτεύων ἐν πᾶσι.



FINIS.

5-2

Digitized by Google